
T·33

BREVIARIVM ASCETICVM

Quotidianis per Annum
MEDITATIONIBVS ET LECTIONIBVS PIIS,
de
DEO, ET PERFECTIONIBVS DIVINIS
CHRISTI, ac DEIPARÆ V. Vitâ & Excellentiâ
STVDIOQVE PERFECTIONIS CHRISTIANÆ
In Vsum & Commodum cujusvis Status Personarum
præsertim SPIRITVALIVM,
instructum

à Rndo P. IOANNE DREWS SOC: IESV
S. Theol: Doct: Pruteno-Varmiensi,

Adjuncti sunt Indices copiosi tum rerum, tum Concionum,
Facilè parabilium, vel paratarum, in Triennium:
Cum brevi Methodo Amplificandi breviores Textus
S. Scripturæ & SS. Patrum,

PARS I. HYEMALIS.

Continens Meditationes & Lectiones à Dom: I. Advent: ad Dom: Quinquages.



Brunsbergæ Typis Collegij Soc: JESV.
Anno Sæculari M. DCC.




Cogitatio Justorum apud Altissimum: ideo accipient regnum decoris & Diadema speciei de manu Domini. *Sap: 5. 16.*

Quicunq; esse DEI fidelis servus & prudens desiderat: Salvatoris gesta, & præcipuè ejus Passionem, ruminare non negligat. *S, Laurentius Justin: de discipl: mon: c, 8*

Omni die dic MARIÆ mea Laudes anima, Contemplare, & mirare ejus Celsitudinem,

S. Casim: in Hymno suo.






MEI TIBI
O TRIAS CORDIS
VNI OMNIA



un
op
T
illi
da
pe
sec

M
pr
T
ex
ri
sen
sta
ad
qu
cir
be
ti
la
du

cu
der
ju
eff
in
pr

AD LECTOREM HAGIOPHILUM.

NOn ignoro: quàm multæ, quamq; Variæ, & egregiè conducentes ad fovendam promovendamq; Pietatem, ac Perfectionem Christianã Religiosamq;, editæ jam sint Meditandi Praxes. At cùm nullam repererim concinnatam ea methodo, qualis hic repræsentatur; & non una ratio, experientiaq; mihi persvaserint; non ingratam inutilemve futuram opellam meam: ausus sum, concinnare & offerre Pietati tuæ præsens QUOTIDIANARUM MEDITATIONUM BREVIARIUM. Appellavi illud ASCETICUM: non quòd Eremicolis aut Religiosis tantum sit accomodatum; sed quia contemplandas proponit altissimas DEI, JESU, & MARIÆ perfectiones. Non enim ASCETA tantùm est, qui in solitudine vel claustro, sed in quovis statu, Divinorum meditationi deditus est.

Finis hujusmodi Meditationis est: concipere majorẽ DEI O. M. & Filii, Matrisve ejus æstimationem atq; amorem, urgere verò proprium in virtutibus profectum. In quem finem Meditationibus adjunxi LECTIONES PRACTICAS, & subjunxi particularia quædam PROPOSITA, non eo solùm die executioni mandanda, sed etiam in futurum, ubi opportunum fuerit. Interim nihil vetat; quominus alia concipi possint, prout quisq; inter meditandum senserit altiore motu sese impelli. Porro Proposita hujusmodi non obiter & raptim statuenda sunt: sed cum magna animi recollectione, & voluntatis applicatione ad executionem: cum in ipsis potissimus consistat fructus Meditationis; & si quid non rite inter meditandum actum est, compensari potest per diligentiam circa statuendum Propositum. Meditantium enim intentio & labor dirigi debet non solùm ad cognoscendam Veritatem, virtutum pulchritudinem & vitiorum fœditatem; aut ut animus pascatur objectis Divinis, cœlestibusq; consolationibus: sed ad concipiendos pios affectus erga DEUM & impellendam voluntatem, ad peccata serio fugienda, virtutes autem comparandas.

Ad hoc intentum, simulq; ad Meditationem sine tædio, imò svavissimo cum gustu absolvendam, non video, quid magis conducat: quàm attenta Consideratio Divinarum Perfectionum, & vitæ Salvatoris nostri, ac V. Matris ejus. In ipsis enim clarissimè relucent & summa virtutum omnium decora, & efficacissima ad illarum serium æquè ac constans studium Motiva: nec aliud in tota intelligibilium universitate suppetit æquè dignum jucundumq; objectum, præsertim amanti, ac DEUS, JESUS & MARIA.

Vt autem in ingressu Meditationis mens facilius abstrahatur ab alijs objectis & negotijs, atq; firmius applicetur materiæ propositæ: plurimùm conducet ex præscripto S. P. N. Ignatij, ante omnia statuere se in præsentia & conspectu DEI (idem de Christo & V. DEIpara) ejusq; Majestatem infinitam profunda venerari adoratione, atq; humiliter petere lumen & gratiam voluntatis motricem ad fructuosè considerandam ejus Bonitatem, vel sapientiam, Omnipotentiam &c. prout fert Materia Meditationis.

Quanta sit Necessitas atq; Vtilitas Quotidianæ Recollectionis & Meditationis: patebit ex Fer. 2. & 3. post Dom. I. Adventûs. Illud hìc tacitus non præteriero, quod doctissimus & religiosissimus Card: Cajetanus scripsit in 2. 2. q. 82. a. 3. Religiosum, qui saltem semel in die diligenter Meditationi non vacat, nec dici nec esse posse Religiosum: eò quòd, sicut effectus sine causa, & finis absq; medio, & portus absq; navigatione haberi nequit: ita Perfectio Christiana ad quam Religiosus conniti debet, absq; Oratione mentali obtineri nequeat. Idem eadem, imò potiore ex causa, applicat Sacerdotibus omnibus Illustrissimus Ludovicus Abelly Episc: Ruthenensis in suo Sacerdote Christiano p. 2. c. 4. Testatus est id ipsum altiore & sanctiore suffragio Pius V. Pontif: Max. palam professus: sine orandi & meditandi studio neq; Pontificatûs, neq; privatas animæ rationes sibi consistere: ideoq; quam orandi meditandiq; opportunitatem sibi negabant diurnæ orbis universi curæ, nocturnæ quieti decerpebat. S. Cælestinus Pontificatu Summo abdicare se maluit, quàm solita Divinorum contemplatione, ob molem negotiorum privari.

Non ambigo proinde, LECTOR HAGIOPHILE, te, pro insigni, quo teneris, pietatis & perfectionis studio, gratiosum oculum Ascetico huic meo Breviario concessurum, præsertim ubi adverteris: ipsum ita esse concinnatum alendæ privatæ pietati, ut etiam publicæ solidæ doctrinæ usui esse possit. Utere, Vale, & æternùm Vive DEO, JESV & MARIÆ.

PROTESTATIO AUTHORIS.

PArendo cum omni reverentia Decreto Vrbani VIII, ejusq; confirmationi & declarationi, profiteor: me, haud alio sensu, quidquid in hoc libro de Viris virtute illustribus, quod cadit supra mores & opinionem illorum refero, accipere, aut accipi ab ullo velle, quàm quo ea solent, quæ humana duntaxat authoritate nituntur; ijs tantummodo exceptis, quos Ecclesia Catholica Romana Sanctorum, Beatorum, aut Martyrum Catalogo adscripsit.

JOANNES DREWS S. J.

Ad Perillustrem ac Reverendissimum Dominum D.

GEORGIVM A LVDINGHAVS WOLFF.

Decanum inclytæ Cathedralis Ecclesiæ Varmiensis &c.

Celebratur Equitis Poloni, regij ad Henricũ Cæsarẽ Legati, factum dictumq;: quód lustrato opulento Cæsaris thesauro, eidem, detractum sibi, pretiosum annulum injecerit cum hac gnoma: Aurum addamus auro. *Allusisse videtur ad Evangelicum illud,* Habenti dabitur, & abundabit. *Numquid & Breviarium Breviario adjicere licebit, Asceticum Ecclesiastico: ut habentes abundent? Diversi, non dubito, erunt diversorum sensus: nec deerit, qui putet: onus adjici oneri. At ego Asceticum meum Mentalis Orationis Breviarium securus in sinu tuo depono.* PERILLVSTRIS ac REVERENDISSIME DOMINE. *Scio, cui credidi: & certus sum, quia non solùm potens es, sed etiam volens, depositũ meũ servare, & inter chariora reponere. Scio, quàm probé noveris, separare pretiosum à vili, & discernere, non solùm judicio intellectûs, sed etiam adhæsione affectûs, inter Officia humana & Divina; inter politioris Literaturæ, & cælestis sapientiæ cimelia. Illi aliquid studij concedis; isti Te tradis: illum auri loco habes! istam æstimas, & amas super aurum & topazion. Hinc fit: ut Ecclesiastico Canonicarum Horarum Breviario, ceu Divinorum oraculorum & Laudum thesauro, non tantùm non graveris: verùm exultet Spiritus tuus in* DEO *salutari suo; dum pari suavi-*

tate

tate & pietate Cathedralis insonat Psalmodia, tuo animata spiritu & aßiduâ præsentiâ. Experiris, quod S. Chrysostomus scripsit in Psal. 41. Nihil animam æquè erigit, & alatam quodammodo efficit, & à terra liberat, & exsolvit à vinculis corporis, & amore sapientiæ afficit; & ut res omnes ad hanc vitam pertinentes irrideat, perficit: ac Versus modulatus, & Divinum Canticū numero compositum. Qui sic affectus est erga Orationem Vocalem: quomodo potest ei vilescere, vel ingratum accidere studium Orationis Mentalis, quæ non sonoro articulatoq; pulmonum spiritu, sed tacitâ admirabiliq; mentis & cordis harmoniâ conficitur? Illâ non contentus Apostolus, isti liberalius indulgere solebat. Nam si orem lingvâ, inquit 1 Cor. 14. spiritus meus orat; id est, ut explicant S. Basilius & Theoph. vitali respiratione externas precatorias voces formo: Mens autem mea sine fructu est; nisi interior attentio & Meditatio accedat. Quid ergo est? pergit Apostolus: Quomodo mihi fructuosam, DEO gratissimam conficiam Orationē? Orabo spiritu, vocaliter (Spiritū enim hic pro sermone vocali sumi, notat Primasius apud Cornel: ibid.) Orabo & mente, meditando. Psallam spiritu, psallam & mente. Atq; sic velut duplici choro, humano & Angelico, laudabo Dominum, placebo DEO; jam cum hominibus devotas ore fundendo preces; jam cum Angelis, ex altißima Divinorum contemplatione in tacitos, sed ignitos, & maximè sonoros apud DEUM, erumpendo affectus. In usum igitur faciliorem, & fructuosiorem Mentalis hujus Orationis, quam Asceta Meditationem vocant, cùm, quæ potui

occu-

accuratione, meum hoc concinnaverim Breviarium: non dubito, PERILLVSTRIS ac REVERENDISSIME DOMINE, *eâ, qua Spiritualia complecti soles, facilitate & humanitate excipiendum. Habes hic pretiosissimos suavissimosq; Amores tuos, DEVM, JESVM, & MARIAM, diligenti omnium, præsertim Ecclesiasticorum, considerationi, & amori cultuiq; ferventiori propositos. Quantum illorum gratiâ egeris, & agas: quàm heroico pede calcâris honores sæculi; quàm parcâ manu admiseris, quàm largâ dimiseris, Dignitates Ecclesiasticas; quàm scitè quotidianam vivendi methodum institueris in morem Prælatorũ, quorum virtus meruit apotheosin; dicerem prolixius, nisi prohibuisses panegyrim: & ni mea, quam acceptis beneficiis debeo, imperaret Gratitudo, ne Modestiam tuam aspergam purpurisso verecundiæ. Pareo utriq;: vel hoc solo devinctissimus nutui Tuo; quòd fronti Breviarij mei Magnum & Reverendissimum tuum concesseris Nomen: ut auderet prodire in lucem. Magnum tenuis opellæ retuli pretium; quòd intellexerim, eam Tibi probari. Magnum porro, velut Aurum auro, adjicies auctarium: si idem, quod à Cæsare Legatus ille, retulero à Te, Germano corde prolatum; HAB DANCK. Ita optat*

Perillustris ac Rndmæ Dominationis Vestræ

Servus obsequentissimus

Joannes Drews S. J.

APPRO-

APPROBATIO

Perillustris ac Reverendissimi D. Vicarij in Spiritualibus, et Officialis Varmiensis.

Librum cui Titulus BREVIARIVM ASCETICVM operâ & studio A. R. P. IOANNIS DREWS Soc: IESV, S. T. D. ad solatium simul et utilem timorem Christi fidelium, pro excitando quotidie in animis eorum multiplici virtutum profectu, fugâq; vitiorũ, pulcherrimâ methodo concinnatum, Dignũ censeo, qui publicam lucem videat. In quorum fidem &c. Dabantur ad Ecclesiam Cathedralem Varmiensem. Die 16 Ianuarij. Anno Domini 1699.

JOANNES GEORGIUS KUNIGK
J.U.D. Cantor, Vicarius in spiritualibus, & Officialis Varmiensis, Plocensis, Pultoviensis Canonicus mppa

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS.

Cùm Librũ, cui titulus: BREVIARIVM ASCETICVM &c. á P. IOANNE DREWS Societatis nostræ Sacerdote conscriptum, aliquot ejusdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi posse probaverint; potestate nobis ad AdmR. P. N. THYRSO GONZALEZ, Præposito Generali, ad id tradita, Facultatem concedimus; ut Typis mandetur. Cujus rei gratiâ has Literas manu nostrâ subscriptas, sigilloq; nostro munitas dedimus. Brunsbergæ 20. Aprilis. 1699

IACOBVS HLADOWICKI
Præpositus per Provinciam Litvanam Societatis IESV
mppa

DOMINICA I. ADVENTUS.

De Existentia DEI CHRISTI & DEIPARÆ V.



Onsidera: I. re vera & infallibiliter DEUM esse. Id est; existere unum quoddam Primum ac Universalissimum rerum ac temporum omnium principium: â quo omnia, ipsum a nemine; sine quo nihil, ipsum omnia; quo indigent omnia; ipsum nullo, ita: ut a se ipso sis; & se solo beatissimè sit, cætera arbitrio suo producens, conservans, gubernans. Hoc est, quod significamus, & colimus Christiani, dum DEUM dicimus & colimus. Tale principium re vera existere; clamant cœlum, terra; & omnia, quæ in ipsis sunt: *Ipse fecit nos & non ipsi nos.* Psalm. 99. *Cæli enarrant gloriam ejus.* Psalm. 18. *Super nos ipsos signatum est Lumen vultus ejus.* Psalm. 4. ut ignorari non possit. O DEUS! O Magnum Principium! O si te homines plenè nossent: Tu mihi deinceps primum in intellectu, summum in amore eris.

COnsidera: II. re vera ac infallibiliter Filium DEI vivi, DEUM de Deo, Deum verum de Deo vero, Patri coævum & consubstantialem, factum esse hominem: non conversione Divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum ita: ut absque omni confusione substantiarum seu Naturarum, Divinæ & humanæ, in unam coaluerint Personam, Deus & homo: adeoq; verissimè ac proprijssimè detur una Persona, quæ est Deus-homo, vocaturq; JESUS CHRISTUS, Salvator ac Redemptor generis humani. Huic testimonium perhibent, non solum Prophetæ omnes, Apostoli, Martyres & innumerabiles Confessores; sed Pater ipse cœlestis. Matth. 3. & 17. Credo, mi JESU, quantumvis non satis capio, credo te verissimum DEUM & hominem, Salvatorem & Redemptorem meum. Tibi Laus & gloria, honor & amor summus in sæcula.

COnsidera, III. re verâ certissimè existere DEI Matrem, Virginē de regia stirpe David, MARIAM nomine, moribus sanctissimā, specie pulcherrimam; dotibus omnibus naturalibus & supernaturalibus instructam liberaliùs, quàm omnes Creaturæ simul sumptæ; de qua, salvâ Virginitate, solius Spiritus S. virtute, natus est JESUS, qui vocatur Christus: quæ jam summa potestate regnat, in cælis & in terris, Domina, Regina ac Patrona principalis generis humani. O MARIA, credo te verissimam

DEI mei Matrem, veneror potentissimam mundi Dominam, amo gratiosissimā peccatorum Patronam. Non excides mihi unquam è mente, non elabêris è corde. Omni die dic MARIÆ mea Laudes anima.

Propone deniquè, v. g. crebriùs & vivaciùs elicere Actus Fidei de existentia DEI, J. & M.

LECTIO PRACTICA.

Quàm Necessarium sit & Utile exercitium Fidei Divinæ:

Fides Divina, est supernaturale donum DEI, ac lumen, quo illustrati assentimur indubitanter & firmissimè mysterijs à DEO revelatis, propter summam & infallibilem authoritatem, seu Veritatem, ejus. Inter Virtutes Theologicas, imò omnes, ponitur primo loco: quia est primum Lumen supernaturale animæ, *Ostium vitæ, & Fundamentum salutis æternæ*. ut loquitur S. Chrysostomus super Symbol: *Sine Fide impossibile est placere DEO*, inquit Apostolus Heb: 11. *Credere enim oportet accedentem ad DEUM, quia EST, & inquirentibus se Remunerator sit.* Et Christus Joan. 8. *Qui non credit, jam judicatus est: quia non credit in nomine Unigeniti Filij DEI. Qui credit in Filium, habet vitam æternam: qui autem incredulus est; non videbit vitam, sed ira DEI manet super eum.* Nec gentibus solùm idololatris summè necessariam esse Fidem, sed justis etiam; docet Apostolus Hebr. 10. dicens: *Justus autem meus ex Fide vivit*. Per hanc enim & vivit DEO & proficit in solidis virtutibus, & consummatur in gloria. *Quodsi subtraxerit se per incredulitatem, diffidentiam, pusillanimitatem; non placebit animæ meæ.*

Præstantiam Fidei divinæ commendat idem Apostolus ibidem, tum ex eo, quod sit *Sperandarum Substantia rerum* & *Argumentum non apparentium*, seu absconditorum mysteriorum manifestatio: tum ex præstantissimis Fructibus, quos ex Fide protulerunt, & perceperunt Patriarchæ ab initio ipso Mundi: prout ampla inductione probat; & post plura subjungit: *Et quid adhuc dicam? Deficiet enim me tempus enarrantem de Gedeon, Barac, Samson, Jephte, David, Samuel, & Prophetis; qui per Fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones, obturaverunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladij, convaluerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum &c.* Nimirum quia fide firma & viva Patriarchæ, Prophetæ, alijq; justi, crediderūt in DEUM vivum, verum, Opt: Max: vitam moresq; suos ad normam voluntatis ipsius composuerunt; ipsi placere animitus studuerunt; & in rebus difficillimis firmam in ipsius adjutorio spem concipientes, operati sunt magna & mirabilia. Fides enim generat fiduciā in infinita Bonitate DEI, in omniscia Providentia, & invincibili Omnipotentia ejus. DEUS autem nunquam deest confidentibus in se. *Non est confusio confidentibus in te.* Dan. 3. 40. Unde & SS. Patres mirificè extollunt virtutem & excellentiam Fidei. S. Chrysostomus

Hom. 31. *in Joan.* Matrem eam appellat omnium bonorum, salutisq; animarum nostrarum medicamentum. S. Prosper *lib.* 1. *de vocat: gent: c.* 8. Bonæ voluntatis, sanctarumq; operationum Genitricem. S. Cyrillus *Catech.* 5. animæ Oculum, cujus munus est illuminare, ac deducere conscientiam, & illustrare intelligentiam. S. Bernardus serm. 3. in Vig. Nativ. inter divinæ Omnipotentiæ miracula numerat: quod Fidem divinam cum intellectu humano conjunxerit. Cùm enim ille consueverit à lumine suo naturali duci, & à suis ratiocinationibus: DEUS illum per supernaturale lumen suum elevat; ut certissimè credat plurima, quæ suis ratiocinationibus assequi non potest, imò adversari videntur: ut merito Apostolus *Ephes.* 2. 8. Fidem appellarit *Donum DEI*, scilicet per Excellentiam.

Fructus Fidei præter jam enumeratos ex Hebr. 11. enumerat in lege Gratiæ præstantissimos S. Augustinus *lib. de Utilitate credendi. c.* 7, dum advertit, Fidem Christianam mutasse hominum mores inolitos, in sex rebus adeò præclaris, ut naturales vires omnino excedant. 1. Fides in maxima mundi parte extirpavit idololatriam induxitq; Unius DEI adorationem. 2. Nimiam corporis curam ad tenuissimum victum, & quotidiana, imò complurium dierum, jejunia reduxit. 3. Effrenes carnis voluptates non solùm intra statum conjugalem duorum coercuit; sed in plurimis perpetua Virginitate proscripsit. 4. Tanta fortitudine armavit imbelles: ut sævissimis tormentis & tyrannis fuerint, & sint, longè fortiores, eosq; triumphent per Patientiam. 5. Induxit Liberalitatem adeò magnificam & profusam: ut ei integra patrimonia non sufficiant, & summa Paupertas in summo sit pretio. 6. Mentes humanas eò elevavit: ut speciosissima, splendidissima & pretiosissima mundi arbitrentur, & aspernentur, ut stercora. Omnes deniq; hominum status eadem Fides reformavit, & cœlestis divinæq; Sapientiæ instituit disciplinâ: ut notavit idem Augustinus *Serm.* 10. *de Verb. Apost.* Hæc, ait, peccatores sanat, ignorantes illuminat, curat ægrotos, docet fideles, pœnitentes reparat, justos reddit ferventiores, coronat Martyres, conservat Virgines, conjugatos castificat, reformat Ecclesiasticos, Sacerdotes consecrat, præparat regna cælestia, æternamq; hæreditatem in Angelorum societate communicat. Per hanc Reges feliciter regnant, Legislatores sanctas condunt leges, justè Judices judicant &c. Verbo: Mundus immundus, totus olim in maligno positus, jam miratur se justum, pium, sanctum virtnte Fidei Christianæ; idq; non solùm in Europa cultiore, sed in media barbarie: numeratq; non solùm in Eremitarum asceterijs, & Religiosorum claustris, sed in ipsa civium turba & principum aulis Sanctorum millia millium. Imò portento simile est: quòd non omnes, qui credunt Evangelio, sint moribus suppares Angelis DEI. Portentum autem portentorum maxi-

maximum est: quod inter homines, qui credunt DEUM esse, sic mundum dilexisse, tanta bona diligentibus se, tanta mala offendentibus præparasse, adhuc reperiatur vel unus, qui præsumat graviter offendere DEUM! Sit vel unus, qui non ardeat æterno & Seraphico amore DEI!

Tanta igitur cùm sit Necessitas, Præstantia, & Utilitas Fidei Divinæ: cùm vel unicus Articulus, de Existentia infallibili DEI, JESU & MARIÆ, sufficientissimus sit ad componendos formandosq; hominum mores, juxta veræ Sanctitatis leges; juvat Exercitio Actuum Fidei magis intentos esse. 1. Assvescendo, ut, dum dicimus, *Credo*; non obiter id pronunciemus; sed cum reflexione ad proprium Fidei Divinæ Motivũ, eliciamus internum assensum firmissimum, scilicet propter *Authoritatem summam*, seu *Veritatem undiquè infallibilem DEI*, qui revelavit id, quod nos credere dicimus. Ob cujus reflexionis defectum plurimæ recitationes Symboli Apostolici nullius aut exigui sunt meriti. 2. Eliciendo frequentiùs, & cum speciali mentis applicatione vivos actus Fidei, præsertim circa eos Articulos, quibus magis nos moveri sentimus. Fieri commodè hoc potest, dum manè surgimus à somno, dum sacrificio divino intersumus, dum Horas Canonicas vel Rosarium aut Coronam DEIparæ recitare aggredimur, dum Venerabilem Eucharistiam visitamus, vel in Sacro elevari cernimus, dum nos ad quietem componimus &c. Sive Symbolum totum Apostolorum recitando, sive compendio omnia colligendo, v. g. *Credo firmissimè propter infallibilissimam Authoritatem, seu Veracitatem tuam, Magne DEUS, quidquid Sancta Ecclesia tua mihi proponit credendum:* sive circa certum aliquem Articulum actum Fidei eliciendo. 3. Obfirmando subinde animum ad vivendum & moriendum in hac Fide, per Protestationem resolutam, & cum heroico desiderio, etiam sangvinem & vitam profundendi pro hac Fide. Testari hanc resolutionem possumus, dum audimus legi Martyrologium, dum caput inclinamus (quasi ipsum pro fide securi aut gladio submitteremus) dum hæreses invalescere, aut aliquid contra fidem actum, rescimus. 4. Desiderando, & petendo ferventer & frequenter: ut Fides Catholica latissimè propagetur, extirpentur hæreses, concidant idola, & divina virtute roborentur Fidei præcones apud gentiles, Saracenos, Judæos & hæreticos. Quo desiderio cùm ferventiùs æstuaret Frater noster notæ Sanctitatis Alphonsus Rodriquez, revelatum est ei à DEO: ipsum tam accensa voluntate tantum promeruisse, quantum fuisset meritus omnium hominum conversione; prout refert P. Michaël Julianus in ejus vita.

Benedictus sis nunc & in æternum Benignissime Pater luminum, qui me ab infantia luce veræ Fidei tuæ perfudisti: da, ut quem agnovi Dominum & DEUM meum, dignè, perpetuoq; colam, & amem super Omnia.

FERIA

DEI, CHRISTI, & DEIPARÆ V. ignorantia, vel neglecta consideratio, multorum malorum causa.

1. ADora DEUM Opt. Max: & considera: quòd sicut ejus notitia, & frequens memoria multorum bonorum est causa: ita ejus ignorantia, vel neglecta consideratio non pauciorum minorumve malorum sit origo. *Nosse enim Te, consummata justitia est; & scire justitiam & virtutem tuam, radix est immortalitatis.* Sap. 15. Econtrà ignorare DEUM, vel raro aut obiter de illo cogitare, radix est mortis æternæ. Inde enim sequitur divini cultûs neglectus, divinorum mandatorum contemptus, effusio in omne genus scelerum, idololatria, deniq; atheismus. Nam ut loquitur Apostolus Rom. 1. de mundi sapientibus, perfectiorem DEI cognitionem negligentibus; *Sicut non probaverunt, DEUM habere in notitia: tradidit illos DEUS in reprobum sensum, ut faciant ea, quæ non conveniunt, repletos omni iniquitate.* O quantum Tibi debeo, Magne Deus, quod noverim Te! Amplius, amplius illumina vultum tuum super me, ut magis magisq; cupiam nosse Te: ne per neglectam attentiorem considerationem tui, similis fiam illis, qui *cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt.* Rom. 1.

2. ADora D. JESUM, & considera: non solùm omnem, vel crassam, ipsius ignorantiam, sed etiam neglectam ejus attentiorem considerationem multorum malorum esse fontem. Inde enim sequitur minor ejus, & beneficiorum ejus æstimatio: tepescit, ac tandem friget amor, evanescit timor, non consideratur doctrina, negligitur cultus, oritur ingratitudo, & fœda defectio ab ipso ad principem hujus mundi, à virtute ad vitia, ab arcta via salutis ad spatiosam interitûs æterni: ut quotidiana docet experientia. Paria sunt, vel parum distant; CHRISTUM non nôsse, & obiter solùm nosse. Qui raro, aut obiter solùm, cogitat de CHRISTO; pronissimum est, ut ingruente tentatiuncula aliqua, dicat cum Petro: *Non novi hominem: nescio, quid dicis.* Averte hoc nefas á me, gratiosissime JESU. Per singulos dies ad te attentos levabo oculos: & meditatio cordis mei in conspectu tuo erit semper. Illumina, & accende.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: ipsius quoq; neglectam considerationem non pauca inducere mala. Sequitur enim minor ejus æstimatio, consequenter negligitur cultus, non exhibetur debita gratitudo, non concipitur filialis erga ipsam affectus cum fiducia in ejus patrocinio. Unde fit: ut maternam ejus non experiamur providentiam, in periculis non obtineamus opem, & sicut parvuli, matre orbati, varijs involvamur & obruamur calamitatibus. Proinde quemadmodum Isaias c. 51. seriò monuit Judæos à DEO defici

deficientes: *Attendite ad Abraham patrem vestrum, & ad Saram, quæ peperit vos:* ita Christiani sedulò attendamus oportet ad authores salutis nostræ DEUM, JESUM, & MARIAM. Non erunt in devoto corde, si non fuerint in attenta mente.

Propositum v. g. de seria diligentia adhibenda in meditationibus sequentibus.

LECTIO PRACTICA.

De Necessitate piarum Meditationum

Meditationem, seu attentam mentis Considerationem, omni hominum generi & statui pernecessariam esse, ut vitam statui suo accommodatam feliciter agere possint; manifesta docet ratio & experientiâ. Qui alios gubernant; nisi meditentur, quid, quomodo, quando, cui, imperent: nec gregibus pascendis idonei sunt. Qui parent; nisi attentè cosiderent necessitatem & utilitatem parendi, tempus quoq; & modum: non diu parebunt, & vapulabunt multis. Agricola meditetur oportet, consideretq; diligenter tempus seminandi & metendi, quale semen huic illive agro injiciat &c; Mercator quid, & quantum, à quo, & quando emat; cui & quomodo vendat &c; Miles; quomodo pericula superet, vel declinet, hostem opprimat, cum gloria ad suos redeat &c; Paterfam: quomodo familiam alat, rem familiarem augeat, debita non contrahat, contracta exsolvat &c. Sacerdos: quomodo vitam statui suo congruam ducat, aliorum saluti prospiciat sine jactura propriæ, cultum & honorem DEI promoveat, &c; Religiosus quomodo, & quibus vijs ad perfectionem tendat, uni DEO placere studeat &c; Omnes deniq; meditari oportet, quomodo sic transeant per bona temporalia, ut non amittant æterna.

Defectu piarũ Meditationum quanta mala involverint mundum; testatur Jeremias c. 12. *Desolatione desolata est omnis terra: quia nullus est, qui recogitet corde.* Quod & de temporali civiliq; & de morali spiritualiq; desolatione rectè intelligi potest. Quòd enim tanta sit proborum paucitas, tanta in animabus nostris egestas & infirmitas; tanta vitiorum ubertas & gravitas; fere unica, certè fundamentalis, causa est: quod non sit *qui recogitet corde*; quæ scilicet sibi incumbat obligatio quò ad DEUM & proximum, quomodo huic satisfecerit, vel satisfacturus sit; quæ pericula incurrerit; quomodo in viam salutis, & cum DEO in gratiam redire possit &c. Sunt equidem non pauci, imò pleriq;: qui non dies solùm, sed noctes insomnes impẽdunt meditationi: sed vel meditantur inania; ut de negotijs ad ipsos non pertinentibus, de hujus illiusve gratiâ aucupanda, de plausu referendo ex studio literarum &c. vel noxia; quomodo nimirum opes congerere, honores augere, æmulum supplantare, illatam injuriam vindicare, desideria prava explere, possint. At quomodo è vitiorum cœ-

no emergat, in pietate alijsq; virtutibus proficiat, vix est, *qui recogitet corde.* Sæculares relegant studium Meditandi ad Religiosorum claustra: Religiosorum non pauci meditantur potiùs mente quàm corde: quia cognitionem mentis non sequitur affectus, & seria voluntatis applicatio. Non viverent tam securi sæculares, si attentè considerarent illud Luc: 12. *Stulte, hac nocte animam tuam repetent à te.* Et *Qua hora non putatis, Filius hominis veniet.* Non adeò insolescerent Potentes, si recogitarent corde illud Sap. 6. *Potentes potenter tormenta patientur.* Non sic lascivirent juvenes, si attenta mente versarent illud Sap. 11. *Lætare juvenis, & ambula in vijs cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum: & scito, quod pro omnibus his adducet te DEUS in judicium.* Non ita torperent in studio perfectionis, aut in vitia dissolverentur Religiosi: si animis infixum haberent illud Apoc. 3. *Quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo.* Et Isa. 26. *In terra Sanctorum iniqua gessit; & non videbit gloriam DEI.*

S. Athanasius Orat: contra Gentes, acutè advertit: Originem omnium malorum tam culpæ, quàm pœnæ, quibus premitur genus humanum, fuisse neglectum Meditationis Divinorum in primis Parentibus nostris. *Adam enim,* inquit, *quamdiu mentem habuit ad DEUM, DEIquè contemplationem intentam, aversus alienusquè fuit à corporeis spectaculis*: nec scivit, se nudum esse; nec creaturā aliquam inordinatè appetijt. *Ubi autem suasu serpentis abstitit à cogitando intelligendoquè DEO, se ipsum autem considerare cœpit:* quasi DEUS iniquè ipsi, propter quem creata erant omnia, negasset esum de ligno scientiæ boni & mali, scientiæq; talis communicationem: *Statim in concupiscentias corporeas uterquè delapsus est*; inprimis appetendo fructum vetitum, & mox sentiendo in membris suis motus pravos: *Sequè nudos esse cognoverunt.* Certè vix alia prior & originalis causa tam infelicis & gravis lapsus Protoparentum, à DEO tot dotibus naturæ & gratiæ instructorum, deprehendi potest: quàm quòd in illo deliciarum horto, amœnitate loci & creaturarum varietate capti, non nihil remiserunt de contemplatione Conditoris DEI. Si altiùs repetere velimus omnis peccati originem, videbimus, etiam Angelorum pravitatem inde promanasse. Cùm ex Contemplatione DEI Creatoris & Domini sui, in laudes ejusdem certatim effunderentur Astra illa matutina: Lucifer mente in naturalibus dotibus suis defixâ, turpi correptus philautiâ, non dubitavit divinos honores invadere. A quibus longè omnino fuisset, si considerasset, quantum interjaceret chaos inter nihil suum, & inter plenitudinem infinitam Excellentiæ Divinæ. Iscariotes proditor numquid tam vili vendidisset, aut absolutè vendidisset, Dominum suum; si non magis de farciendis loculis suis, quàm consideranda excellentia illius cogitasset?

Erit igitur grandium, imò omnium, malorum fons, *Neglectus Meditationum*

piarum. Audivimus non unum dissolutorum Religiosorum, qui vocatione suâ exciderunt, causam infortunij sui referentem potissimùm in neglectum meditationum. Imò vir secundùm cor DEI fatetur Psal. 118. *Nisi quod lex tua Meditatio mea est: tunc fortè perijssem in humilitate mea:* id est penitus fuissem obrutus, & perditus peccatis meis. Quàm verò fuerit intentus studio meditandi, etiam inter decumana regni negotia; indicat ibidem: *Prævenerunt oculi mei ad te diluculo; ut meditarer eloquia tua.* Prævidens diurna negotia, somnum abrumpebat, dabatq; matutinas horas meditationi. Nobis, minùs, & leviùs, occupatis non suppetet horula, vel pars ejus, quæ impendatur nostræ recollectioni, & divinorum meditationi?

FERIA III.

De DEO, CHRISTO, & DEIpara V. Meditatio maximorum bonorum est causa.

1. ADora DEUM O. M. & considera: quantorum bonorum sit causa ejus vera cognitio & attenta consideratio. 1. Est fundamentum primum, quo nititur salus & vita nostra æterna. *Hæc est vita æterna: ut cognoscant te solum DEUM verum,* Joan. 17. declarat Christus. 2. Est certissima regula vitæ honestæ, & homine dignæ. Non enim degenerare possumus à recti tramite, sequentes infallibile judicium, & sanctissimam voluntatem DEI. 3. Est lumen summè necessarium ad cognoscendos nos ipsos. Magnum enim quiddam nobis videmur: at comparati DEO, invenimus nos pulverem, umbram, nihil. 4. Est demonstratio finis, ad quem conditi sumus; atq; obligationis, qua obstricti sumus ad amandum & timendum Deum, eiq; quàm diligentissimè serviendum. 5. Est lenimen tribulationum omnium, quibus premimur in hac vita. 6. Est prælibatio Beatitudinis cœlestis, consistentis in clara DEI cognitione. Unde apud Jeremiam c. 9. monet DEUS ipse: *Non glorietur sapiens in sapientia sua; & non glorietur fortis in fortitudine sua; & non glorietur dives in divitijs suis: sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire, & nosse me, quia ego sum Dominus.* Quid ergo dies noctesq; vagaris, & raperis mens mea per devia & invia, per pulchra & fœda mundi, neglecto DEO? Ipsum apprehende, ipsi inhære; delectare in Domino: sunt cætera fraudes & sordes.

2. ADora D. JESUM, & considera: eorundem bonorum causam esse piã attentamq; de ipso meditationem. Cùm enim Joan. 17. dixisset: *Hæc est vita æterna; ut cognoscant Te solum Deum verum,* subjunxit: *Et quem misisti JESUM CHRISTUM.* Ipse enim non solùm ut DEus, sed etiam ut homo, est salus nostra, Legifer, Pater, Magister, Dominus, vita, gratia, gloria & beatitudo nostra. Et quid non habemus in ipso, quod optare honestè possumus? Beatus intellectus, qui in ejus fixus est cõsideratione, cujus externa visio beatos fecit oculos Apostolorum, cujus intuitus desiderium perpetuum est Angelorum,

lorum, cujus aspectu sine satietate pascitur oculus Divinarum Personarum! O jucundissimum & saluberrimum lumen oculorum meorum, sol meus, JESU, non deberem unquam averti à Te. Parce vagabundæ animæ, & adstringe tibi.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: de ipsa quoq; attentam Meditationem esse grandium bonorum causam. Ipsi accommodatur illud Prov. 8: *Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino.* Ipsius cognitio clarior ducit ad perfectiorem DEI & Christi cognitionem, à terrenis ad cælestia transfert animum, exhibet absolutissimam sanctè vivendi formam, recreat in adversis, dirigit in prosperis, & maternos nobis conciliat affectus atq; amplexus. Proinde omnes mei sensus ei personate gloriam: frequentate tam beatæ Virginis memoriam. Sicut oculi ancillæ in manibus Dominæ suæ; ita oculi mei deinceps erunt ad Te, ô Gratiosissima.

Propositum ut heri: de Diligentia in meditandis Perfectionibus DEI, J. & M.

LECTIO PRACTICA.

De Utilitate piarum Meditationum.

S. Augustini oraculum est: *Intellectus cogitabundus, est principium omnis boni.* Multi igitur sunt, & locupletes SS. Patres in extollenda Utilitate piarum Meditationum quibus attentiùs consideramus Perfectiones & Mysteria divina, Vitam & Excellentiam Christi D. ac Matris ejus; Imperfectiones nostras & egestatem, Modum proficiendi in Virtutibus, extirpandi vitia, & similia. Quædam earum commoda accipe.

1. Meditatio accurata plurimùm confert ad vitanda & extirpanda vitia. Dum enim Voluntati repræsentat fœditatem illorum, implacabile odium, quo illa datestatur DEUS, & mala quibus involvunt perduntq; hominem: & ex alia parte Amabilitatem DEI super omnia, pulchritudinem virtutis, amplissima præmia piorum: facile voluntas rectificatur, cautior redditur, & ad currendam viam non solùm mandatorum sed etiam cosiliorum divinorum inardescit. Unde solicitè orabat Dominum David Psal. 118. *Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam, & custodiam illam in toto corde meo.* Ad Abbatem Achillam cùm quidam Frater venisset cum querela: *Cur sedens in cella mea patior Acediam,* frigidus & torpens ad pietatis exercitia? Respondit senex: *Quia necdum vidisti,* per attentam Meditationem, *Requiem, quam speramus; nequè tormenta quæ timemus. Si enim ea diligenter inspiceres, etiamsi vermibus plena esset cella tua usquè ad collum, tu tamen in ipsis jaceres, permanens sine accedia,* impiger ad DEI cultum. Ruffin. l. 3. n. 107.

3 Conservat bene cœpta, paritq; Constantiam in bono. *Tepescimus pro-*

cessu temporis, inquit S. Bernardus serm. 3. de Annunc. *à fervore conversationis nostræ: paulatim refrigescit charitas, abundat iniquitas, ut consumemur carne, qui spiritu cœperamus.* Huic malo præsentissimum præscribit idem remediũ Lib. 1. de Consid. c. 7. ipsam scilicet Considerationem attentam, seu Meditationem, cui vult Eugenium suum, Pontificijs, id est, orbis totius curis gravatum & distractum, studiosiùs incumbere: ne aliquid detrimenti capiat spiritus in Religione collectus. *Nunc* inquit, *quoniam dies mali sunt, sufficit admonitum esse: non totum te nec semper dare Actioni; sed Considerationi aliquid tui, & cordis, & temporis sequestrare.* Sanctus quoq; Pater Jgnatius post emissa à collectis socijs prima vota, *humanæ inconstantiæ imbecillitatem veritus*, ut eos in suscepto instituto firmaret solidiùs, *primum eis precandi & commentandi*, seu Meditandi, *studium, quo se veluti quotidianâ escâ reficerent, persuasit:* ait Orlandinus lib. 1. hist: n. 92.

3. Ordinat agenda, detegit cavenda, sustinet patienda. Egregiè Bernardus citatus: *Primùm quidem*, inquit, *ipsum fontem suum, id est mentem, de qua oritur, purificat Consideratio.* Deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam honestat & ordinat. Postremò divinarum pariter & humanarum rerum scientiam confert. Hæc est, quæ confusa discerminat, hiantia cogit, sparsa colligit, secreta rimatur, vera vestigat, verisimilia examinat, ficta & fucata explorat. Hæc agenda præordinat, acta recogitat: ut nihil in mente resideat aut incorrectum, aut correctione egens. Hæc est, quæ in prosperis adversa præsentit, in adversis quasi non sentit. Ita Bernardus.

4. Virtutes animæ inserit, custoditq;, præsertim Orationis spiritum. S. Teresia loquens de Meditatione, prout est distincta à Contemplatione Divinorum, in Itiner. Perfect: c. 16. inquit: *Ipsa omnium virtutum comparandarum principium est, & omnium nostrorum Christianorum vita in eo sita est; ut ei*, id est meditationi, *nos dare incipiamus.* Pulchrè S. Laurentius Justinianus. de Castit. con: c. 22. Nihil aptius DEUM possidere facit, & mentem refrenat, quàm attenta Meditatio, quæ in oratione proponitur. Hæc siquidem amovet ab exterioribus, & ad se redire compellit. Hæc est disciplina mentis, spiritualis pædagogus, orationis funiculus, incipientium eruditio, & intentionis mentis provida gubernatrix. Ex ipsius assiduitate stabilitur mens, cogitationes purgantur, solitudo sapit, delectat DEUS, ingenium acuitur, castificatur sensus, illustratur ratio, loquela restringitur, & animus ad alta erigitur. Ipsa est spiritualis janua Orationis. *Hæc Justinianus.* Hugo de S. Victore perfectam esse posse Orationem, negat Tr. de laud. Orat: nisi eam aut præcedat, aut comitetur Meditatio. Et est

hæc doctrina S. Augustini (apud Alphon. Rodericium tom. 1. Tr. 5. c. 8.) dicentis Orationem sine Meditatione tepidam esse: & quòd, nisi quis se in propria miseria infirmitateq; consideranda exerceat, illudetur; & sibi convenientia petere in oratione nesciet; nec petet eo fervore, quo par est. Unde monet S. Bernardus serm. 1. de S. Andrea: *Ascendamus igitur velut duobus pedibus, Meditatione & Oratione. Meditatio siquidem docet, quid desit, Oratio, ne desit, obtinet, Illa viam ostendit, ista deducit. Meditatione denique agnoscimus imminentia nobis pericula, Oratione evadimus.* Hinc sequitur: semper Meditationi conjungendam esse Orationem: scilicet & in ipso Meditationis exordio; ut petamus à DEO lumen necessarium ad fructuosè meditandum: & in fine cujuslibet Puncti; ad exequendum id, quod faciendũ cognovimus: prout in præsentibus Meditationibus passim factum seu indicatum videbis. Nec erit in hoc multum laborandum: naturaliter enim fluit Oratio, seu supplex ad DEUM recursus, ex Meditatione attenta.

5. Singulares DEI favores conciliat. Qui enim, ut decet, meditatur, non solùm facilè á DEO impetrat necessarias gratias ad vitanda extirpandaq; vitia, & virtutes obtinendas: sed Divina Bonitas solet tandem talem animam assumere ad altissimum genus Contemplationis; ut sine prævio multo vel ullo, discursu, veluti simplici clarissimoq; intuitu feratur in DEUM præsentem, & in ejus Perfectionibus ac Mysterijs mens immota defigatur, sicut defigi solet oculus in objecta pulcherrima quadam imagine. Unde in voluntatem inexplicabilis redundat voluptas, soli, qui ea pascitur, nota. Quod est admitti animam, ut sponsam lectissimam, ad Osculum oris divini, & introduci in cellam vinariam Sponsi: ubi tota, velut ebria, charitate inardescit, & voluptate cælesti liquescit.

Ex his colligere licet 1. An rectè omittatur, vel decerpatur aliquid de Meditatione, præsertim in Religiosis Ordinibus præscripta, propter studia vel alia temporalia negotia? Jacobo Tyrio nostro, Philosophiæ studenti Romæ, Juveni eximiæ virtutis, factus adspectabilis S. Jgnatius, acriter eum coarguit, quòd langvente primo ardore, aliquid ex orandi tempore decerpsisset ad studendum, ignobili furto. *Nadasi in Anno dier, Mem: 20 Martij.* De altero, suo in Logica condiscipulo Romæ, Joanne Maria Campori, egregio postea in Jndia Orientali operario, scribit Nicol. Lancicius tom. 1. Opusc. 5. n. 55. dum disputaturus in schola, die disputationis, non quidem præscriptam Meditationem omisisset, sed certas quasdam devotiones, spontaneas & liberas, quò plus haberet temporis ad se pro disputatione parandum; allapsam illi cælitus esse vocem commonentem: *Putasne,*

te posse sine meo auxilio bene disputare? an non facilius, meum orando potes obtinere auxilium, quàm studendo? Sic edoctus studiosior orationis deinceps fuit. Si obtentu publicæ disputationis negligi non debet privata oratio: quantò minùs lege præscripta Meditatio!

2. An Francisco Suarez, Magno illi Theologo, imprudenti exciderit dictum illud: *Malle se omnium quæ scripsisset, quæve sciret, jacturam facere, quàm unicam consuetæ in Societate orationis horam omittere.* Intellige; Ex incuria & desidia. Nam Magnis DEI servis valde pretiosi sunt singulares Divini favores, quos in Oratione experiuntur: ideoq; ipsos quorumvis naturalium bonorum dispendio redimere, non dubitant. Si tepido alicui meditatio sua vilior est studio & dotibus scientiarum sublimiorum: at Suariana incomparabiliter eis pretiosior erat; quia usq; ad intimam & familiarē cum DEO unionem, & quandam ipsius fruitionem ascendit. *Summum igitur nostrum studium sit, in Vita JESU Christi meditari;* concludit Kempensis lib. 1. de Imit: c. 1. Addit: cap. 3. *Taceant omnes doctores; sileant universæ creaturæ; tu mihi loquere solus,* DEUS; & in Meditatione mea exardescet ignis.

FERIA IV.

DEI, CHRISTI, & DEI Matris Existentia, & solatio & terrori est,

1. ADora DEUM O. M. & considera: quòd Existentia ipsius certissima, infallibilis & absolutè necessaria, magno solatio pariter ac terrori sit homini. Audiunt probi: *DEUS EST*; & exultant: Quia intelligunt, esse Unum summum Bonum, á quo omne Bonum, & sine quo nullum bonum; esse Unam Primam omnis recti & honesti Regulam; esse universalem, unum, eumq; liberalissimum æquè ac justissimum omnis honestæ actionis Remuneratorem; esse Unum severum oppressæ innocentiæ vindicem; esse Dominum, qui exigua obsequia solvit regno opulentissimo, amplissimo, cælesti & æterno. Audiunt improbi, *DEUS EST*: & pars dentibus suis fremunt, pars ignavo timore tabescunt. Intelligunt enim, præstò esse omnis inhonesti & iniqui Judicem incorruptum, cujus ut præmia, ita & supplicia sunt æterna, non corpora tantùm, verùm & animas, easq; maximè, afficientia. At quidquid sentiant, dicant, fremant impij; *DEUS EST.* Quiquid mentiantur Athei; *DEUS EST.* Gaudeo intimè tali *Esse* tuo, Magne & indefectibilis DEUS. Tibi serviam in lætitia, & exultabo cum tremore.

2. ADora D. JESUM, & considera: ipsius quoq; Existentiam & Adventum, gaudio simul & terrori esse homini. Quomodo enim non

gaudeat captivus, audiens: *Redemptor venit!* Quomodo non exultet damnatus ad rogum, si audiat: *Salvator venit!* Cur fugeret, & se absconderet Adam, si audiret: DEUS venit, *DEUS pacis & dilectionis*, DEUS humanissimus, DEUS-Homo! At ex alia parte quomodo non terreatur homo peccator, audiens: *Judex venit!* Judex universalis, rigidissimus, & omniscius. *Pater enim omnè judicium dedit Filio.* Joan: 5. Non ducitur respectibus humanis: *Reddet unicuiquè secundùm opera sua.* Rom: 2. Non solùm iniquitates, sed etiam *justitias judicabit.* Psal. 74. Vides Anima mea quanta se produnt in Christo solatij & metûs argumenta? Ita gaude, ut non dissolvaris: ita time, ut non desperes.

3. Venerare DEIparam V. & considera: in illa quidem minus apparere, quod formidemus: non enim est ipsi demandatum Justitiæ tribunal, sed Clementiæ; non sunt illi traditæ claves mortis & inferni, sed cellæ vinariæ, & gazophylacij gratiarum; tota svavis, dulcis, gratiosa, imò gratia est: timendum tamen; ne tam gratiosæ, per continuas, nec leves offensas Filij displiceamus, & justam ejus aversionem incurramus. Tu igitur ipsa, ô Gratiosissima, duplici telo feri cor meum: ut ardeam amore tui, & timeam non amari à Te.

Propositum v. g. de conjungendis Amore & Timore DEI, J. & M.

LECTIO PRACTICA.

Quomodo DEUS & Amandus, & Timendus.

Non poterat Marcion hæresiarcha combinare Bonitatem & Misericordiam DEI, cum Justitia & rigore vindictæ ejusdem: consequenter Amorem DEI cum Timore. Duos ergo commentus est Deos: alterum ex sola Bonitate conflatum, velut totum aureum, & merè amabilem; alterum solius vindicis Justitiæ horrore terribilem, ac merè metuendum. Acerrimus insurrexit in Marcionem Tertullianus, Libris quinq; eruditissimis vindicans DEO dotem utramq;, summæ Bonitatis, & rigidæ Justitiæ; adeoq; & amorem & timorem ejus commendans hominibus. Inter cætera lib. 2. n. 13. inquit: *Omne hoc Justitiæ opus, procuratio bonitatis est, quod judicando damnat, quòd damnando punit. Deniquè Timor judicij ad bonum, non ad malum confert.* Et infra: *Horremus terribiles minas Creatoris, & vix à malo avellimur: quid si nihil minaretur? Hanc justitiam malum dices, quæ malo non favet? Hanc bonū negabis, quæ bono prospicit? Non qualem oportet, DEUM velles: qualem malles, expediret? Sub quo delicta gauderent, cui diabolus illuderet? Illum bonum judicares DEUM, qui hominem posset magis malum facere securitate delicti? Sic totum DEUS bonum est, dum pro bono Omnia est. Sic deniquè Omnipotens: quia & juvandi & lædendi potens. Usquè adeò Justitia etiam plenitudo divinitatis ipsius*

est, exhibens DEUM perfectum & Patrem & Dominum. Patrem clementiâ, Dominum disciplinâ; Patrem potestate blanda, Dominum severa; Patrem diligendũ piè: Dominum timendum necessariè. Diligendum, quia malit misericordiam, quàm sacrificium: & timendum, quia nolit peccatum: Diligendum, quia mallt pœnitentiã peccatorũ, quàm mortẽ; & timendũ, quia nolit peccatores sui jam non pœnitentes. Ideo Lex utrumquè definit: Diliges DEUM, & Timebis DEUM.

Ita eleganter, suo more, Tertullianus, fundatus in recta ratione & sacra paginâ, quæ passim & Amorem & Timorem DEI commendat tum probis tum improbis. De Amore, seu Dilectione DEI *primum est, & maximũ Mandatum Divinum; in ipsa pendet Lex tota & Prophetæ*, Matt: 22. Charitas divina *operit multitudinem peccatorum* 1. Pet. 4. Comparat homini *ineffabilia bona* apud DEUM. 1. Cor. 2. *Sine illa, nihil sumus*. 1. Cor. 13. Timoris Domini dotes quatuordecim, ut notat Cornelius á Lap. enumerat insigni elogio Ecclesiasticus cap. 1. á v. 11. *Timor Domini*, inquit, *gloria & gloriatio, & lætitia & corona exultationis: Timor Domini delectabit cor, & dabit lætitiam & gaudium, & longitudinem dierum. Timenti Dominum bene erit in extremis: & in die defunctionis suæ benedicetur*. Et v. 19. *Plenitudo sapientiæ est, timere DEUM, & plenitudo à fructibus illius &c.* Salomon quoq; Proverb: 28. *Beatum* pronuntiat hominem, *qui semper est pavidus*.

Obstare nihilominus videtur conjunctioni Amoris & Timoris divini, quod S. Joannes in sua 1. ep. c. 5. dicit: *Timor non est in Charitate; sed perfecta Charitas foras mittit timorem; quia Timor pœnam habet*: Sed notandum est: varios esse, etiam in probis & justis, Timores; nec de omnibus ad Charitatem comparatis eandem esse rationem. *Primò* Est quidam timor *Mundanus*, quo, etiam probi subinde timent parentes & cognatos aut patronos suos &c. ita; ut ne illos offendant, non metuant violare præcepta divina. Talem timorem expellit perfecta Charitas: & talium timidorum pars est in stagno ardente. Apoc. 21. 8. *Secundò* alius est Timor conscientiæ consternatæ, adducens anxietatem nimiam de peccatis commissis, & impellens in desperationem. Et hunc tanquam tormentum conscientiæ expellit perfecta charitas. *Non enim*, ut ait Apostolus Rom. 8. 15. *Accepistis spiritum servitutis iterum in timore: sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater. Tertio*, alius est Timor pusillanimium, qui ob occurrentes in exercitio virtutum difficultates aliquas, ob cessationem alicujus commodi, aut incursionem alicujus infamiæ abstinent ab operibus bonis. Et hunc timorem foras mittit Charitas perfecta, induitq; hominem ea virtute, ut nec tyrannos, nec tormenta, aut ullius rei jacturam timeat; imò libens & gaudens omnia perdere, omnia pati desideret propter Dilectum

ctum suum. *Quartò* alius est Timor Filialis, quo Justi timent, ne per aliquam culpam suam excidant gratiâ divinâ, aut per multiplicatas leviores offensas incidant in peccatum aliquod grave, aut ne minùs fiant gratiosi apud DEUM. Hunc Timorem, tantùm abest, ut expellat Charitas: ut eum ipsa generet augeatq; magis, quò magis augetur ipsa: prout communiter docent Theologi cum S. Thoma 2. 2. q. 19. a. 6. Et de hoc Timore procedunt vel maximè allegata sup. encomia Timoris Domini. *Qui magis amant Justitiam, magis timent eam amittere*: ait S. August: tr. 43. in Joan: *Quintò* deniq; alius est Timor Servilis, sed moderatus, non nimis anxius vel prædominans: quo timetur rigor Judicij divini, & acerbitas suppliciorum pro peccatis irrogandorum. Etiam hunc Timorem non opponi Charitati; satis indicant Sacræ Literæ. Psal. 118. petit David: *Confige Timore tuo carnes meas; à Judicijs enim tuis timui*, Job c. 9. *Verebar*, ait, *omnia opera mea, sciens: quòd non parceres delinquenti*: &c.

Non esset equidem hujusmodi Timori locus, si constaret nobis: Charitatem nostram erga DEUM omnino perfectam esse, talemq; perpetuò mansuram: at tali scientia destitutis, (nullus enim absq; speciali revelatione DEI, certò cognoscere potest, se habere charitatem vel gratiam DEI: ut docet S. Tho: 1. 2. q. 112. a. 5.) non raro necessarius est Timor Judiciorum & suppliciorum divinorum. Sæpe enim, urgente tentatione minus efficax est motivum Charitatis, aut spei Divinæ; horror autem inferni & ærumnosissimæ æternitatis feliciter detinet labentem. Unde S. P. N. Ignatius p. 1. Constit: c. 1. §. 26. Et Reg. Summ: 17. quàmvis omnino velit: nos servire & placere divinæ Bonitati *propter se ipsam potiùs, quàm ob timorem pœnarum vel spem præmiorum*; addit tamen parenthesin: *Quàmvis hinc etiam juvari debeant.* Excitante igitur & præcinente sacro Psalte Psal: 99. *Serviamus Domino in lætitia*, propter diffusam in cordibus nostris per Spiritum S. charitatem: sed monente eodem Psal: 2. *Exultemus ei cum Tremore.* Amori opportunè jungatur Timor: ne lætitia pariat dissolutionem. *Apprehendite disciplinam*, monet ibidem Justos Psalmista: *ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via justa.* Eleganter hoc ipsum versu cecinit heroico S. Paulinus Episcopus Nolanus.

Deservite DEO trepidi, mistoquè Fideles
Exultate metu: fiat discordia concors,
Dissimiles socians affectus pectore in uno.
Ne Timor affligat mentes, vel gaudia solvant,
Si careant læta pavidi formidine lethi.
Discite Justitiam, rectosquè capessite mores:

Et Ja-

Et Justo trepidate DEO, gaudete Benigno.

Non satis discretè agit; qui se totum lætitiæ tradit, obliviscens pristinæ inopiæ suæ, & casti Timoris Domini, qui timet gratiam oblatam amittere: *inquit Kemp: lib. 3. de Imit: c. 7.*

FERIA V.

DEUS est Principium totius esse: Christus Principium esse Supernaturalis: DEIPARA VIRGO Comprincipium.

1. ADora DEUM O. M. & considera ipsum, ut primum & Universale, radicale & immediatum Principium totius esse; totiusq; boni, sive existentis, sive possibilis. Ipsi omnia non solùm debent existentiam: sed possibilitatem suam. Nisi enim ipsius essentia, seu Natura tantæ esset perfectionis, communicabilitatis & potentiæ; nihil omninò, vel minimum possibile esset. *Ex ipso & per ipsum & in ipso sunt omnia,* (Rom: 11.) tanquam in radice, fonte, & causa prima. O quanta felicitas nostra, quòd simus surculi talis radicis, rivuli talis fontis, radij talis Solis! At quanta, simul necessitas, ut inhæreamus DEO toto corde! Avulsum enim à radice ramum necesse est arescere: divisum à fonte rivum necesse est siccari: radius non pendens à sole, necesse est ut desinat in tenebras. Tibi igitur primo, summoq; Principio meo, & omnium; constantius inhærebo deinceps, toto voluntatis conatu, tota mentis unione, tota cordis implantatione. Ejuro quidquid me potest separare à te.

2. ADora D. JESUM; & considera: ipsum non solùm secundùm Divinitatem suam esse Principium absolutè totius esse: sed etiam quatenus est Homo, esse specialiter Principium ordinis & esse Supernaturalis; quia non nisi propter ipsum & per ipsum, (sic volente DEO) elevatæ sumus Creaturæ rationales ad statum supernaturalem æternæ beatitudinis: nec aliunde, quàm ex meritis ipsius dantur, & data sunt, media seu Gratiæ ad illam obtinendam: & ad operandum supernaturaliter, necessariæ. Ipse est; *propter quem omnia, & per quem omnia, Heb. 2. Ipse est ante omnes & omnia in ipso constant, & ipse est caput corporis Ecclesiæ* (ex quo gratiarum influxus) *qui est Principium.* Coloss, 1. O Magnum Principium, quo nos lutea vasa, terræ vermiculos elevasti! Consumma, mi JESU, præsertim in me, opus, quod cœpisti; Tibi æternas deferam grates in templo gloriæ tuæ.

3. VEnerare DEIparam V. & considera illam: ut Comprincipium, quàmvis secundarium, concurrens per Filium & cum Filio ad ponendos nos in statu supernaturali gratiæ & gloriæ. Non enim sine ipsius assensu & concursu voluit DEUS operari salutem in medio terræ, & ex

filijs

filijs iræ generare Filios DEI & cohæredes Christi: ut meritò Bernardus ferm. in Nativit: B. V. de aquæductu, moneat: *Si quid in nobis est: si quid gratiæ; si quid salutis, ab ea noverimus redundare.* Ad te igitur, o Gratiosissima, respicimus Universi, quos DEUS ad tam felicem sublimemq; statum elevavit. Sustine, & promove; ne excidamus.

Propositum v. g. de Gratitudine pro communicato tibi esse naturali & supernaturali.

LECTIO PRACTICA.

Fundamentum Gratitudinis DEO debitæ sit Fuga offensarum ejus.

Quàm digna homine, tam necessaria eidem cogitatio est: *Quid retribuã Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?* Nam ut loquitur Christus apud Kemp. l. 3. c. 9. de Imit: *Ego totum dedi: & cum magna districtione gratiarum actiones requiro.* Dedit nobis hoc, quod nullatenus habere potuimus á nobis, vel quovis alio. Dedit non solùm Existentiam actualem, sed etiam Possibilitatem. Dedit non solùm esse, sed etiam posse beatè esse, beatitudine omnes naturæ facultates excedente, felicissimâ, gloriosissimâ, æternâ. Certùm autem est: nos non solùm nihil æquale rependere posse; sed nec aliquid, quod alicujus sit momenti, & quod non habeamus ex munere & gratia ipsius. Ne tamen omnino ingrati vivamus; faciamus oportet, quod per gratiam ejus possumus.

Non requiro nunc arduos & pretiosos Gratitudinis actus: ut cum Tobia juniore dimidiam bonorum omnium partem offeras, & eroges DEO in pauperibus, vel Ecclesijs: aut cum Davide heroica resolutione Calicem Salutaris accipias, graves tribulationes propter DEUM sustinendo, aut cruentam mortem pro ipso oppetendo: unum peto, quod nemo, qui se hominem novit, negare potest; ne scilicet tam beneficum in nos DEUM ultrò, & plena deliberatione, offendamus. Hæc omissio seu fuga peccatorum non est quidem Actus proprius Gratitudinis; est tamen veluti basis & fundamentum ejus, ita; ut sine illa nullus subsistere possit actus Gratitudinis, aut Benefactori gratus esse: imò magis exacerbabit ipsum, & ingratitudinis enormitatem exaggerabit. Actus Gratitudinis sunt, Æstimatio beneficij interna cum Contestatione externa hujus æstimationis, Gratiarum actio, Beneficij commemoratio opportuno tempore, & Repensio. Quis verò non videt, crescere Ingratitudinem, si memor beneficij injuriam irroges benefactori; si pro bono reddas malum, pro gratiarum actione contumeliam, odium pro dilectione? Hoc autem fieri à quovis graviter peccante, testantur iteratæ gravesq; ipsius DEI querelæ. Isaiæ 1. 2. *Audite cæli, & auribus percipe terra: quoniam Dominus locutus est. Filios enutrivi, & exaltavi: ipsi*

autem spreverunt me. Et Psal. 108. *Pro eo, ut me diligerent, detrahebant mihi: & posuerunt adversùm me mala pro bonis, & odium pro dilectione mea.* Miratur portentosam hanc ingratitudinem Moyses Deuter. 32. *Heccine reddis Domino popule stulte & insipiens? Nunquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, & fecit, & creavit te?* Parentibus, qui nos genuerunt brevi morituros, & innumeris calamitatibus exposuerunt, nihil æquale reddi posse, veteris Philosophiæ, imò Naturæ oraculum est: pro crimine non vulgari semper habitum, honorem illis debitum non deferre, ne dicam, injuriam inferre; quàm enorme igitur, & intimè sensibile, facinus erit, graves offensas cumulare in DEUM, qui verior Pater noster, & *creavit* nos, secundùm animam ad imaginem & similitudinem suam; & *fecit* nos secundùm corpus mira sapientiâ, & velut manibus proprijs, elaboratum; & *possedit* nos, sangvine Unigeniti sui redemptos; enutrivit nos ad hanc usq; horam mira Providentiâ; & exaltavit, assumens in filios & hæredes regni sui cœlestis? Josephum illum Putipharis Oeconomum Gen: 39. beneficentia DEI & heri sui, planè impeccabilem fecit: *Quomodo possum hoc malum facere, & peccare in DEUM meum,* mihi tam propitium in terra aliena; tamq; ingratus esse in herum meum tam beneficum in me? Leones & dracones leguntur exuisse naturam suam, & benefactoribus suis non solùm nihil intulisse noxæ, verùm etiam oblatâ in tesseram gratitudinis prædâ blanditi esse. *Officia etiam feræ sentiunt: nec ullum tam immansvetum animal est, quod non cura mitiget, & in amorem sui vertat:* inquit Seneca lib. 1. de Benef. c. 3. *Quid hic dicent, qui nullo suum Opificem, Altoremquè DEUM prosequuntur amore!* Addit S. Basilius hom. 9. in Hexam: Imò quàm habent frontem & sanæ mentis micam, qui graviter peccando, non verentur velut lanceam crudelem torquere in cor beneficentissimi Patris, DEI; simulq; Filium, ejus Salvatorem suum, teste Apostolo Heb: 10. *conculcant, sangvinem testamenti, in quo sanctificati sunt, polluunt,* deniq; *Spiritui gratiæ contumeliam faciunt.* Nonne hæc immanis, & plus quàm bruta, ingratitudo est.

FERIA VI.

DEUS est Principium & Finis: Christus Primus & Novissimus: DEIpara VIRGO Medium utilissimum ad finem ultimum.

1. ADora DEUM O. M. & considera eum esse: Principium primum, & Finem ultimum rerum omnium. *Ego sum Alpha & Omega Principium & Finis, dicit Dominus DEUS.* Apoc. 1. 8. Principium est: à quo omnia. Finis est; ad quem; & propter quem omnia. *Cunctas gentes creavit in laudem, & nomen & gloriam suam.* Deuter 26. *Universa propter semetipsum opera-*

operatus est Dominus. Proverb. 16. Nec potest agens perfectissimum, quale est DEUS, agere, nisi propter finem ultimatum perfectissimum & altissimum. Ergo & homines, & mundum totum cum omnibus, quæ in eo sunt, creavit DEUS propter semetipsum; id est: ad Laudem & gloriam suam. Insignis igitur & Injuriosa perversitas est: si homo velit vivere sibi tantùm, creatis bonis uti propter sua commoda vel voluptates tantùm & non referat se & sua ad Laudem & gloriam DEI. O DEUS! Principium & Finis meus Infinitus, agnosco magnitudinem obligationis meæ; ut non vivam, nisi tibi & propter te; ad promovendam Laudem & gloriam tuam in me & per me. Pœnitet aliter vixisse. O sint deinceps omnes cogitationes & actiones meæ, omnes motus & respiria mea, ipse ego totus & anima mea, Laus honor & gloria tua!

2. ADora D. JESUM, & considera: ipsum esse Primum & Novissimum. *Ego sum Alpha & Omega; primus & novissimus.* Apoc. 22. Est primus ut DEUS: quia Principium omnium. Primus quoq; ut homo? quia excellentior omnibus Creaturis, earumq; caput & Princeps Supremus. Est etiam Novissimus; quia ad ipsius honorem & gloriam tanquam veri DEI, ac Insuper Salvatoris totius rationalis Reip: referri debent ultimò omnes & omnia. *Omnia vestra sunt, vos autem Christi.* 1. Cor. 3. Insuper primus est æternitate & dignitate; novissimus humililitate, & improborum æstimatione; apud quos fuit despectus & novissimus virorum. Jsaiæ. 53. Ah! quòd & apud me non rarò sic novissimus fueris, Rex meus & DEUS meus, JESU, quando scilicet vilibus Creaturis te in affectu meo postposui! Deinceps tu mihi Alpha eris & Omega in omni actione. A te Principium: tibi definet.

3. VEnerare DEIparam V. & considera eam, ut *Medium aptissimum;* quo perveniamus & hic in via, & olim in Patria, ad finem nostrũ ultimum, Christum & DEUM. nihil enim apparet propinqvius & conjunctius DEO: nihil habemus ad manum promptius: nil efficatius. Nota est illi imbecillitas nostra: & vult & potest juvare; quia omnia potest apud eum; qui omnia potest. Ipsâ dirigente non deviabimus, ipsâ promovente non deficiemus; ipsâ auxiliante tenebimus metam votorum nostrorum; videbimus DEUM Deorum in Sion cœlesti. Parce Domina, quòd tam parcè usus sim gratiâ & operâ tuâ, in negotio Salutis meæ. Adjuva ô Potentissima, non quantùm peto, sed quantùm indigeo.

Propositum v. g. se ordinandis ad debitum finem per rectam intentionem actionibus nostris: ut fiant sincere propter DEUM, seu ad M. D. G.

LECTIO PRACTICA.

De rectâ Intentione actionibus nostris præfigenda.

Intentio est Actus voluntatis, quo actiones nostras ad certum finem ordinamus. Cùm igitur DEUS O. M. sit Primum & Principale Principium, atq; Finis Ultimus rerum omnium creatarum, omnes creaturarum rationalium motus & actiones ad ipsum ordinari, non solùm convenit, sed necesse est. Arbores sumus, quarum & substantia, & folia, & fructus debentur DEO: qui & plantavit, & rigavit, & incrementum omne dedit. Fili mi, *loquitur Christus apud Kem: l. 3. de Imit. c. 9.* Ego debeo esse finis tuus supremus, & ultimus, si verè desideras esse beatus. Ex hac intentione purificabitur affectus tuus, sæpius ad se ipsum, & ad creaturas malè incurvatus. Nam si te ipsum in aliquo quæris: statim in te deficis & arescis. Omnia ergo ad me principaliter referas: quia ego sum, qui omnia dedi. Hinc sequitur 1. quòd si quis sibi tantùm & suis vivere velit: non rectam, sed vitiosam, & creatura rationali indignam intentionem habet. *Nemo enim nostrûm*, monet Apost: Rõ. 14. *sibi vivit, & nemo sibi moritur. Sive enim vivimus, Domino vivimus; sive morimur, Domino morimur. Sive ergo vivimus, sive morimur, Domini sumus.* 2. Si quis spirituales tantùm actiones suas, ut sunt orare, piè meditari, sacrificium DEO offerre, & similia, DEO offerat: reliquas autem obiter solùm, & sine directione ad DEUM, peragat: Intentionem rectam non habet, nec satisfacit Apostolo docenti 1. Cor. 10. *Sive Manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, Omnia in DEI gloriam facite.* Quam sententiam non solùm consilium, sed præceptum continere, docet S. Thomas 2. 2. q. 69. art. 1. Unde si quis 3. aliquid agat propter suam tantùm gloriolam, ut videatur, æstimetur, laudetur, honoretur ab hominibus: vel agat tantùm propter voluptatem, quantumvis honestam, quæ ex tali actione percipitur: non rectam, sed vitiosam habet Intentionem. De quærentibus suam inanem gloriam ait S. August: cap. 13. soliloq. *Quicunquè laudari cupit per id, quod tuum donum est; & in eo quod ait bonum, non tuam, sed suam gloriam quærit: hic fur est, & latro, & dæmoni similis, qui tuam furari gloriam voluit.* Aucupantes quoq; voluptatem tantùm aliquam in aliqua actione, v. g. comedendo, bibendo, ludendo &c. non vacare culpâ, docet Innocentius XI. qui inter alias Propositiones à se Anno 1679. prohibitas etiam hanc n. 8. posuit: *Comedere & bibere usquè ad satietatem, ob solam Voluptatem, non est peccatum: modò non obsit valetudini; quia licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui.*

Omnia ergo ad DEUM aliquo modo referenda sunt: nec fruendum creaturis, ita scilicet ut sistamus in voluptate vel commoditate temporali,

quam

quam ex ipsis percipimus: sed utendum ipsis tanquam medijs conducentibus ad Finem nostrum Ultimum obtinendum. v. g. Comedendum & bibendum, non solùm quia sapit; dormiendum & ludendum, non solùm quia placet, aut necesse est; legendum & studendum, non solùm ut multa doctrina seu eruditio acquiratur: sed propter DEUM, ad majorem DEI gloriã & gustum; seu quia DEO placet, vel DEUS ita præcepit aut ordinavit &c. Semper in hujusmodi actionibus habendus est respectus aliquis & pius affectus ergà DEUM. Nam, ut notavit S. Bernardus serm. 40. in Cant: Ex bona Intentione *Rectitudo operis, sicut ex facie pulchritudo corporis æstimatur.* Unde S. P. N. Jgnatius 3. p. Constit: c. 1. §. 26. Et Reg. 17. Summar. diligenter monet: *Omnes rectam habere Intentionem studeant, non solùm circa vitæ suæ statum; verùm etiam circa res omnes particulares; id semper in eis sincerè spectando, ut serviant & placeant Divinæ Bonitati propter se ipsam.*

Videtur id quidem nimis operosum, aut impossibile; ut singulis actionibus præmittamus vel adjungamus piam hujusmodi Intentionem: sed frequens exercitium facit hoc negotium non solùm facile, sed jucundum. Notati sunt nonnulli Viri Religiosi, atq; inter hos P. Nicolaus Lancicius S. J. eò pervenisse: ut incedendo, singulos passus explicitè offerrent DEO, breviter mente dicendo: *Propter te Dominè, Propter te, Propter te.* Eremicola quidam, apud Rodriq. tom. 1. tr. 3. c. 7. ad singula, quæ auspicabatur, opera, paulisper tacitus subsistebat: rogatus verò quid ageret? respondit: Opera ipsa ex se nihil valent, nisi bono fine, & intentione fiant. Proinde quemadmodum sagittator, ut scopum feriat, parumper antè subsistit, oculos colligens & in illum visu collineans: Sic ego opus meum ordinem oportet ad DEUM Finem meum. Imitandi & fabri murarij ac latomi, qui semper amussim & perpendiculum ad manum habent, & ad singulos lapides vel laterculos ipsum inspiciunt; alijs facile exerrant, & fabrica vitium accipit. Saltem ante præcipua opera & negotia colligendus, & convertendus ad DEUM animus, ordinando illa ad ipsum, ea præsertim, quæ ex se circa DEUM non versantur, ut oratio, psalmodia &c. Opportunissimum est matutinum tempus, dum post somnum DEO gratias agimus, & opem poscimus. Tunc enim ei exquisitâ quadam formulâ offerendi sunt omnes totius diei, imò & vitæ, animi corporisq; motus, actiones, verba, & cogitationes, instar arboris cum omnibus folijs & fructibus, specialiter negotia N. N. Oportet autem hoc facere non obiter & frigidè, sed reflexè & ardenter, ex proprio motivo Charitatis Divinæ: ut ea actualis Intentio vim quandam imprimat Potentijs executricibus ad exercenda ea opera, & hæc deinceps fluant ex illa per totum diem. Sic enim utcunq;

satisfiet Apostolo monenti: ut omnia in DEI & Christi gloriam faciamus. Dicamus DEO ante omnia opera nostra vetus illud: *A te principium: Tibi desinet.*

SABBATO.

DEUS est Spiritus purissimus: Christus Spiritus Incarnatus: DEIpara V. Spiritus unus cum DEO.

1. ADora DEUM O. M. & considera: ipsum esse Spiritum quendam purissimum; qui nec componitur ex aliqua materia, ut aura seu ventus; nec naturalem aliquem ordinem dicit ad materiam; ut anima rationalis; nec capax est alicujus compositionis ex accidentibus, etiam spiritualibus, ut Angeli: sed totus secretus est ab omni materia creata & creabili: quantùmvis subtilis & sublimis intelligatur; omnemq; excludit compositionem etiam ex perfectionibus aliquam olentibus Imperfectionem. O Maxime & purissime Spiritus! qui luteo huic simulacro, corpori meo, ad imaginem & similitudinem tuam creatum inspirasti, & jugâsti Spiritum, quomodo fit; ut tam tenaciter inhæreat, carni, ac totus sapiat carnem! Purifica & vindica illum archetijpo suo: ut, qua decet religione, odorem te Spiritu & veritate.

2. ADora D. JESUM & considera: quomodo sublimis ille purissimusq; Spiritus, DEUS, in Virginis utero factus est caro. Joan. 1. per assumptionem hypostaticam naturæ humanæ. Tanto ingenio, Sapientiâ & charitate operatus est hoc opus: ut & essentialis ejus summaq; puritas, nihil contraheret maculæ, & purificata, consecrataq; caro hominis, dignam DEO præberet hostiam, offerendam pro peccatis generis humani. Est igitur Christus & Spiritus DEUS, & caro divininata, non per conversionem Spiritûs in carnem, sed per unionem carnis, seu humanitatis, cum Spiritu DEO. Agnosce felicitatem tuam, o caro misera. Dictum est olim: *Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum; quia caro est: Gen: 6.* at jam gratiosissimè mutatâ sententiâ, ipse primus, Supremusq; Spiritus DEUS, factus est caro; ut te deificaret. Erige jam te; & noli ampliùs respicere volutabrum luti.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: eam, quàmvis pura esset Creatura, Spiritum unum fuisse cum DEO; non per identitatem vel unionem, qualis est in Christo; sed per conspirationem voluntatis & charitatem: *Qui adhæret Domino; unus Spiritus est cum ipso.* Rom: 6. Nemo, etiam Seraphinorum; tam arctè, ut ipsa, adhæsit DEO. Quò magis enim se DEUS communicabat ipsi, (communicavit verò super omnem modum)

eò

eò arctiùs conjungebat ipsa se DEO; nec aliud spirabat; quàm DEUM. At ego, quàm longè alia spiro! quàm longè alijs adhæreo: quàm DEO! Et tamen mihi videor, amare & ritè colere DEUM.

Propositum de colendo DEO sincera & pura mente.

LECTIO PRACTICA.

De Adoratione DEI in Spiritu & Veritate.

Cùm DEUS O. M. verissimus & purissimus sit Spiritus: non aliter supremus & gratissimus, ipsi deferri potest cultus, quàm in spiritu & Veritate. Docuit id disertè Christus Joan. 4. quando reprobata Samaritanorum falsa religione dixit: *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate. Spiritus est DEUS; & eos, qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare.* Ut autem ostenderet, quam conveniens & gratus sit DEO talis cultus, addidit: *Nam & Pater tales quærit, qui eum adorent*; scilicet tali modo. Tria igitur requisivit, & requirit Christus ad convenientem DEO Vero cultum. 1. Adorationem. 2. Adorationem in Spiritu. 3. Adorationem in Veritate.

Adorandus inprimis est DEUS, & quidem cultu supremo (qui *Latria* dicitur) ita; ut recognoscentes ejus summam, super omnia absolutè infinitamq; Excellentiam, nos ipsos & omnia nostra ipsi subjiciamus plenissimè profundissimè, & reverentissimè. Qui enim sumus nos? Quis DEUS noster? Quantum chaos firmatum est iter infinitam ejus Dignitatem, & infinitam nostram vilitatem! Dominus est dominantium, Rex regum, Dominus exercituum innumerabilium, Rex tremendæ Majestatis, habitans lucem inaccessibilem, omnia nutu gubernans. Nos naturá filij iræ, prava voluntate servi nequam, cervicosi, rebelles, ventres pigri, canes mortui, pulvis, cinis, nihil; &, quod nihilo pejus, peccatores enormes. Quanta igitur submissione à nobis Majestatem illam adorari decet? In conspectû Regum terræ nemo venit, sive subditus, sive frater, sive filius, sive regina; quin congruo cultu adoret: & non adorabimus religiosius regnantē in cœlis, à quo omnis potestas & imperium in terris?

Adorandus est *in Spiritu*: id est non externis tantùm ceremonijs, & materialibus sacrificijs frugum pecorumq; ut olim in lege veteri: sed spirituali potissimùm cultu actuum Fidei, Spei, Charitatis, Religionis, Laudis, Glorificationis, Submissionis, Contritionis &c. Admisit olim à rudiore, seu minus culto, mundo terrestria illa dona & subjectionis contestationes: à nobis, Divini Spiritus magisterio uberiùs excultis, spiritualia requirit. *Numquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? Immola DEO sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua*, Psalm. 49. *Holocau-*

stis

stis non delectaberis: Sacrificium DEO spiritus contribulatus. Psal. 50. *Sacrificium laudis honorificabit me.* Psal. 49. *Sacrificate sacrificium Justitiæ, & sperate in Domino.* Psal. 4. 6. Tales nimirum adoratores quærit Pater, qui adorent illum in spiritu humilitatis, & animo contrito, in spiritu amoris & timoris.

Adorandus quoq; est *in Veritate*: cultu scilicet vero, sincero, recto, proprio, DEOq; digno. *Verus* sit cultus & *sincerus*; non compositus tantùm ad speciem externam, seu vanam & pseudopoliticam ostentationem, vel Pharisæorum hypocrisim; de quibus queritur DEUS Isa. 29. & Matt. 15. *Populus iste ore suo et labijs suis glorificat me, cor autem eorum longè est à me.* Nec sit fundatus in falsis quibusdam de DEO opinionibus, qualibus laborant gentiles, Iudæi & hæretici. *Oportet enim & mente adorare DEUM, & sanam opinionem (seu potiùs Fidem) de ipso habere:* inquit Theophylactus. Sit *Rectus* DEI cultus, id est, ordinatus ad legitimum finem; ut scilicet colatur DEUS propter DEUM, seu propter propriam excellentiam suam, non propter vanam gloriam, aut merè propter temporalia commoda nostra. Sit *Proprius DEI*: ut distingvamus inter cultum qui debetur hominibus in dignitate constitutis, aut eximia doctrina vel virtute eminentibus, aut Sanctis jam regnantibus in cælo: & inter cultum, quem propria DEI meretur excellentia. Hic enim debet esse absolutè summus, & nemini alteri communicabilis. *Ego Dominus: hoc est nomen meum; & gloriam meam alteri non dabo.* Isa. 42. Sit deniq; *Dignus DEO*, quantum per nostram tenuitatem fieri potest: ut scilicet totum ingenium, omnes honestos affectus, omnes facultates nostras colligamus, & adhibeamus ad colendum DEUM. Ingeniosi sumus, prompti, splendidi, liberales, imò profusi, in colendis Principibus terrestribus: at DEUS infinitè & dignior est in se, & liberalior in nos. Ex solo ejus vero dignoq; cultu solidum sperare possumus fructum, & grande operæ pretium. Quidquid aliud egerimus: proderit parum aut nihil; si non obfuerit. *Vanitas vanitatum, & omnia Vanitas, præter amare DEUM et illi soli servire:* inquit Kemp. l. 1. c. 3. de Imit:

Venite igitur, *Adoremus, & procidamus ante DEUM*; excitat nos sacer Psaltes Psal. 94. Adoremus in spiritu & veritate: procidamus cum humili subjectione & animo contrito. Venite gentes omnes, omnes Reges terræ: Venite non pedum passibus, sed animæ affectibus: Venite, DEUM deorum adoremus homunculi; coram Majestate suprema procidamus fideles subditi, ploremus coram Domino pœnitentes servuli. *Quia ipse est Dominus DEUS noster: & nos populus pascuæ ejus, & oves manus ejus.* Magna felicitas, talem agnovisse & rite coluisse DEUM! Imitandus præter regium Vatem

P. Lu-

P. Ludovicus de Ponte S. J. asceta virtute & scriptis celeberrimus: qui ad illa citati Psalmi verba, *Procidamus ante DEUM*, totum corpus prosternebat humi, non minore animi sensu, quám si præsentem Dominum oculis intueretur: reliqua verò Divini Officij tam attentus immotusq; persolvebat; ut interpellatores non admitteret, quicunq; demum illi essent, nec ante absolutas preces cuiquam roganti verbum redderet: teste P. Joanne Rho in varia Virtutum Historia lib. 3. c. 10. Audiendus deniq; Ecclesiasticus c. 35. 20. *Qui adorat DEUM, cum oblectatione suscipietur: & deprecatio illius usquè ad nubes propinquabit.*

DOMINICA II. ADVENTVS.

DEUS est Spiritus perfectissimus: Christus DEUS-Homo perfectissimus: DEIpara VIRGO Creatura perfectissima.

1. ADora D. O. M. & considera eum; ut Spiritum perfectissimum omni genere perfectionis absq; ulla admixta jmperfectione nobilissimum, pulcherrimum, sapientissimum, æternum, veracissimum, fidelissimum, justissimum, liberalissimum, clementissimum, benignissimum, diffusum per universum orbem, & ultra: qui ut omnia creavit verbo virtutis suæ; ita omnia conservat virtute potentiæ suæ, gubernat judicio Sapientiæ suæ, complectitur ulnis charitatis suæ: quem nullus Intellectus satis concipere, cor nullum satis amare potest. Et non ardebunt illi omnes amores nostri? Quæremus in terra: quod amemus præ illo?

2. ADora D. JESUM, & considera eum: ut DEUM-Hominem perfectissimum. Nihil omnino ei deest sive de Excellentia divina, sive de infirmitate humana, excepto peccato. Perfectior est infinitè, quàm fuerit Adam in statu Innocentiæ, quàm Salomon in omni gloria sua, quàm Princeps Angelus in omni decore suo. Nam & dona DEI tum naturalia, tum Supernaturalia participavit copiosiùs, & ipsa Divinitas perfecit Humanitatem eminentiùs. *In ipso inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter*, inquit Apostolus ad Coloss. 2. 9. non animam solùm evehens ad dignitatem DEI, verùm & Corpus ipsum. Quid igitur mirum! si de hoc Homine testetur Pater cœlestis: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* Matt. 17. Et non merebitur amores nostros? Amo te; mi JESU, amo super omnia. Ah! quòd tam frigidè amem.

3. VEnerare DEIparam V. & considera eam ut Creaturam inter omnes perfectissimam. Nam 1. quò ad dotes Corporis, superat omnes homines, quò ad animi decora etiam Angelos. 2. Perfectiones ipsius sunt sine imperfectione. In corpore etiam nondum glorioso Sanitas sine

mitate, pulchritudo ſine corruptione, vita ſine reatu mortis, mors ſine dolore, non virium defectu, ſed amoris exceſſu accerſita. In anima Intellectus ſine caligine, voluntas ſine pravitate, memoria ſine defectu, virtutes ſine umbra vitij. Si hæc in via: quid in patria? in ſtatu gloriæ? 3. Virtutes omnes in gradu ſummo, gratia ſumma, gloria ſumma. Verè ô Potentiſſima, multæ Filiæ congregaverunt divitias; tu ſupergreſſa es univerſas. Rectè Sponſus, idemq; Filius tuus, te dixit unicam columbam ſuã, Perfectam ſuam. Cant. 6. At ego lugebo Imperfectum meum. Trahe me poſt Te, o Domina, ad culmen perfectionis, quantumvis arduâ viâ.

Propoſitum v. g. de ſerio ſtudio Perfectionis.

LECTIO PRACTICA.

Tendendum omnibus ad Perfectionem.

Perfectionis nomine intelligo hîc Collectionem & Poſſeſſionem earum omnium virtutum, quas cujusq; Status & profeſſio requirit. Perfectum enim dicitur, cui nihil deeſt eorum, quæ habere debet: ſeu, cui adſunt omnia, quæ habere debet. Unde Ariſtoteli 3. Phyſ. Perfectum & Totum idem ſunt. Quod enim vel unica caret parte, aut dote, quã habere debet; nec Totum nec Perfectum eſt: ut patet in corporibus naturalibus & artefactis. Chriſtianus ergo es? Comparanda tibi eſt collectio earum omnium virtutum, quas Chriſtus ſuis Fidelibus verbo & exemplo commendavit, & in Evangelio præſcripſit, Hæ enim ſunt *Perfectio Chriſtiana*: & ſine aliqua earum poteris quidem eſſe Vir bonus, ſed bonus & perfectus Chriſtianus non eris: non paucis, Chriſtianum dedecentibus, ſcatebis imperfectionibus. Perſona Eccleſiaſtica es? Ut ſis perfectus, præter virtutes Chriſtianis omnibus communes, illæ etiam procurandæ ſunt, quas Sacri Canones requirunt: aliàs eſſe poteris bonus quidem Chriſtianus, ſed non bonus Clericus, aut Sacerdos. Religioſus es? Ut ſis perfectus, omni diligentia contendendum tibi eſt, ut venias in poſſeſſionem earum omnium virtutum, quas Regula Ordinis tui requirit; & in eo gradu, quem illa requirit. Prælatus Eccleſiaſticus es? Studendum: ut eas omnes dotes facias tuas, quas non solùm Evangelium, ſed etiam Dignitas & Officij tui ratio poſtulant: aliàs perfectus Prælatus non eris. Et ſic non eſt eadem omnium Perfectio, ſicut nec eadem lux ſtellarum omnium: ſed quiſq; ad propriam ſtatus & profeſſionis ſuæ tendere debet; ut notavit Caſſianus Collat: 11. ex ſententia Abbatis Chæremonis. *Pro ſtatu*, inquit, *atque menſura uniuſcujusque mentis Scriptura divina ad diverſos perfectionum gradus arbitrij noſtri provocat libertatem. Nec enim poterat uniformis omnibus perfectionis corona proponi: quia nec omnium una virtus, aut voluntas, aut fervor eſt; & idcirco ipſorum quodam-*

modo

modo Perfectionum diversos ordines, diversasque mensuras sermo divinus instituit.

Quòd Religiosi, & Prælati Ecclesiastici, quales sunt Episcopi, eniti debeant ad Perfectionem statui suo convenientem, dubitat nemo. *Religiosos* ad hoc obligat Regula propria; & ipsimet studium hoc professi sunt solemniter, quando Religiosa vota emiserunt, & tali Regulæ ultro se subjecerũt. Esse autem hanc eorum obligationem gravem, & sub culpa mortali (ut scilicet tendant ad perfectionem, seu conentur esse perfecti) docent communiter Theologi cum S. Thoma 2. 2dæ, q. 184. art. 4. & 5. Quia iste est primarius Finis Ordinum Religiosorum, parare Domino servos & cultores perfectos: & in hunc finem Religiosi vocantur & eliguntur à DEO, nutriuntur & foventur à Fundatoribus Religiosarũ familiarum & domorum; multisq; & insignibus donantur Privilegijs à Pontificibus summis. De nostra Societate expressè dicit S. Patriarcha in Exam: c. 1. §. 2, Finis hujus Societatis est, non solùm saluti & *Perfectioni* propriarum animarum cum divina gratia vacare; sed cum eadem impensè in salutem & *Perfectionem* proximorum incumbere.

Episcopos quoq; similesq; Prælatos, teneri tendere ad perfectionem, imò perfectos esse debere: patet non solùm ex communi sensu, & doctrina Theologorum & SS. Patrum, sed etiam Apostolicâ. Sunt enim in statu longè perfectiore, quàm Religiosi; ut notat S. Thom. 2. 2. q. 184. a. 7. Et Apostolus 1. Tim. 3. dicit: *Oportere Episcopum irreprehensibilem esse:* cujus rationem dat Princeps Apostolorum 1. Pet. 5. Quia debet esse *Forma gregis*, seu Idea probitatis & sanctitatis, cui se conformare studeat grex Fidelium. Unde proportione quadam deducitur: alios quoq; inferiores Prælatos, Presbyteros & Clericos teneri tendere ad Perfectionem, non solùm Christianam, sed Gradui & Officio suo respondentem. Positi enim sunt super montem & candelabrum, ut luceant hominibus, non ut imperfectionibus suis scandalo sint illis, & dedecori Ecclesiæ & Christo.

Inter sæculares Fideles vulgaris & gravis est error: quasi ipsi non teneantur tendere ad Perfectionem, sed solùm servare decem DEI præcepta, & quinq; Ecclesiæ. Falluntur autem graviter. Nam inprimis non minorem, imò majorem, requirit DEUS probitatem & justitiam à populo Christiano, quàm Israelitico. At huic dictum est Deuter: 18. *Perfectus eris, & absquè macula cum Domino DEO tuo.* Deinde Joannes missus est ante Christum in spiritu Eliæ, *Parare Domino plebem perfectam.* Christus ipse in prolixo illo sermone Matt: 5. 6. & 7. quem habuit in monte non ad solos Apostolos, sed etiam ad turbas (ut patet tum ex contextu sermonis, tum ex cap. 7. v. 28. ubi dicitur: *Et factum est, cùm consummaßet JESUS verba hæc,*

admirabantur turbæ super doctrina ejus) expresſè monet c. 5. 48. *Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est.* Et Apostolus ad Coloſſ. 1. 28. dicit ſe laborare & docendo, & corripiendo; *ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo JESU.* Et infrà c. 4. 12. ait: Epaphram ſemper pro Colloſſenſibus ſolicitum eſſe in orationibus; *ut stetis Perfecti, & pleni in omni voluntate DEI.* Idem inculcat Epheſ. 6. 13 & 2. Tim: 3. 16. Ridiculum ſanè eſt, exiſtimare: Chriſtum virtutum Chriſtianarum ſtudium & exercitium, ut Fidei, Spei, Charitatis, etiam erga inimicos, Humilitatis, Patientiæ, Abnegationis ſui &c. ad eremos duntaxat & monaſteria relegâſſe. Inter cæteros SS. PP. refutant hunc errorem egregiè & prolixè Magni Eccleſiæ Doctores, Baſilius in ſermone docto & diſerto, quem inſcripſit, *De rerum Abdicatione*; & Chryſoſtomus lib. 3. *contra vitæ Monasticæ vituperatores.* Videri poſſunt etiam apud Hieron: Platum lib. 1. cap. 12. *de Bono Status Religiosi.*

Illud pro certo teneant omnes: *Non tendere ad Perfectionem, est tendere in Magnam corruptionem, consequenter in æternam perditionem.* Patebit ex craſtina Lectione.

FERIA II.

DEUS, Christus, DEIpara VIRGO infiniti in perfectione.

1. ADora DEUM O. M. & conſidera: ipſum eſſe ſimpliciter & abſolutè Infinitum in perfectione. 1. Quia continet in ſe perfectiones omnino Infinitas. Cum enim ſit Ens à ſe; non habet à quo limitetur ejus perfectio: & cum ſit Primum ac Univerſale Principium totius eſſe; neceſſe eſt, ut habeat in ſe perfectiones omnium & ſingularum creaturarum, creatarum & poſſibilium, quæ omnino Infinitæ ſunt. 2. Quælibet ipſius perfectio eſt abſolutè Infinita, Bonitas Infinita, Sapientia Infinita, Charitas infinita, Juſtitia infinita, Miſericordia Infinita, & ſic de cæteris. *Magnus Dominus, & Laudabilis nimis; & magnitudinis ejus,* in omni & quovis genere perfectionis, *non est finis!* Pſal. 144. O quanta voluptas; videre Infinitum DEUM! ſed hoc non niſi mundis corde datur. At ego infinitis ſcateo imperfectionibus. Pudet!

2. ADora D. JESUM, & conſidera: etiam ipſum eſſe omnino Infinitum in perfectione. Cùm enim in ipſo *inhabitet omnis plenitudo divinitatis,* Coloſſ. 2. non ſolùm per gratiam; ſed per ſubſtantiam intimè unitam: neceſſe eſt; ipſum gaudere omni divina perfectione, tanquam verum DEUM. Creatæ quoq; perfectiones, gratiæ, habitus virtuoſi &c. in ipſo planè ſunt innumeræ, & moraliter Infinitæ. Eſt igitur JESUS noſter

cœlum

cœlum quoddam, cujus stellas quis dinumeret? Est mare quoddam, cujus & arenæ, & guttæ innumerabiles sunt: imò est immensus quidam Oceanus intra angustias humani corporis collectus, cui fundus nullus. Ipse est, *de cujus plenitudine accepimus omnes, gratiam pro gratia.* Joan. 1. Ecce, mi JESU, unum adhuc tibi offero vacuum vas, me ipsum: Imple.

3. VEnerare DEIPARAM V. & considera ipsam quoq; in perfectione quodammodo infinitam. Maternitas enim, qua gaudet, habet quandam infinitatem ex Infinita dignitate Filij: ut notavit Angelicus Doctor; & est radix seu titulus innumerarum gratiarum, aliarumq; perfectionum, quæ illi conferantur: ut de Maternitate sua potiore jure dicere possit Virgo, quod de Sapientia dixit Salomon: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.* Sap. 7. Gaudeo medullitùs, o Mater pretiosissima, de hac Infinitate tua. Benedictus DEUS cœli; qui cùm cætera omnia disposuerit in numero, pondere & mensura; solam te exornavit & locupletavit sine numero, pondere & mensura, dum Matrem suam fecit. Memento mei, o dignissima Mater DEI. Respice egestatem meam, & subveni. Abundo vitijs & imperfectionibus infinitis. Tolle, ô Perfectissima. *Propositū v. g. de imminuendis, & per Examen particulare tollendis notabilioribus imperfectionibus nostris, præsertim N.*

LECTIO PRACTICA.

Concipiendum infinitum Perfectionis desiderium & studium.

Ut ex infinita abysso imperfectionum nostrarum aliquatenus prorepamus, & ad perfectionem Divinam simpliciter infinitam per imitationis piæ studium aliquantò propius accedamus: plurimùm juvat, concipere Desiderium Perfectionis vitæ nostræ quodammodo infinitum, tam quo ad tempus, quàm quo ad modum: Id est, ita desideranda est, idq; avidè & ferventer, Perfectio: ut nullo unquam tempore, dum mortales vivimus, desinamus eam desiderare; & semper ad majorem & majorem, nullo præfixo termino, aspiremus. Exemplo sit Apostolus: qui licèt ab initio conversionis suæ gratijs & virtutibus Apostolicis fuerit instructissimus: tamen ad Philipp. c. 3. 12. fatetur de se: *Fratres, ego me non arbitror comprehendisse*; scilicet Perfectionem, de qua paulò antè egerat. *Unum autem ago*, & huic uni totus intendo; *quæ quidem retrò sunt obliviscens*, nimirum opera, labores & passiones pro Christo anteà susceptos; *ad ea verò, quæ sunt priora*, id est, quæ adhuc ante me sunt, ut ad illa contendam, *extendens me ipsum* per continuum & ardentissimum desiderium & studium, *ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis DEI.* Unde Augustinus tr. 4.

 in Epist.

in Epist. 1. S. Joann. tom. 9. *Tota vita*, inquit, *boni Christiani sanctum est desiderium proficiendi.* Ad sanctum hoc desiderium concipiendum, & jugiter fovendum, duplex potissimùm nos inflammat urgetq; ratio.

Prima est: quòd tantò certiùs citiùsq; obtinebimus necessariam nobis Perfectionem, quantò constantiùs ardentiusq; fuerit in nobis desiderium ejus. Ita promisit Christus Matt: 5. *Beati, qui esuriunt & sitiunt Justitiã quoniam ipsi saturabuntur.* Per *Justitiam* intelligitur hic collectio tota virtutum Christianarum; quam dum ea aviditate appetimus, qua famelici & sitibundi cibum potumq;: non deest benignissimus DEUS, quin esurientes largè reficiat. *Esurientes implevit bonis*: cecinit DEIpara V. Luc. 1. Danieli apparens Angelus Gabriel, ideo ejus orationes statim ab initio exauditas asseruit, Dan. 9: *quia Vir desideriorum erat.* De æterna Sapientia testatur Salomon sap. 6. *Facilè videtur ab his, qui diligunt eam: & invenitur ab his, qui quærunt illam. Præoccupat eos, qui se concupiscunt*, seriò & ardenter; *ut illis se prior ostendat*. Ergo & diu ferventerq; desideratam Perfectionem non negabit. Nam ut ait S. Ambrosius serm. 1. super Psal: 118. Quando quis incredibili sui profectus desiderio tenetur, nec non in virtute & perfectione proficere semper & crescere gestit: tantopere id DEO placet, ut bonis charismatibus & gratijs suis hunc assiduè locupletet. *Desideremus ergo Fratres*, concludit S. Aug: cit: *quia implendi sumus.*

Altera ratio est: quod sine tali desiderio & studio non tantùm non assequemur Perfectionem, sed si quid virtutis jam assecuti sumus, facilè amittemus, & ad pristinas imperfectiones & vitia relabemur adeoq; præsens æternæ damnationis periculum incurremus. Vulgatissimum enim, & multâ experientiâ roboratum, SS. Patrum, & omnium Ascetarum oraculum est: *In via virtutis non proficere, deficere est: non progredi, regredi est.* Disertissimè S. Augustinus epist: 134. ad Demetriam Virg: *Tamdiu*, inquit, *non relabimur retro: quamdiu ad priora contendimus: at ubi cœpimus stare, descendimus: nostrumquè non progredi, reverti est. Si volumus non redire, currendum est.* At quomodo curremus, si non desideramus, aut rarò & frigidè desideramus, terminum (Perfectionem scilicet) ad quem currendum est? Idem, & ijsdem propè verbis tradunt SS. Gregorius, Chrysost. Leo Papa &c. S. Bernardus epist: 254. ad Garinum, egregiè exagitat Monachum tepidum, segnem, & ad perfectionem non aspirantem. *O Monache*, inquit, *non vis proficere?* (Inducit respondentem?) *Non. Vis ergo deficere? Nequaquam. Quid ergo? Sic mihi, inquis, vivere volo, & manere, quò perveni; nec pejor fieri patior, nec melior cupio. Hoc ergo vis: quod esse non potest. Quid enim stat in hoc sæculo? Et certè de homine specialiter scriptum est: Fugit velut umbra,*

& nun-

& nunquam in eodem statu permanet. Exultavit Dominus noster ut gigas ad currendam viam: porro currentem non apprehendit, qui & ipse pariter non currit. Unde Paulus ajebat: Sic currite, ut comprehendatis. Quodsi Domino currente tu gradum sistis; non Christo appropias, sed te magis elongas: timendumquè tibi est, quod ait David: Ecce, qui elongant se Domine à te, peribunt. Itaquè si proficere currere est; ubi proficere, ibi & currere desinis. Ubi verò non currere, ibi & deficere incipis. Hinc planè colligitur: quia nolle proficere, non nisi deficere est. Confirmat id Angelorum continua ascensione & descensione in scala Jacob. *Vidit scalam Jacob, & in scala Angelos; ubi nullus desidens, nullus subsistens apparuit: sed vel ascendere, vel descendere videbantur universi: quatenus palam daretur intelligi; inter profectum & defectum in hoc mortalis vitæ statu nihil mediū inveniri: sed quomodo ipsum corpus nostrum continuè aut crescere constat, aut decrescere; sic necesse sit spiritum aut proficere semper, aut deficere.* Ita Bernardus.

Alia apposita similitudine idem declarant S. Gregorius & Cassianus apud Alphon: Rodericium, tom. 1. tr. 1. c. 6. ubi plura de hac materia. Sicut, inquiunt, qui in impetuosi cujusdam fluminis ostio est constitutus, si loco quietus consistere vellet, & ulterius ascendere non laboraret, in præsentissimo versaretur periculo, ne aquarum impetu in mare, syrtes, scopulos & voragines abriperetur: ita se res habet in via vitæ spiritualis. I nunc, sive sæcularis, sive spiritualis sis: neglige Perfectionem statui tuo convenientem: videbis paulò post, in quo vitiorum & miseriarum barathro te reperies.

FERIA III.

DEUS, Christus, DEIpara Virgo, Infiniti in dignitate.

1. ADora DEUM O. M. & considera eum, ut Dominum infinitæ dignitatis. Cumulus & eminentia perfectionum solet esse mensura dignitatis. Cùm igitur in DEO perfectio sit absolutè & in omni genere Infinita! etiam dignitas illi respondeat oportet omnino Infinita & planè summa: ratione cujus æstimari, adorari & coli meretur, & debet infinitè, super omnes & omnia absolutè, ab omnibus & omni tempore, imò per omnem æternitatem. At quomodo Tibi cultum debitum deferamus DEUS Infinitæ dignitatis viles terræ vermiculi? Quantumcunq; te exaltemus & superexaltemus: supervales adhuc, & crescis in Infinitum. Si nos demiserimus, & in ipsum cor terræ descenderimus adoraturi: profundiore dignus es reverentiâ. Si in nativum nihil nostrum revolvamur; adhuc demissiore dignus es cultu. Ergo me in abyssum, & abstrusissimum chaos peccatorum meorum (nihil enim magis à te distat) recipio atq; inde pro-

nissimâ cervice & mente, te veneror, & adoro, O. M. DEUS. Cor contritum & humiliatum non despicies.

2. ADora D. JESUM, & considera: ipsum quoq; omnino Infinitæ dignitatis esse; adeòq; summa æstimatione, cultuq; supremo dignissimum. Quàmvis enim ad assumendam humanitatem se demiserit, & verè ac propriè factus sit homo; non propterea desijt esse DEUS: imò tantò nobis est honorabilior: quantò pro nobis factus est vilior. Etiam inter homines, Magni tantò fieri solent majores & honorabiliores; quantò profundiùs amore subditorum descenderint. Quantus ergo jam nobis erit DEUS-homo, qui de summis cœlorum, è sinu Patris, in hanc miseriarum vallem nostri amore descendit, infinitá quadam sui depressione? Infinitè crescat oportet in æstimatione & observantia nostra sic depressa & exinanita Dignitas Infinita. Benedicite igitur omnia opera Domini Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula. Ego autem totus insumar ampliandæ gloriæ tuæ, Dignissime JESU.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: etiam ipsam, tum titulo & officio Matris DEI, tum profundissimâ humilitate, ascendisse ad dignitatem quandam Infinitam: adeòq; meruisse omnem possibilem cultum post DEUM. Adsternantur oportet plantis ejus potentissimorum colla Regum; & gloriosissimæ Reginarum gaudeant inter ejus pedissequas numerari. At ego de Infinita vilitatis meæ abysso ad te clamabo, o Dignissima: Respice, & non despice.

Propositum v. g. de frequentandis actibus Venerationis DEI, J. & M.

LECTIO PRACTICA.

De Perfectione Reverentiæ DEO debitæ,

Reverentia DEO præstanda à Creaturis rationalibus, est Actus unius è 7 Donis Spiritus S. quod appellatur *Timor Domini*; ut habet S. Thomas 2. 2. q. 8. art. 2. ad 1. Considerata enim accuratiùs infinita DEI excellentia & dignitate, sacro quodam horrore corripimur, ut quasi non audeamus comparere in conspectu ejus propter vilitatem & indignitatem nostram; ideòq; componimur ad ita circumspectè agendum coram DEO, ne vel in minimo offendamus, & displiceamus Majestati tantæ. Qui Metus Reverentialis dici solet: distingvitq; Reverentiam ab Actibus Adorationis, Humilitatis, & Obedientiæ; quod hi per se talem metum non importent, sed solùm infimam subjectionem.

Porro ut Timor, ita Reverentia, alia est *Servilis*, alia *Filialis*. Illâ reveremur DEUM, ne pœnam incurramus, infligi solitam Filijs Belial, in quibus nullus est timor DEI. Servi enim ignavi, & animi non ingenui, solùm

lùm obsequi, & cultum aliquem solent exhibere Dominis suis, ne castigentur ab ipsis. Sic & dæmones Iac. 2. *credunt & contremiscunt*: ne scilicet acrius puniantur á DEO. *Filialis Reverentia* oritur ex Charitate: proprium enim est bonorum & amantium parentes suos filiorum: debitum illis deferre honorem, & ita agere, ne ipsos offendant, vel displiceant. Hæc Reverentia fuit semper in Christo, de quo prædixerat Isaias c. 11. *Replebit eum Spiritus Timoris Domini.* Et ad Hebr. 5. dicitur Exauditus á Patre *pro sua Reverentia*; quia non solùm Dignitas Personæ ejus exaudiri merebatur: sed etiam ita reverenter erga Patrem inter orandum se gerebat Anima ejus, ut planè occupárit, atq; in suam sententiam traxerit cor Patris. Est hæc Reverentia etiam in Angelis & Animabus Beatis. De Angelis dicitur Iob. 26. *Columnæ cœli contremiscunt, & pavent ad nutum ejus.* In quæ verba S. Gregorius 17 Moral. *Ipsæ*, inquit, *Virtutes cœlestium, quæ DEUM sine cessatione conspiciunt, in ipsa contemplatione contremiscunt.* Declarat egregiè Cassianus Collat. 11. quomodo in cœlis Timor *castus*, seu Fidelis, cum Amore consistat.

Præterea Reverentia alia est *Interna*, alia *Externa*. Interna consistit in Actibus Voluntatis supra declaratis, & alijs, qui ex tali Reverentia nascuntur, seu ab illa imperantur. Qui enim, ut decet, reveretur DEUM, sollicitus est; ne, dum agit cum DEO, aliud aliquid cogitet, aut agat; sed ea, quæ pertinent ad DEUM, agat quàm decentissimè & perfectissimè, sive Adorationis, sive Fidei, Spei, Charitatis, aut aliarum Virtutum actus sint eliciendi. *Externa* Reverentia consistit in actibus corporalibus potentiarum sensuum externorum ex imperio seu directione Reverentiæ internæ decenter ordinatis: ut cum accedentes ad Orationem, vel sacrificium divinum caput coram Divina Majestate inclinamus, manus jungimus, genua flectimus, corpus prosternimus, lingvam ad articulatam pronuntiationem componimus, oculos coërcemus &c. Cùm enim ex duplici natura compositi simus, intellectuali scilicet & sensibili, duplicem adorationem & venerationem DEO offeramus oportet: scilicet spiritualem, quæ consistit in interiori mentis devotione; & corporalem, quæ consistit in exteriore corporis humiliatione: ut ex S. Damasceno lib. 4. Orthod. Fid. docet S. Thomas 2. 2. q. 84. a. 2. C: additq; *Et quia in omnibus actibus latriæ id, quod est exteriùs, refertur ad id, quod est interius, sicut ad principalius: ideo ipsa exterior adoratio fit propter interiorem; ut videlicet per signa humilitatis, quæ corporaliter exhibemus, excitetur noster affectus ad subjiciendum se DEO; quia connaturale est nobis, ut per sensibilia ad intelligibilia procedamus.* Et in Resp: ad Objectionem 1. qua contra actus corporales adorationis objicitur illud

Joan. 4. Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate; respondet: *Quod etiam Adoratio corporalis in spiritu fit; in quantum ex spirituali devotione procedit, & ad eam ordinatur.* Id ipsum notavit S. Augustinus lib. de cura pro mortuis, cap. 5. ubi docet: Genua flectere, manus extendere, prosternere se in terram, & alias hujusmodi humiliationes non fieri ad manifestandum DEO affectum cordis; cùm sciamus absq; eo ipsi patere omnia: sed ut ipsum cor magis moveatur. Affectus enim cordis, qui, ut hæc externa fierent, præcessit; multùm ejusmodi factis fovetur, & crescit; ut experientia docet. Unde Sanctis semper in usu fuerunt externæ etiam humiliationes coram DEO.

Ex his sequitur: non solùm non rectè agere heterodoxos, dum actus nostros externos Adorationis & Reverentiæ, quos coram DEO in templis, & alibi, exercemus, spernunt & sugillant: sed etiam Orthodoxos, dum eos negligunt, vel obiter tantùm & raptim exercent sine debita interiore recollectione. Nam per illos non solùm nobis augetur meritum, dum toto Homine, seu omnibus viribus, colimus DEUM: sed etiam magis excitamur, ad diligentiùs, ferventiùs, & prolixius eliciendos actus internos; ut notavit cit. S. Thomas, dum dixit: Per signa humilitatis, quæ corporaliter exhibemus, excitari affectū nostrum ad subjiciendum se DEO. Quod ipsa etiam experientia docet. Et observavit S. Bernardus serm. 4. de modis orandi; Multos in Oratione ariditate Spiritûs laborare, distractionibus varijs discerpi, & infructuosam habere orationem Meditationemq;: quia nulla, aut modica illis est cura, de debita DEO præsenti exhibenda reverentia tum interiore tum exteriore. Monet igitur: *Ascende, cùm oras, ad aulā cœlestem, & intuere: quantā reverentiā in ea à Beatis Spiritibus adoretur DEUS.* Recole Optimates illos cœlestes, Viginti quatuor seniores, non solùm laudes & gratias DEO canentes; sed etiam coram solio divino procidentes in facies suas, & coronas suas mittentes ante thronum. Apoc: 4. & 5. &c. Et nos homulos quomodo comparere decet coram eadem Majestate? *Meditatio mea in conspectu tuo semper:* profitetur David, Psal. 18. scilicet tam decenter & reverenter composita, ac si oculis cernerem præsentem DEUM. Rectè monet Ludovicus de Ponte in duce spir: tr. 1. c. 8. §. 1. ut oraturi convocemus omnes potentias nostras, internas & externas ad reverentiam DEO exhibendam, dicentes illud Psal. 94. *Venite adoremus, & procidamus ante DEUM.* Et fiet nobis, quod per Ecclesiasticum promisit Spiritus S. c. 32. *Pro reverentia accedet tibi bona gratia.*

FERIA IV.

DEUS est summum bonum, Christus viva & perfectissima ejus Imago,

DEIpara

DEIpara V. Speculum tersissimum divinæ Bonitatis.

1. ADdora DEUM O. M. & considera eum, ut Bonum absolutè summum. Quia 1. transcendit infinitè omnia bona creata. *Quis sicut Dominus DEUS noster, qui in altis habitat?* Psal. 112. Nihil illi simile in cœlo & sub cœlo. 2. Nihil in illo mali: sed est purissima & merissima Bonitas seu Perfectio. Etiam cùm supplicia malis irrogat, Optimus est 3. Nihil illo melius esse aut cogitari potest à quocunq; intellectu: imò nihil simile 4. Est Principium & fons inexhaustus totius boni. Unde sine illo nihil est, nec esse potest, boni. Quis jam tantum bonum satis amaverit? aut quis non amet? Et tamen insani, excordes homines nihil minùs amamus. Et præceptis severissimis & comminatione ignis æterni opus est, ut amemus. Irascor pravitati cordis mei. Tuum quo ipse te condignè amas, offero tibi amorem; summum Bonum DEUS. Ah tandem sincerè & constanter amem te!

2. ADora D. JESUM, & considera eum, ut vivam & perfectissimam *Imaginem Bonitatis divinæ*, Sap: 7. Est enim secundùm generationem divinam, Conceptus vitalis, VERBUM, & Sapientia Patris æterni; quam pater generat, se & omnes perfectiones suas intelligendo & considerando: ideoq; clarissimè, & ipsa substantia suâ exprimit in se omnia omnino, quæ in Patre sunt: ut meritò testetur de se Joan. 16. *Omnia quæcunquè habet Pater, mea sunt.* Secundùm generationem quoq; humanam, & quatenus homo est, longè perfectiùs conditus est ad Imaginem & similitudinem DEI, quam primus homo Adam: omnesq; actus, & perfectiones ejus, non merè humanæ, sed etiam divinæ sunt. Exhibuit nobis Pater æternus divinam hanc Bonitatis suæ Imaginem: ut degeneres, ad malum proni, & in malis enutriti, reformaremur secundùm illam. At ô quantùm distamus ab illa! Tu ipse, mi JESU, suscipe grave hoc opus reformationis meæ. Ecce me totum tibi permitto; & allaborabo cum gratia tua.

3. VEnerare DEIparam V. & considera eam; ut tersissimum divinæ Bonitatis Speculum. In ipsa enim clarissimè, & accomodatissimè ad captum nostrum relucent perfectiones divinæ; quas Filius illi impressit copiosiùs; quàm sol radios suos aquæ limpidæ, aut speculo crystallino. Reflecte, o Gratiosissima, divinos hosce radios tuos in plumbeam hanc animam meam; ut incalescat, candescat, liquescat amore tui, & DEI mei.

Propositum v. g. de Amandis DEO, J. & M. super Omnia,

LECTIO PRACTICA.

De Perfectione Charitatis DEO debitæ.

Ea est præstantia Charitatis erga DEUM: ut in ipsa potissimùm Perfectionis

tionem Christianam ac Religiosam passim constituant Ascetæ cum D. Thoma 2., 2. q. 184. a. 1. ubi ait: *Dicendum; quod unumquodquè dicitur esse perfectum, in quantum attingit finem proprium, qui est ultima rei perfectio. Charitas autem est, quæ nos unit DEO, qui est Ultimus Finis humanæ mentis: quia qui manet in charitate, in DEO manet, & DEUS in eo, ut dicitur 1. Joan. 4. Et ideo secundùm charitatem specialiter attenditur perfectio Christianæ vitæ.* Apostolus eam extollit 1. Cor. 12. ut Excellentissimam viam ad perfectionem. Et cap. 13. ut Maximam omnium Virtutum, etiam Theologicarum: *Major autem horum est Charitas.* Ad Coloss. 3. ut *Vinculum perfectionis.* SS. Patres passim eam celebrant ut virtutum Vitam, Reginam & Coronam.

Advertendum autem: hæc & similia magnifica elogia non convenire charitati, nisi Perfectæ; nec qualemcunq; nos debere DEO Charitatem, sed Perfectam. Multi blandiuntur sibi de charitate: sed non paucorum Charitas ficta est, paucorum vera, pauciorum perfecta. Quæ verò perfecta est? Exhibet eam dulcissimus & constantissimus Charitatis Doctor S. Joannes ep. 1. c. 2. ubi ait: *Qui dicit, se nosse DEUM,* scilicet notitia Fidei vivæ, & charitate formatæ; *& mandata ejus non custodit, mendax est.* Quia nec fidem vivam, nec charitatem veram habet. *Qui autem servat verbum ejus: verè in hoc Charitas DEI Perfecta est.* Notandum: quòd non dicat *Verba,* seu mandata ejus; sed *Verbum* ejus; illud nimirum verbum Luc. 10. 27. comprehendens Legem omnem & Prophetas, imò quidquid est præceptorum & consiliorum in Lege Gratiæ: *Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua; & proximum tuum sicut te ipsum.* Qui sic Diligit, nonne in eo Charitatem divinam perfectam esse oportet? Quis est modus diligendi magis?

Sed S. Augustinus lib: de Spir: & lit: c. 36. existimat hunc diligendi modum, *ex toto corde, totâ animâ* &c. adeoq; hanc Charitatis perfectionem, pertinere magis ad alteram quàm præsentem vitam. Verùm quamvis non possimus viatores tam perfectè diligere ac Beati; possumus tamen, per gratiam divinam, toto corde, totâq; anima moveri in DEUM, ut illi adhæreamus & inhæreamus per amorem, quantum patitur status præsens & mensura auxilij divini. Ad amorem enim ex toto corde, tota animâ &c. non requiritur: ut tanta intensione amemus ac Beati in cœlo, aut sancti quidam in terris, quibus æstus & impetus amoris costas rupit, ut S. Philippo Nerio, vel viscera torrebat, & depascebatur, ut B. Stanislao Kostka; nec requiritur, ut simus tota mente & animâ absorpti in DEUM, nec aliud cogitemus aut amemus, quàm DEUM, semperq; simus in actuali exercitio amoris. Extatici enim hujusmodi amores non sunt in nostra pote-

state, & excedunt ordinariam mensuram auxiliorum divinorum. Proinde, ut rectè notavit Cornelius à Lap. in cap: 22. Matt: non præcipitur ibi Amor DEI Summus extensivè, vel intensivè; sed tantùm comparativè, finaliter, & appretiativè. Ut ergo diligatur DEUS perfectè, seu ex toto corde, totá animá &c. diligendus est summè, Primò *Comparativè*; id est, ut nullam cordis, seu voluntatis, amorisq; partem concedas alicui idolo, aut altéri rei abstrahenti à DEO. Secundo *Finaliter*: ut generatim velis DEUM habere pro fine ultimo tuo tuarumq; omnium actionum, & omnia referre ad ipsum, & gloriam ejus. Tertio *Appretiativè*: ut nihil ita æstimes, eoq; loco & pretio habeas, quo DEUM; adeòq; velis potiùs pati jacturã facultatum omnium, famæ, honoris, & vitæ ipsius, quám amittere DEUM & amicitiam ipsius. Unde quod hic dicitur: *Ex toto corde*; alibi in Scriptura S. dicitur, *Ex corde integro & perfecto*. Hinc illud toties iteratum, de varijs Sanctis veteris Testamenti: *Cor ejus perfectum erat cum DEO: Secutus est Dominum in toto corde suo, faciens quod placitum esset in conspectu ejus*, &c. quàmvis non ea perfectione dilexerint DEUM, ac Beati in cœlo.

Eandem amoris divini perfectionem, & primarij Mandati divini intentionem declarat Victor Antiochenus in Marci c. 16. ubi ait. *Homo tanto DEI amore flagrare debes: ut nihil prorsus in ullam animæ facultatem irrepere sinat, quod suam erga DEUM dilectionem excludat, aut diminuat, aut aliò transferat; sed in omnibus illi soli magis magisquè assiduè placere satagas, nec alteri personæ aut rei creatæ, nisi propter DEUM.* Brevius: DEUM in hac vita amare perfectè, seu ex toto corde, tota anima &c. nihil aliud est: quàm Amare (id est, per affectum ei adhærere) super omnia, & totis viribus conari facere, quidquid ei placet, ut faciam. Quid enim ampliùs in hoc statu requiras à sic amante? Nihil magis, aut æquè, amat, ac DEUM: nil nisi propter DEUM, paratus cum omnibus bonis suis, fortunæ, naturæ, corporis & animæ impendi & superimpendi pro DEO. Nihil faciet, quod non placet DEO: faciet omnia, quæ placent, & quia placent DEO. Non expectabit imperia, non respiciet præmia aut comminationes: unica agendi & omittendi quævis, ratio illi est, *Placitum* Dilecti.

Possibilem esse in hac vita hujusmodi Amorem DEI, non solùm docet ipsum Mandatum divinum, quod non Beatis, sed Viatoribus datum est, & non infrequentia exempla Sanctorum: verùm & ipsi impuri lenones & avari, qui cùm nihil æquè, ac amasias & pecunias suas, ament, omnia agere & pati propter ipsas sunt parati &c. Nunquid minor vis movendi cor hominis est in summo Bono? Totas ergo naturæ & gratiæ colligamus vires: ut amore summo amemus Bonum summum. *Hoc fac & vives.* Luc. 10.

FERIA V.

DEUS est omne bonum: Christus brevissima comprehensio omnis boni: B. V. Gazophylacium.

1. ADora D. O. M. & considera: eum non solùm esse summum bonum; sed etiam Omne bonum. *Ostendam tibi omne bonum:* dixit ad Moysen petentem videre gloriam ejus, Exod. 33. Est autem DEUS omne bonum 1. radicaliter: quia ex Essentiæ ipsius communicabilitate, seu imitabilitate, procedit omne bonum creabile. 2. Idealiter: quia in ipsius intellectu & sapientia sunt distinctissimè expressæ ideæ Infinitorum, adeòq; omnium possibilium bonorum. 3. Virtualiter seu efficienter; in quantum in ipso est virtus producendi omnia possibilia bona. 4. Æquivalenter & Eminenter; in quantum ipsius substantia non solùm æquivalet omnibus bonis creatis & creabilibus, quo ad pulchritudinem; delectabilitatem, & omnigenam amabilitatem; sed eam infinitè superat, ita; ut omnem voluptatem, quam nobis adferre possunt bona creata, possit ipse per se causare in nobis, modo longè perfectiore. Quid ergo extra te volo; DEUS meus & omnia? Cur inhiem bonis creatis, quæ me faciunt apostatare à Te: quæ me spoliant gratia tuà, & omni bono æterno?

2. ADora D. JESUM & considera: quantillus homulus in utero Virginis est totus DEUS, & omne bonum! Nec palmum implet, nec videt, nec audit, nec alio sensu utitur, nec movere se potest; & tamen est totus DEUS & omne Bonum. Quantum alimenti suppeditat ipsi Virgo Mater, tantum proficit, & diem horamq; nativitatis suæ expectat: & tamen est totus DEUS, & omne Bonum. *In ipso complacuit inhabitare omnem plenitudinem.* Coloss. 1. Grande compendium omnis boni, brevissime Infans, JESU, quàm facilè ditissimus esse possum, & plenus omni bono? siquidem tu ipse in mea es potestate, ut suscipiam te, quando placet, in epulo Eucharistico. Unum oro: ut credas te mihi; dum tam liberaliter communicas; & explices in me thesauros bonitatis tuæ: ut mihi vilescant omnia bona creata cum omni splendore & voluptate sua.

3. VEnerare DEIparam V. & considera eam, ut gazophylacium omni bono refertissimum. Cùm enim in utero ipsius Virginali conclusus fuerit DEUS homo factus: grande illud, & Infinitum compendium omnis boni, intulit secum omne bonum. Nec abstulit nascendo; quia reliquit Tibi jus & quasi clavim regiam, ad omnes thesauros plenitudinis suæ. Ad ipsam igitur paupertina turba concurramus. Referti plurimis malis indigemus multis bonis. Subveni Domina præsertim in necessitate N. & aufer

aufer á me omnem inordinatum creaturarum amorem.

Propositum v. g. de frequentandis totâ vitâ, ac hodie potissimùm, actibus Contritionis ob inordinatam adhæsionem ad bona creata, & defectum Charitatis divinæ.

LECTIO PRACTICA.

In Charitatis divinæ exercitio situm est omne bonum hujus vitæ nostræ.

Ineffabilis DEI Bonitas, & nostra felicitas est; quòd ad manum habeamus facile & efficax medium in hac ærumnarum congerie obtinendi omne Bonum, quod pro hoc statu prudenter appetere possumus. Tale Medium est frequens & diligens Exercitium Amoris Divini. *Primum* bonum & infimum, quo in hac vita egemus, est sufficientia eorum, quæ corpori necessaria sunt ad vitam commodè sustinendam. Quæritur hoc varijs vijs & medijs, sed à multis frustra, vel cum majore detrimento, bonorum scilicet spiritualium, dum immoderatè temporalia appetuntur & congeruntur. Charitas, dum aliud agit, dum non quærit quæ sua sunt, imò propria dispergit, DEI & proximi causâ, non solùm comparat sufficientiam, sed etiam abundantiam, temporalium. Qui enim primò & primariò intentus est diligendo DEO (quæ est principalis Justitia nostra) vel ei temporalia liberaliter adjiciuntur à DEO, secundùm promissionem Christi Matt. 6. vel parciùs suppeditantur, sed cum ea appetitus satietate; ut non solùm plura non appetat, sed voluptati ei sit paupertas sua; ut videre est in voluntarijs pauperibus, specialiter in Apostolo, qui Philipp: 4. gloriatur: *Didici, in quibus sum,* (id est, quæ ad manum habeo corpori necessaria) *sufficiens esse: Scio & humiliari, scio & abundare, & penuriam pati.* Et infrá v: 18. *Habeo autem omnia & abundo.* En, quàm bonus est Oeconomus Amor DEI.

Secundum bonum est Status Gratiæ; ut in eo constituamur & conservemur. Utrumq; præstat abunde Exercitium Charitatis divinæ. Nam ut Magdalenæ, ita cuivis verè, & ex motivo Charitatis contrito, peccatori, *dimittuntur peccata multa, quia dilexit multùm:* & quidem dimituntur eodem momento, quo sic dolet, & amat; accipitq; pignus futuræ gloriæ gratiam filiorum. Ad conservandum hominem in statu tam felici nihil conducit magis sedulo Exercitio Charitatis divinæ. Si enim stat principium illud Physicorum & Jurisperitorum: Ijsdem causis res conservatur, quibus nascitur; Charitas per quam Justificatio obtenta est, utiq; peridonea erit ad eandem conservandam; præsertim cùm nullus virtutis actus æquè pugnet cum affectu & propensione ad peccatum, ac Actus Charitatis divinæ, Unde Apostolus studiosè monet Ephesios cap. 3. v. 17. ut *radicati & fundati* sint in charitate.

Tertium bonum est Refrenatio passionum seu concupiscentiarum nostra-

rum: quæ quàm facile nos præcipitant in omne malum, temporale & æternum; tam difficile est edomare illas, & sub jugum mittere. Construxit quispiam magno molimine, multis allaborantibus annis magnam Perfectionis molem: non rarò una effervescens passio, turbinis instar, omnia convellit & dissipat. Potest quis scitè regere jumenta & feras bestias, in officio continere seditiosos cives & milites: at ubi in ipsomet consurgit rebellis, non solùm turba passionum, sed vel una prava concupiscentia; sæpe nec ratio, nec modus invenitur eam edomandi. *Verùm Amor ubi venerit, cæteros in se omnes traducit, & captivat affectus*: inquit Bernardus serm: 83. in Cant: Quis ut DEUS, exclamat cum Archangelorum Principe? Cui debetur imperium? Cui subjectio? Præstat millies mori, quàm tantum Numen vel levissimè offendere. Et subitò fit tranquillitas magna.

Quartum bonum est: quòd Charitate ferventibus nihil adversi, aut alterius mali nocere possit; quin potiùs majora inde lucra capiunt, teste Apostolo Rom: 8. *Scimus quoniam diligentibus DEUM omnia cooperantur in bonum. Quid est, omnia*, quærit, & respondet Augustinus lib. de grat: & lib. arbit: *nisi & ipsas terribiles, sævasque passiones* cooperari in bonum? Nam & ex cruciatibus illatis, & concupiscentijs domitis, & ipsis commissis peccatis referunt insignia lucra. Ut enim idem advertit lib. de Corrept: & grat: *Ex casu humiliores, cautiores, & ferventiores resurgunt.* Accedit S. Gregorius *In tentatione proficiunt*, inquit, *& quod eis diabolus præparat ad ruinam, hoc DEUS eis convertit in gloriam.* Habent enim ferventes in dilectione præparatam sibi singularem Providentiam Divinam. *Ego diligentes me diligo.* Proverb. 8. *Custodit Dominus omnes diligentes se.* Psal. 144.

Quintum bonum est; quòd momentanea & levissima, palearum instar, opera nostra attollat Charitas, non tantùm inaurando, sed aurea faciendo ita; ut in Charitate, & ex motivo ejus vel imperio facta, pretiosa veniant in conspectum DEI, & æternum gloriæ pondus operentur in nobis, teste Apostolo. Acriter perstringitur Apoc: 3. Angelus, seu Antistes Ecclesiæ Sardis: *Non invenio opera tua plena coram DEO meo*; nimirum propter defectum charitatis, qua exciderat. Ubi extinctus est, aut tepet Amor DEI: ibi opera nullius aut exigui valoris, ibi dies vacui, & anima inanis, ne dicam innumeris plena defectibus, imò vitijs: at ubi fervet Charitas frequenti exercitio, ibi & habituum supernaturalium, & Actuum æterna gloria condignorum copia; ibi & scientia Sanctorum, & conscientia gratiarũ & gaudij & omnium bonorum plena. *Sextum* igitur bonum est bonorum omnium Plenitudo. Cùm enim monuisset Ephesios Apostolus cap: 3. ut essent *in Charitate radicati & fundati*; addidit: *ut possitis comprehendere cùm*

omnibus

omnibus Sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, sublimitas & profundum: scilicet in DEO, humanæ mentis aciem infinitè excedente. *Scire etiam supereminentem scientiæ Charitatem Christi*, qua dilexit nos, & non satis æstimatur à nobis: *ut impleamini in omnem Plenitudinem DEI*. Cùm itaq; Charitas nos inducat non solùm in possessionem bonorum tantorum, sed etiam in omnẽ Plenitudinem DEI, qui nos intimè conjungit: numquid exiguum operæ pretium erit, dies noctesq; ipsius exercitio incumbere?

FERIA VI.

DEUS, Christus, & DEIpara V. sunt bonum summè nobis necessarium.

1. ADora DEUM O. M. & considera: ipsum esse Bonum summè nobis necessarium. Soliciti sumus cum Martha, & turbamur circa plurima, quæ vel prorsus necessaria non sunt, vel etiam nobis noxia: At DEUS est Unum illud *Necessarium*. Luc. 10. sine quo reliqua omnia parùm prosunt, imo nihil: quo perdito, perdidimus omne bonum: incidimus in omne malum sine spe unquam emergendi. Est Unum illud Necessarium, sine quo nec vivere, nec moveri, nec esse possumus, multò minùs beati esse: cum quo æternum beati, sine quo æternum miseri, miserrimi sumus. Necesse igitur imprimis est ut huic Bono obtinendo, vel non amittendo, unicè intenti simus. O DEUS illumina tenebras nostras, ut videamus; quàm necessarium nobis sis Bonum: primamq; tui curam habeamus! Pœnitet me incuriæ supinæ.

2. ADora D. JESUM, & considera ipsum quoq; esse Bonum nobis summè necessarium. Quomodo enim sine illo emersissemus ex originali calamitate? Quomodo sine sangvine ipsius mundaremur à peccatis, sine meritis ipsius obtineremus veniam & gratiam, sine morte ipsius vitã acquireremus æternam? *Unus DEUS: unus & Mediator DEI & hominum homo Christus JESUS, qui dedit redemptionem semetipsum pro nobis* 1. Timoth. 2. Perieramus omnes, nisi ipse se obtulisset Salvatorem. Peribimus: nisi ipsum habeamus fautorem. Spes mea, salus mea, gloria mea JESU: Te deseram nunquam: Tibi vivam semper: Esto mihi JESUS.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: etiam ipsam esse bonum summè nobis necessarium. Nolebat salvare nos DEUS, nisi per Filium suum natum ex muliere: nec aliam ipsi volebat Matrem, quàm electam ex millibus, natam de stirpe David MARIAM Virginem. Ab hac pendere gratiosè volebat & VERBI Incarnationem, & mundi restauratiõẽ, miserorum consolationem, captivorum redemptionem, damnatorum liberationem, salutem deniq; universorum filiorum Adam, totius generis hu-

mani. Promptus per se ad salvandum, misericors & miserator Dominus: ipsius tamen unius unicum *Fiat* requisivit per Archangelum legatum. Nunc quoq; ô quot perirent Animæ; nisi apud Filium interveniret MARIA! Adsis igitur Clienti tuo præsens & propitia, ô Gratiosissima, nunc & in hora extrema. Sine te nec vivere utile est; nec mori securum.

Propositum v. g. de procuranda & sedulò conservanda arctissima conjunctione cum DEO, J. & M. per Exercitium Charitatis.

LECTIO PRACTICA.

Quàm necessarium nobis sit Exercitium amoris Divini.

Ut inter res & personas, quibus indigemus ad sublevandam egestatem nostram, & vitam commodè feliciterq; ducendam, DEUS O. M. est Bonum summè nobis Necessarium: ita inter virtutum actus summè nobis necessarium est Exercitium Amoris divini.

Inprimis enim Actus amoris hujus non solùm nobis graviter præcepti sunt præcepto tum naturali tum positivo Divino: sed Maximum & Primum omnium Mandatum est de Diligendo DEO: prout Christus ipse Matt. 22. 38. diserte docuit. *Maximum* est hoc præceptum inter naturalia. Si enim natura rationalis præcipit, ut amemus proximum nostrum, quantumvis in nos non beneficum; amemus Parentes aliosq; Benefactores. quantò magis præcipiat oportet, ut amemus DEUM; qui non solùm Dominus sed Pater noster est potior, quàm homo, qui nos genuit; à quo & possibilitatē, & esse, & omnia ad vitam non solùm temporalem, sed æternam, & æternùm beatam, ducendam, necessaria habemus abundanter. Qui non diligit parentes, abortus est naturæ: qui non amat DEUM, monstrum horrendum, & portentum immane! *Maximum* est etiam inter præcepta Divina: quia inprimis manifestum est, majus esse præceptis secundæ Tabulæ, quibus præcipitur cultus parentum & indemnitas proximi; cum DEI semper, & ab omnibus, adeòq; ipso DEO, potior sit habenda ratio, quàm creaturarum quarumvis. Majus est etiam præceptis primæ Tabulæ & quibusvis alijs Legibus Judicialibus & Ceremonialibus: quia his solùm mandatur, quid non sit faciendum contra DEUM & honorem ejus; alijs verò ordinātur solùm pertinentia ad cultum DEI externum & forum Judiciale: Præcepto autem de diligendo DEO præcipitur Actus internus, & principalis inter omnes actus animæ, nobilissimus inter omnes actus animæ, nobilissimus inter omnes virtutes, & ex quo facile fluunt alij actus tum interni tum externi, pertinentes ad cultum divinum & mandatorum quorumvis observationem. Præcipitur actus, qui maximè expetitur & desideratur ab utentibus ratione. Quid enim magis volumus, quàm amari? Quantò igi-

tur DEUS magis sibi conscius & infinitæ Bonitatis & Perfectionis suæ; tantò magis, oportet, velit amari. Jndicant hanc DEI voluntatem justissimam posita in præcepto Dilectionis verba, valde sonantia, & intentionem DEI exaggerantia: Diliges *ex toto corde tuo, in tota Anima tua, in tota mente tua, omnibus viribus tuis,* Si solùm posuisset: *Diliges omnibus viribus tuis,* satis indicasset, & ex toto corde, & totâ animâ, & tota mente diligendũ esse: sed illa repetitione & exaggeratione magis exprimere voluit dignitatem, & gravitatem tum præcepti, tum obligationis nostræ.

Accedit, quod reliqua omnia præcepta divina ordinentur ad Charitatem tanquam finem suum. *Finis præcepti est Charitas* (inquit Apostolus? 1. Tim: 1. 5.) *de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.* Alia enim præcepta disponunt hominem, ut à vitijs immunis, ea, qua decet mentis & cordis puritate ac probitate diligat DEUM. Unde etiam præceptum de Dilectione dixit Christus D. non solùm esse maximum sed etiam *Primum* mandatum: quia est Primum in intentione Legislatoris, & præcipuum, & tanquã finis reliquorum; cujus expletio tam facilem reddit observationem reliquorum præceptorum, tum divinorum, tum humanorum, ut Doctorum non nemo (Aug. tr. 7. in ep. 1. S. Joan:) non dubitaverit pronunciare: *Ama; & fac quod vis.* Nam juxta Apostolum Rom: 7. *Plenitudo legis Dilectio.*

Ex his patet: Quantopere DEUS, & ut Pater nostri amantissimus, & ut Dominus beneficentissimus, atq; Legislator supremus, desideret à nobis amari: quantaq; nobis incumbat obligatio & necessitas Amoris ejus super omnia, in corde puro, conscientia bona, & fide non ficta, ut dixit Apostolus. Porro ad impletionem Primi hujus & Maximi, ideoq; summè nobis observandi, mandati, non sufficit; semel, aut rarissimè in vita, elicuisse actum Amoris divini; sed crebriore opus est exercitio: prout Innocentius XI. declaravit Anno 1679. 2 Martij, prohibendo sequentes Propositiones n. 5. 6. & 7. *An peccet mortaliter, qui actum dilectionis DEI semel in vita tantùm eliceret, condemnare non audemus. Probabile est; ne singulis quidem rigorosè quinquennijs per se obligare præceptum charitatis erga DEUM. Tunc solùm obligat: quando tenemur justificari; & non habemus aliam viam, qua justificari possumus.* Excordis cordis est tam parca Charitas.

Insuper necessitatem Divini Amoris graviter nobis inculcant duo Apostoli, Joannes & Paulus. *Qui no diligit, manet in morte:* inclamat Joan. ep. 1. c. 3. 14. Heu! in quam horrenda morte! Notat S. Gregorius l. 4. Mor. c. 17. in Scriptura S. mortem carnis dici *Umbram mortis:* veram autem mortem esse *Separationem animæ à DEO*, cui per Charitatem intimè unitur.

Separata autem anima à DEO, quantæ corruptioni est obnoxia! qualium vermium est pabulum æternum! Meritò S. Hieronymus in Jsa: c. 14. peccatorem vocat *Cadaver diaboli putridum*. S. Paulus 1. Cor. 13. non minus patheticè idem urget: *Si linguis*, inquit *hominum loquar, & Angelorũ: Charitatem autem non habeam; factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, & noverim mysteria omnia, & omnem scientiam: & si habuero omnem fidem ita, ut montes transferam, Charitatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas; & si tradidero corpus meum ita, ut ardeam; Charitatem autem non habuero: nihil mihi prodest*. Ergo qui amat, amet: & qui non amat, timeat!

SABBATO.

DEUS Christus, DEIpara V. sunt Bonum nobis utilissimum.

1. ADdora DEUM O. M. & considera eum, esse Bonum nobis utilissimum. Quamvis enim ipse sit Finis noster Ultimus, ad quem nobis tendendum est: tamen & medij rationem habet; in quantum non solum insita sibi bonitate nos movet, sed etiam per infusa gratiarum auxilia nos juvat, & trahit ad se. *Nemo potest venire ad me, sive per fidem; sive per mortem felicem; nisi Pater, qui misit me, traxerit illum:* testatur Christus Joan. 6. Recole; quàm frequenter, quamve potenter per internos instinctus, & externa etiam media, prospera & adversa, te traxerit, & trahat ad se DEUS. Quid resistis? quid reluctaris? Non ad macellum vel carcerẽ te trahit, sed in cœlum, & sinum suum. Quid utilius nobis esse, vel optari potest? Nec DEUS tantùm ipse, verùm & *pietas* erga ipsum *ad omnia utilis est*, teste Apostolo 1. Tim: 4. Huic ergo prima maximaq; impendenda cura. O quod tam rarus & frigidus tui cultor fuerim, DEUS!

2. ADora D. JESUM, & considera: etiam ipsum esse Bonum nobis utilissimum, imo totum esse factum & natum in utilitatem nostrã. Non summis tantùm necessitatibus nostris prospexit, & prospicit: verùm & commodis & lucris nostris. *Ego veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant*. Joan. 10. *De plenitudine ejus accepimus omnes, gratiam pro gratia*. Joan. 1. In hoc intentus est, ut non tantùm justos nos faciat; sed qui justus est, justificetur adhuc; & qui sanctus, sanctificetur adhuc, majoremq; assequatur gloriam in domo Patris sui. Huc spectat Sacramentorum tam variorum Institutio; aliorumq;, quæ in dies offeruntur, mediorum coordinatio. At ex nobis, quam utilitatem, quos fructus habet JESUS? Si servi sunt inutiles, qui omnia fecerunt: qui erimus nos, qui nihil aut tam parum pro ejus gloria facimus? Parce JESU, & stimula ignavos.

3. Vene-

3 VEnerare DEIparam V. & considera: ipsam quoq; esse Bonum nobis utilissimum. Quisquis verbum habet ad Principem, non alteri commodiùs illud credit, quàm Principis Matri. MARIA & promptissima est ad intercedendum, & exaudiri dignissima. Dives est non sibi, sed nobis. Gratia Filij utitur, quám prudenter, tam liberaliter. Nihil antiquiùs habet quam elevare genus suum; fovere, ditare Clientes suos. Tota oculus est ad pervidendas necessitates nostras, tota manus ad subveniendum. Cum fiducia igitur maxima accedimus ad thronum gratiæ tuæ o Gratiosissima: nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris.

Propositum v. g. de strenuo usu Gratiarum & Auxiliorum DEI J. & M, præsertim ad Actus Charitatis.

LECTIO PRACTICA.

Quam Utile sit Exercitium frequens Amoris Divini.

Disertissimi sunt SS. Patres in extollenda præstantia, & Utilitate Charitatis nostræ erga DEUM. Clemens Alex. in paræn. appellat eam *Præcipuum Christiani hominis munus.* Hieronymus ad Theoph: *Cunctarum virtutum Matrem.* Ephrem doctrin. de Humil: *Omnium virtutum Columnam.* Augustinus serm. 53. de temp: *Arcem omnium virtutum.* Prosper lib. 3. V. Cont: c. 13. *Mortem criminum, Vitam Virtutum.* S. Gregorius M. lib. 6. ep. 60. *Matrem & Custodem omnium bonorum.* S. Thomas Aq. 1. 2. q. 62. a. 4. C. *Radicem & Formam omnium virtutum.* Cyrill. Alex: in cap. 13. Joan: *Omni virtute constantem.* Richardus à S. Vict: *Ipsa,* inquit, *non tam virtus potens, quàm virtutum potentia dicenda est, eò quòd ab illa omnes accipiant, ut verè virtutes sint. Hæc vita fidei, spei robur, & omnium intima vis, & medulla virtutum. Hæc quæ vitam ordinat, affectus (pios) inflammat, actus informat, excessus corrigit, mores componit: valens ad omnia, & omnibus prevalens.*

Juvat paulò attentiùs considerare insigne elogium, quo Apostolus 1. Cor. 12. 31. commendat Utilitatem Charitatis, dum eam appellat Viam Excellentissimam ad Perfectionem & Beatitudinem æternam. *Et adhuc excellentiorem Viam vobis demonstro;* inquit in fine Capitis; postquam latè egerat de varijs gratijs divinis gratis datis, quæ eo tempore largiùs donabantur fidelibus à Spiritu S: ut donum lingvarum, prophetiæ, curationum &c. Excurrit enim toto Capite sequente in laudem, & commendationem Charitatis, tanquam virtutis & doni magis necessarij & utilis, quàm sint illæ gratiæ gratis datæ. Eo ipso autem quòd non exprimat terminum, ad quem excellentior illa charitatis via ducit, sed simpliciter dicit, *Excellentiorem viam vobis demonstro,* satis indicat: Charitatis Exercitium sedulum viam esse excellentiorem (& quidem *supra modum excellentiorem,* prout cum S. Chry-

S. Chrysostomo legunt Theophyl: & Cassianus Collat: 11. c. 12. ad omnem Finem, tam immediatum, quám Ultimatum, Christianis præfixum: id est, Charitatem, tanquam viam regiam, tutissimam & brevissimam, ducere & ad omnigenam Perfectionem, ad quam fideles secundùm statum suum tendere debent, & ultimatè ad ipsam summi Boni possessionem per Visionem beatificam.

Sunt nimirum variæ viæ ducentes ad Perfectionem Christianam & Religiosam, ac deniq; ad Beatitudinem æternam: sed aliæ alijs sunt tutiores, compendiosiores & minus arduæ. Quidam tendunt ad DEUM & Perfectionem Via Orationis & contemplationis, alij via Mortificationis, alij viâ rigidioris paupertatis, alij via singularis sui Abnegationis, alij viâ prôptioris Obedientiæ, alij via Liberalitatis seu Misericordiæ in pauperes &c. quæ viæ omnes viæ sunt Domini, & Viatores suos feliciter ad terminum optatum deducere possunt; sed non sine labore, tædio, & sudore, nec omnes omnibus sunt accomodatæ. At via Charitatis regia, seu universalis est, conveniens omni hominum conditioni, sexui, & ætati. Per eã tenditur alacriùs, & ad terminum pervenitur compendiosiùs. Ratio est. Quia qui in studio Charitatis divinæ versatus est diligentiùs; is pro fundamentali, simulq; suprema & generali maxima sua, & pro primo principio omnis motus sui & quietis, habet, & immediatè respicit Placitum Divinũ, seu Voluntatem DEI super omnia Dilecti. Cùm primùm ergo se offert tentatio seu occasio quæpiam solicitans ad defectum aliquem, ne dicam ad peccatum: illico advertit, id *non placere* super omnia Dilecto; proinde sine ulla deliberatione, discursu, tergiversatione, mentem abstrahit ab objecto proposito, & cor immergit DEO. Contra, dum se dat occasio, præclarum quidpiam agendi, aut arduum patiendi; ut primùm advertit, id *placere DEO, DEUM id fieri velle:* jam determinatus, & satis animatus est ad audendum & patiendum; nec circumspicit, quid alij de tali actu sentient, aut quantũ laboris vel doloris, sit sustinendum. Et sic tota agendi, patiendi, & omittendi ratio his veluti duobus cardinibus, seu polis, vertitur: *Placet, Non placet, DEO.* DEUS id fieri à me *vult*, aut *Non vult.* Ideoq; hæc via Charitatis similior est viæ maritimæ, in medio oceani, quam terrestri inter montana. Quia hæc per ambages ducit, per plana & confragosa; jam hîc, jam illic incertus hæret viator: an rectâ, vel ad sinistram aut dextram eundum: illa unicâ dirigitur Cynosurâ; quæ in via spirituali est Voluntas DEI super omnia Dilecti. Ab hac non receditur, quia amatur. Amatur autem, quia super omnia amatur DEUS.

Hinc facile intelligitur: quomodo Charitas sit Radix & Mater omnium reliquar-

reliquarum virtutum, imò & Forma ipſarum, juxta S. Tho: ait: Generat enim illas, imperando Voluntati, & alijs potentijs Exercitium earum propter Bonitatem DEI, ſeu propter Voluntatem & guſtum DEI: ut ſcilicet nunc Actus Fidei, aut Spei, nunc Humilitatis, Patientiæ, Juſtitiæ &c. eliciantur; idq; non ſolùm ex motivis ſuis proprijs, ſed etiam Charitatis; id eſt, propter Bonitatem, & placitum, ſeu guſtum DEI. Quo fit, ut hujusmodi actus ex tali duplici motivo eliciti duplicis ſpeciei ſortiantur bonitatem, ideoq; longè gratiores & pretioſiores ſint coram DEO.

Magna ſunt hæc commoda Charitatis, & magni æſtimata multùmq; commendata ab Aſcetis. Sed quomodo Charitatem ipſam, tam perfectam, tam oculatam & intentam in omnem voluntatem & guſtum DEI, tam zeloſam pro DEO, nobis comparabimus? Reſp: paucis: Crebrâ & ardente invocatione Spiritûs S. cujus eſt illam diffundere in cordibus puris, & ſedula frequentiq; Conſideratione Perfectionum Divinarum. Quò enim DEUM magis cognoverimus & æſtimaverimus, magis amabimus. Breviter, ſed nervosè Bernardus ſerm. ad Frat: de Monte DEI: *Amorem DEI in homine ex gratia genitum, lactat Lectio, Meditatio paſcit, Oratio confortat & illuminat.*

DOMINICA III. ADVENTVS.

DEVS, JESVS & MARIA ſunt Bonum noſtrum jucundiſſimum.

1. ADora DEUM O. M. & conſidera: eum eſſe bonorum omnium jucundiſſimum Bonum. 1. Quia habet delectabilitatem veram & ſinceram, ſine ullo fuco, & amaritudine. 2. Infinitam: quæ infinita corda, ſenſus, & potentias poſſit implere, & ſuperaffluenter implere. 3. Conſtantem & æternam; quam nec adverſa, nec tormenta ulla tollere poſſint. 4. Satiativam ſine faſtidio, imò cum majore deſiderio & appetitu ſui, nauſeâ verò temporalium voluptatum, præſertim carnalium. Si ergo ſua trahit quemq; voluptas: cur non trahit nos voluptas increata, ſinceriſſima, Infinita, æterna? Quo faſcino nos tenet voluptas creata, quàmvis fucata, inconſtans, momentanea, ſordida, & mordens in fine, ut coluber Inferni? O DEUS: gaudium cordis mei: pudet me pravitatis & ſenſualitatis meæ.

2. ADora D. JESUM, & conſidera: etiam illum eſſe Bonum noſtrum jucundiſſimum. Quid enim eſt JESUS, quàm DEUS humaniſſimus, gratioſiſſimus, clementiſſimus, dulciſſimus, liberaliſſimus, mitiſſimus, Optimus, Maximus? Quid eſt JESUS, quàm homo innocentiſſimus, ſanctiſſimus, ſpecioſiſſimus, ſapientiſſimus, miſericordiſſimus, blandiſſimus, cujus vel ipſum nomen mel eſt in corde, jubilum in ore, in aure dulce Canticum;

ticum; in corde nectar cœlicum. Amor JESU dulcissimus, & verè suavissimus; expertus potest credere, quid sit JESUM diligere; JESUM speciosum præ filijs hominum in quem desiderant Angeli prospicere, deliciū Patris æterni, florem generis humani, compendium omnis honestæ voluptatis, quam mens aut sensus desiderare possunt. O quando te videbunt oculi mei, Amabilissime JESU. Quando sonabit vox tua in auribus meis, jucundissime JESU? Diligo & diligam Te super omnia, & in æternum.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: ipsam quoq; esse Bonum nostrum jucundissimum. Est enim vultu decora nimis, imò pulchra tota sine nota cujuscunq; maculæ: diffusa est gratia in labijs ejus: nitet innocentia in moribus ejus: nihil in illa asperum, nihil triste, omnia spirant amorem, solatia, gaudia, honestatem, gratiam, sanctitatem, voluptatem quandam cœlestem. Valete igitur Idola Veneris. Soli MARIÆ Virgini mei calent amores; Hic nulla pars Cupidini, fœdi procul calores.

Propositum v. g. de vera mentis & ~~cordis~~ delectatione quærenda apud DEUM, J. & M. per frequentes actus Amoris.

LECTIO PRACTICA.

Quàm Jucundum sit Exercitium Charitatis Divinæ.

Non pauci, & fortè pars major, hominum eas tantùm delectationes norunt quæ gustu, tactu, alijsq; sensibus percipiuntur. At quibus limatior est intellectus, alias quærunt, & sentiunt delectationes, meliorem hominis partem animum afficientes. Ex his Aristoteles ipsius naturæ magisterio voluptates sensuales, præsertim fœdas, pro vera voluptate, homine digna, non habuit: quia honestate sunt destitutæ, nec habentur pro voluptate humana, nisi à malè affectis. Judicium ergo veræ delectationis sumi voluit 10. Eth. 3. 5. 6. ex judicio hominis boni & virtute præditi, eamq; pro vera habendam, qua ipse delectetur. Quod autem alia alijs jucunda videantur, id evenire dixit ex corruptela. Nam ut pueri, quæ ipsi amant, & quibus capiuntur, præstantissima & jucundissima putant: quæ eadem tamen à viris nihili æstimantur: sic alia placere bonis, alia improbis; quia isti sinceræ ac honestæ voluptatis gustum non habent.

Vetus itaq; & sanior Philosophia veram voluptatem in abstrusarum veritatum cognitione & contemplatione quærebat: imò eò evasit tandem Philosophus: ut cùm multa Eth. 10. c. 7. & 8. de felicitate humana, in qua summa est delectatio, disseruisset, demum concluserit: eam sitam esse in cognitione & contemplatione DEI, & mentium, ut ille ait, à corpore & ab omni concretione abstractarum. Hanc enim rationis humanæ functionem esse ex omnibus suavissimam & jucundissimam.

Chri-

Christiana Philosophia & Theologia non censet, homini contingere felicitatem & voluptatem omnino consummatam, nisi à contemplatione DEI procedat ad perfectum Amorem ejusdem super omnia. Unde nominatissimus Asceta Thomas Kempensis lib. 1. c. 2. de Imit: non dubitavit pronunciare: *Melior est profectò humilis rusticus, qui DEO servit*, eum colendo & amãdo: *quàm superbus Philosophus, qui se neglecto* (& multò magis DEO) *cursum cœli considerat.* Plus dixit Apostelus: *Si noverim mysteria omnia, & omnem scientiam, charitatem autem non habuero; nihil sum.* 1. Cor. 13. Non solùm non sum jucundus & beatus, sed *nihil* sum. Si verò contemplationi divinorum accesserit Amor, tum demum voluptas & gaudium nostrum plena erunt, quantum ærumnosus hujus vitæ status patitur. Indicavit idem Apostolus Gal. 5. quando recensens fructus Spiritus S. statim post Charitatem posuit Gaudium & Pacem. *Fructus autem spiritûs est Charitas, Gaudium, Pax &c.* Solemne est, soli comparare Charitatem tum ob alias analogiæ rationes; tum quod, quemadmodum solis ortus dissipat nebulas & nubes, recreat agros, volucres cœli, pecora campi, & ipsos hominum animos à tenebris nocturnis & somno squalidos: sic Amor DEI, exortus in corde, abstergit tristem, quam peccata induxerant, mentis caliginem, mittit foras timorem illum servilem & anxium, facitq; animam jucundissimè respirare in luce miserationum divinarum, & exultare in DEO Salutari suo. Et sicut sol ubi nostrum conscendit hemisphærium, non subsistit ignavus, sed procedit impiger usq; ad perfectum diem, continuò majorem spargens lucem, diffundens ardorem, generans lætitiam: sic divinus Amor dum magnis passibus frequentatorum Actuum promovetur; continuis incrementis magis magisq; illuminat mentem, & dilatato corde, inexplicabili voluptate replet animam, in ipsum quoq; corpus redundante. *Cor meum & caro mea exultaverunt in DEUM vivum* Psal. 83. *Nulla virtus habet tantam inclinationem ad suum actum, sicut Charitas: nec aliqua ita delectabiliter operatur:* inquit S. Thom: 2. 2. q. 23. a. 2. C.

Similis quoq; est Amor DEI flumini illi Paradisiaco, de quo Gen. 2. dicitur; *Et fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradisum: qui inde dividitur in quatuor capita*; id est, ingentia 4 flumina, aurum, gemmas, & miram felicitatem vehentia. Sic Amor ille, egrediens *de loco voluptatis*, scilicet corde puro, quod DEO plenum est, *ad irrigandum paradisum*, Animam justam; *dividitur in 4 capita*, Conscientiam bonam, Filialem DEI Timorem, Fiduciam in DEO singularem, & Spem vivam, nec confundentẽ, Beatitudinis æternæ. Ubi enim verus DEI amor est, nihil horum deesse potest. Totius veri boni temporalis & æterni parens est. Hæc autem flu-

mina quatuor, quam vastis, quam illimibus & opulentis alveis, qualemq; quantamq; nobis vehunt voluptatem!

De Conscientia bona notum est illud Proverb. 15. *Secura mens quasi juge convivium.* Et Bernardi in libris de Considerat: *Quid ditius, quid in corde dulcius, quid in terra quietius est, & securius bonâ conscientiâ? Damna rerum non metuit, non verborum contumelias, non corporis cruciatus; quæ & ipsa morte magis erigitur, quàm deprimitur.* De Timore DEI filiali jucundè Ecclesiasticus cap: 3. *Timor Domini gloria & gloriatio, & lætitia & corona exultationis. Timor Domini delectabit cor, & dabit lætitiam & gaudium, & longitudinem dierum.* De Fiducia filiali erga DEUM Psal. 15. canit David: *Providebam Dominum in conspectu meo semper quoniam à dextris est mihi, ne commovear: Propter hoc lætatum est cor meum, & exultavit lingva mea.* De spe Beatitudinis æternæ, feracissima gaudiorum, docet, monetq; Christus Matt: 5. *Gaudete, & exultate: quoniam merces vestra copiosa est in cælis.* Et Apostolus 1. Cor: 2. *Nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit DEUS ij, qui diligunt illum.*

O Jucundam, ô beatam vitam amantium te, DEUS meus, Amor meus, Timor meus, Pax, Fiducia, Spes, Gaudium, & corona mea! Adhuc pigebit, ferventer & frequenter amare DEUM? Pigebit recurrere crebriùs ad fontem tantæ voluptatis per ardentia suspiria, per sinceras amoris tesseras, per cumulata amandi magis magisq; desideria? v. g. cum S. August: lib. 10. Conf: c. 29. *O amor, qui semper ardes, & nunquam extingveris, Charitas DEUS meus, accende me.* Vel cum S. Psalte Psal: 17. *Diligam te Domine fortitudo mea,* Bonitas mea, Misericordia mea &c. Respondebit non rarò Amor DEUS; & liquefiet anima nostra, ut sponsæ Cant: 5.

FERIA II.

DEUS, JESUS, MARIA sunt Bonum summe communicativum sui.

I. ADora DEUM O. M. & considera eum, ut Bonum summè communicativum sui. Commmunicat 1. se intra se per identitatem; in quantùm Natura divina una eademq; communicatur tota tribus Personis divinis, Patri Filio & Spiritui Sancto. 2. Communicat se extra se, imprimis per imitationem: in quantùm varias suas perfectiones variè exprimit in creaturis; quæ propterea dicuntur participatio divini esse. 3. Communicat se per gratiam justificantem, quâ evehimur in sortem Filiorum DEI, diciturq; participatio Naturæ divinæ. 4. Communicavit se intimè & modo præstantissimo per unionem hypostaticam; assumendo Na-

turam humanam, eamq; intimè conjungendo cum divina in VERBO. Tam liberaliter, & quasi prodigè communicativus sui est DEUS, præsertim erga homines. At nos quàm parci erga DEUM, quàm tenaces nostri & nostrorum?

2. ADora D. JESUM; & considera: etiam ipsum esse Bonum summè communicativum sui. Communicavit seipsum nobis 1. in Incarnatione, factus homo. 2. Per Nativitatem & conversationem; *in terris visus est & cum hominibus conversatus.* 3. Per prædicationem, revelando nobis mysteria Divinitatis & Humanitatis suæ. 4. Per Institutionem Ven: Eucharistiæ, totum se nobis offerendo in cibum. 5. Per traditionē sui pro nobis in mortem crucis, & pretium redemptionis nostræ. 6. Communicaturus est in regno suo, per claram sui visionem in omnem æternitatem. Quid retribuam Domino, qui sic communicavit se mihi? Si me dedero totum, quantillum dabo? Suscipe tamen liberalissime JESU.

3. VEnerare DEIparam V: & considera: ipsam quoq; esse Bonum summè communicativum sui. Communicavit se nobis offerendo se ad quævis agenda & patienda pro nobis, quæcunq; requireret DEUS. Communicavit, offerendo pro salute generis humani optimam sui partem, Filium. Communicat se etiamnum per consilium & auxilium; in dubijs & periculosis illustrando, & dirigendo; in necessitatibus adjuvando & protegendo; O Mater largissimæ dilectionis, suspicio & æstimo hanc tuam erga nos profusionem. Ego quoq; non vivam; nisi totus tuus.

Propositum v. g. liberaliùs agendi cum DEO, J. & M: ut non solùm integrè præstes, quæ debes; sed plura & meliora.

LECTIO PRACTICA.

Quàm liberali Charitate respondere debeamus summæ communicationi DEI erga nos.

Quàmvis planè infinita sit egestas nostra: nihilominus liberales nos esse erga DEUM decet, & oportet. Arguitur Luc. 12. Euclio ille, qui dixit animæ suæ: *Anima habes multa bona, posita in annos plurimos; requiesce, comede, bibe, epulare.* Perstringitur meritò ut *Stultus*, qui soli ventri suo intentus non cogitavit: *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?* Deniq; repentina morte spoliatur bonis omnibus, & ipsa vita, fitq; pabulum ignis æterni, & documentum posteris in cautelam. Subdit enim Dominus: *Sic est, qui sibi thesaurizat, & non est in DEUM dives.* Quasi diceret: Talem finem & exitum sortietur: quisquis opibus congerendis, & luxui impendendis, unicè intentus, non est largus, seu liberalis in DEUM.

Possumus ergo, imò debemus, liberales esse in DEUM, non obstante infinita paupertate nostra. Nam, ut notavit Seneca lib. de vita beata: *Liberalitas* dicta est *ab animo libero*, & largo. *Animus* enim *est*, inquit idem lib. 1. de benef. c. 6. *qui parva extollit, sordida illustrat: magna & in pretio habita dehonestat*; si nimirum animo tristi & invito conferantur. Et Aristoteles lib. 4. Eth. c. 1. *Liberalis actio non in multitudine rerum, quæ dantur, sed in habitu dantis consistit: hic autem pro facultatibus erogat* id est, juxta copiam facultatum suarum. *Nihil igitur prohibet; eum magis esse liberalem, qui panciora largitur: si modò minores ei sint facultates*; ut plus dare non possit. Consentit S. Ambrosius lib. de viduis: *Liberalitas non cumulo patrimonij, sed largitatis definitur affectu.* Et lib. 1. de Officijs: *Christus duo æra viduæ illius* Luc: 21. *divitum muneribus prætulit; quia totum illa, quod habuit, contulit. Affectus igitur divitem collationem, aut pauperem facit; & pretium rebus imponit.* De eadem vidua dicit S. Thomas 2. 2. q. 32. art. 4. ad 3. *Quòd minus dedit secundùm quantitatem; plus dedit secundùm suam proportionem*: quia non solùm superflua dedit, ut Pharisæi & alij divites, sed maximè necessaria sibi, nimirum *omnem victum suum, quem habuit*, Christo teste. *Ex quo pensatur in ipsa major Charitatis affectus*: addit S. Tho: cit:

Ex his patet: tria potissimùm requiri, ut divinæ in nos profusioni Charitate liberali respodeamus. 1. Ut ea, quæ DEO offerimus, offeramus animo hilari, & prompto. *Hilarem enim datorem diligit DEUS*, teste Apostolo 2. Cor. 9. *Quod mœsto animo defertur, aut necessitate extorquetur, ingratum est, parumquè gloriosum*, ait Gregorius Naz: ep. 258. De promptitudine tritū est illud Publij Mimi: *Qui citò dat, bis dat. Beneficij gratia promptitudine & celeritate congeminatur*: juxta Nazianzenum cit: 2. Ut offeramus, si non totum, quod possumus & sumus: saltem secundùm proportionem quandam, seu copiam facultatum nostrarum: ut patet ex Aristotele suprá, & magis ex illo Tobiæ senioris monito c. 4. 9. *Quomodo potueris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue; si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude.* Parum dedit, qui non nisi superflua dedit. Dum res est cum DEO, etiam de necessarijs aliquid decerpendum est. 3. Ut ea, quæ offerimus, offeramus ex sincero amicabilis Charitatis affectu. id est, non intuitu commodi nostri, quod ex divina liberalitate consecuti sumus, aut consequi speramus (hic enim est Amor concupiscentiæ, imperfectus: quia illo magis ferimur in bonum nostrum temporale, quàm in DEUM) sed propter ipsummet DEUM, infinite Bonum in se & Perfectum: ut ipse inde gustum habeat suavissimum, vel gloria ejus magis amplificetur. Hæc igitur

requi-

requiruntur: ut Charitas nostra nomen *Liberalis* mereatur.

At si, ut decet, æstimare velimus. Communicationem, seu profusionem in nos Divinæ Bonitatis planè illimitatam; facile advertemus: quòd sicut *modus diligendi DEUM, est, diligere sine modo*, teste Bernardo: ita liberaliter amare DEUM, sit amare sine mensura. Unde taliter amantes, parci & sordidi sibi viderentur, si solùm partirentur bona sua cum DEO, aut ex omnibus solùm ipsi concederent quendam Usum fructum. Totum igitur, quod sunt, & possunt; quod habent, & habere possunt, offerunt & tradunt DEO: ipsi ex sola DEI providentia, & hominum liberalitate, vitæ necessaria expectant, parati non solùm laborare pro DEO usq; ad sudorem vultus, sine mercede ulla; sed etiam decertare usq; ad sangvinem & vitæ profusionem, sine prœmio. Verùm neq; hæc satis liberalis videtur illis Charitas. Toto igitur ingenio, & voluntatis affectu in varias artes & industrias, quibus liberalissimum quendam amorem testentur DEO, intenti sunt, Nunc ardentissimè & sincerissimè volunt DEO omnem honorem, & amorem, quem habuit, habet, habebit, & habere potest ab omnibus, etiam possibilibus creaturis: omnes perfectiones, quas habet in se infinitas; omne gaudium, quod habet de se ipso inexplicabile & æternum. Nunc vellent æquè perfectis actibus amoris & glorificationis amare & glorificare DEUM, ac JESUS & MARIA. Nunc per varias discurrunt hypotheses: ut si hæc, vel illa, contingeret occasio gravissima patiendi, vel præclarissima agendi pro DEO; totis se viribus incunctanter impenderent, & superimpenderent: nec sistunt intra imaginarias hypotheses, sed re ipsa quærunt occasiones & modos desideria sua aliquatenus exequendi.

Hoc est, esse divitem in DEUM, & liberali Charitate amare DEUM. Placet? *Filioli mei, non diligamus verbo, nequè linguâ, sed opere & veritate.* 1. Joan. 3.

FERIA III.

DEUS, Christus, & DEIpara V. sunt Bonum Unicum.

1. ADora DEUM O. M. & considera: ipsum esse Unicum, ita: ut nec sit nec esse possit DEUS alius præter ipsum. *Ego DEUS, & non est alius:* Isaiæ 45. Non enim possunt esse vel duo Principia prima, & totius esse; vel duo Summa Bona, vel duo fines ultimati, vel duo supremi & absoluti gubernatores mundi, ac Domini; quibus Creaturæ rationales omnem, eumq; supremum debeant cultum. Miseros gentiles, qui sub jugo tot Dominorum, quot deastrorum, laborarunt; & laborant. Feli-

ces nos, quibus DEUS Deorum Dominus innotuit; DEUS verus, solus & unicus: in quem omnia colligamus officia, obsequia, corda; amores & cultum supremum. O DEUS, Tibi Uni omnia! Soli, honor & amor summus.

2. ADora D. JESUM, & considera: etiam ipsum esse Bonum Unicū, in quantum non est alius Homo-DEUS; Redemptor & Salvator ac Mediator principalis generis humani. Ipsum solùm dedit Pater Caput super omnem Ecclesiam; solùm constituit Judicem supremum, ac Dominantium Dominum, omnia subjiciendo sub pedibus ejus. *Ephes.* 1. Cum enim solus ipse calcaverit torcular salutis nostræ, solus tulerit langvores nostros, & portaverit Infinitum pondus peccatorum nostrorum: Solus & Unicus summa omnia meruit, & prærogativâ Personæ, & excellentiâ meritorum. Tibi igitur, JESU pretiosissime, soli DEO, soli Redemptori & Salvatori meo; summum honorem, amorem & gratitudinem me debere profiteor. At quando, ô quando reddam! Da ipse; ut possim, & velim; & præstem, quod debeo.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: ipsam quoq; in genere suo esse Bonum Unicum. Cui enim alteri; ex Angelis vel hominibus, dixit Filius DEI: Pater aut Mater mea es tu? Solius MARIÆ hoc privilegium est: vigore cujus sola tantum meruit honoris & amoris apud DEUM, quantum tota Justorum hominum & Angelorum, collectio non meruit. Eam sibi elegit DEUS ex omnibus pretiosis gemmam unicam, ex omnibus speciosis Lilium Unicum, ex omnibus charis Amicam unicam, ex omnibus Creaturis Matrem Unicam. Nec primam similem visa est, nec habere sequentem. Gratulor tibi, ô Unica Electa ex omnibus, & Dilecta super omnes, singularem hanc prærogativam; & ardentissime supplico: ut sola occupes, & æternum possideas cor meum. Tibi uni, ex filiabus hominum sit sacrum.

Propositum v. g. de toto corde tradendo DEO, J. & M.

LECTIO PRACTICA.

Per Charitatem deferendum Unum UNI.

B. Ægidius, S. Francisci Seraphici socius Sanctus, frequenter cantillando ingeminare solebat: *Unum UNI, Unum UNI, Unum Cor Uni DEO.* Aliis, *Una Uni*, Anima una Uni DEO. Meritò. Exigit enim id DEUS Creator, DEUS Redemptor, DEUS Sanctificator.

Creator DEUS soli sibi vendicat Animam nostram: quia solus eam creavit, & pretiosissimis dotibus ornavit: soli sibi vendicat possessionem Cor-

dis

dis nostri; quia solus ei vitam inspiravit, atq; illud velut thronum sibi excitavit, in quo tanquam naturalis Dominus & Princeps supremus residens pacificè regnaret, excluso æmulo omni. Unde S. Bernardus in epist: ad quendam postulantem: quid à nobis requirat DEUS? respondit: *Cor nostrū nihil dignius*, seu justius, *producere*, seu agere, *potest: quàm ut ei se restituat, à quo factum est. Et hoc à nobis Dominus expetit, dicens: Fili mi, præbe cor tuum mihi.* Prov. 23. Advertendum autem diligenter: quomodo DEUS, licèt summo jure ei debitum sit Cor nostrum, Anima nostra, & quidquid sumus: tamen specialiter requirit *Cor*; & requirit, non despoticè exigendo, sed amanter petendo; *Præbe fili mi, Cor tuum mihi.* Cor enim non solùm est principium & finis omnis motus vitalis in homine, ideoq; facile princeps inter reliqua membra: sed etiam est propria sedes & officina Amoris, aliorumq; affectuum, & cogitationum malarum; juxta illud Christi Matt: 15. *De corde exeunt cogitationes malæ* &c. Unde passim, etiam in Sacris Literis, Cor ponitur non solùm pro symbolo Amoris sensitivi, sed etiam Mentis, & Voluntatis: ideoq; quod Vulgata dicit. Eccle: 3. 11. *Mundū tradidit,* (DEUS) *disputationi eorum*; legunt Septuaginta, Syrus & Arabs: *Mundum tradidit in corde eorum*; ut scilicet eum attentiùs considerent homines, & Conditorem ejus ament teneriùs, provocati tantâ creaturarum varietate, pulchritudine, & commoditate. Meritò igitur Creator DEUS & Dominus præ omnibus membris & potentijs requirit à nobis Cor. Requirit autem valde amanter: *Præbe, fili mi, Cor tuum mihi.* Est quidem illud sub plenissimo Dominio meo, possum illud mihi vindicare omnibus, quibus libuerit, modis: volo autem, tui meriti causâ, ut ipse mihi liberè, sponte, ultro præbeas illud. Præbeas mihi, non tam ut Domino, quàm ut Patri charissimo, tuiq; amantissimo. Fili mi, si quis in te amor Patris, si quod studium placendi Patri, qui tibi opulentissimam, eamq; æternam hæreditatem paravit in cœlis pro exiguo hoc, & multis titulis debito, munusculo. Præbe *Cor tuum*, Unum UNI, Totum Toti Bono. Numquid æqua petit Creator DEUS?

Non minore jure Cor nostrum sibi vendicat Redemptor mundi DEUS. Emit enim ipsum sibi infinito pretio non auri vel argenti, sed sangvinis sui Divini, & vitæ profusione. Titulus Emptionis est unus è primarijs acquirendi dominium. Licèt autem hoc plenissimum habuerit in cor hominis, & totum hominem, pluribus alijs titulis, Unigenitus DEI: emptione tamen illud sibi comparare voluit; ut tanto magis obligaret hominem, ad totum Uni sibi tradendum. Unde gravissima ei irrogatur injuria, quando corda

nostra

noſtra tradimus hoſtibus ejus graviter peccando. *Non vult Chriſtus Communionem*, inquit S. Auguſtinus tr. 7. in Joan: *ſed ſolus vult poſſidere, quod emit. Tanti emit: ut ſolus poſſideat: tu facis ei coſortem diabolum, cui te per peccatum vendideras.* At Chriſtus hac in parte conſortem non patitur: quin potiùs *iratus, quòd ſit ibi pars diabolo, diſcedit; & totum diabolus poſſidebit.* Unum UNI, Redemptori DEO.

Exigit quoq; ſuo jure Cor noſtrum Sanctificator DEUS, Spiritus S. Ipſe enim illud in ſacro Baptiſmi lavacro ſanctificavit, & ſibi conſecravit in aram perpetuam; in qua Amor, & Sacerdos & Ignis, quotidianum immolaret holocauſtum. Typus hujus Altaris & Ignis fuit Altare Domini, de quo Levit: 6. præcepit DEUS: *Ignis autem in altari meo ſemper ardebit, quem nutriet Sacerdos, ſubjiciens ligna manè per ſingulos dies, & impoſito holocauſto, deſuper adolebit adipes pacificorum. Ignis eſt iſte perpetuus, qui nunquam deficiet in altari.* Altare hoc polluere, & ignem in eo extingvi, immane piaculum erat. Sanctius eſt Altare cordis noſtri, aſperſum ſangvine Agni immaculati, Chriſti; ut in eo perpetuus ardeat Ignis Charitatis, atq; ex eo aſcendant pia Amoris ſuſpiria in odorem ſuaviſſimum Domino. Unum UNI! Non habeat in eo locum Dagon. Claudius Marcellus excitatum á ſe templum Honoris & Virtutis dedicare cupiens, prohibitus eſt á Pontificibus, aſſerentibus: Deos duos non rectè una æde includi; ut habet Plutarchus in Marcello. Unde Virtuti alterum adjectum eſt templum. Quantò minus in uno corde conveniunt DEUS & diabolus, virtus & peccatum!

Unum ergo Uni: Cor Unum, Uni DEO. Si plura haberemus, eaq; tam vaſta ut orbis univerſus, tam incenſa charitate ut clibanus immenſus: omnia deferenda & ſervanda eſſent Uni DEO. Nunc autem unicum, tam exiguum, & frigidum, negabimus DEO? DEO petenti? O Domine, Creator mi, Redemptor & Sanctificator, proteſtor cum Xaverio tuo: quod tu deinceps, ſolus & unicus, eris *DEUS cordis mei.* Non poſſidebit illud alter, vel ad momentum. Quæcunq; tentatio pulſaverit oſtium cordis mei, dicam: Jam præveniſſe alterum, & digniorem. Recolam frequens Ægidianum illud: *Unum UNI.* Tu hoc ſolium tuum, hanc Aram tuam, hunc thalamum tuum, ſerva Tibi, Uni Tibi; ne perfidus ego prodam alteri.

FERIA IV.

DEUS Unus in Natura, Trinus in Perſonis: Chriſtus Unus in duabus Naturis: DEipara V. Divinæ Trinitatis Tabernaculum Sacratiſſimum.

I. ADora DEUM O. M. & conſidera: ipſum ineffabili modo ita eſſe unicum in ſubſtantia; ut ſit etiam Trinus: non quò ad multipli

cationem

cationem Naturæ; ſed quo ad pluralitatem Perſonarum unam eandemq; totam Naturam participantium, eá æqualitate: ut nec major, nec prior tempore, vel naturâ, ſit una alterá. Caret igitur DEUS malo diviſionis, & gaudet incomparabili bono jucundiſſimæ Societatis. Delectatur infinitè Pater in Filio, Filius in Patre, uterq; in & cum Spiritu S. Omnibus accinunt omnes Angelorum chori cœleſte illud triſagium: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus DEUS Sabbaoht.* Nos quoq; terrigenæ uno ore & corde, Benedicamus Patrem & Filium cum S. Spiritu: Laudemus & ſuperexaltemus eum in ſæcula. Gloria tibi Trinitas æqualis, una DEItas, & ante omnia ſæcula, & nunc & in perpetuum. Te invocamus, te Laudamus, te adoramus, o beata Trinitas unus DEUS.

2. ADora D. JESUM, & conſidera: eum unicam eſſe Perſonam in duabus Naturis, Divinâ & Humanâ ſubſiſtentem. Subtiliſſimi Philoſophorum, imò Angeli ipſi, in tota Creaturarum collectione, nihil tale repererunt, nec Intellectu aſſequi potuerunt. Ubiq; Naturarum, præſertim diverſarum, multiplicationem comitatur diſtinctio, imò diviſio & multiplicitas Perſonarum. In ſolius Hominis-DEI prærogativam, & operationem Theandricam duæ tota infinitate diſtantes Naturæ, confluxerunt in unitatem Perſonæ: ut & Hominis actio paſſioq; verè eſſet divina; & excellentiæ Naturæ divinæ per mirabilem idiomatum communicationem verè attribuerentur huic Homini mortali. Credo, mi JESU, & exulto ob tam prodigiosè Divinam Perſonam tuam. O ſi & me miſerum admitteres in unitatem Perſonæ tecum, ſaltem moralem, per gratiam & conformitatem Voluntatum!

3. VEnerare DEIparam V. & conſidera: eam, ut Sacroſanctum divinæ Trinitatis Tabernaculum, cui rectè, accomodetur illud Apoc. 21. *Ecce Tabernaculum DEI cum hominibus, & habitabit cum eis*; idq? non ſolùm per Immenſitatem, omnipotentiam & gratiam; ſed per præſentiam corporalem Filij in aſſumpta natura humana; quem ſpeciali, & ante hac inaudito titulo, & modo comitatæ ſunt, & quaſi domicilium fixerunt in Virgine etiam reliquæ Perſonæ divinæ. Si enim de quocunq; diligente ipſum dixit Chriſtus Joan: 14. *Pater meus diliget eum; & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus:* quantò magis ſpecialem, longè ſplendidiorem, jucundiorem, & ſtabiliorem manſionem, ſibi fecerit oportet Divina Trinitas in Matre Filij DEI! Quàm felix eſſem! ſi & me in partem virginei cordis tui admitteres inquilinum, ô Gratioſiſſima! Ego tibi meum totum offero Vive & regna in illo cum Patre & Filio & Spiritu S. in ſæcula ſæculorum.

Propositum v. g. de accuratiore cultu SS. Trinitatis.

LECTIO PRACTICA.

Charitate Trinâ & Unâ quomodo diligendus DEUS Trinus & Unus.

Oraculum est Discipuli, qui ut Mentis Divinæ partum æternum, itâ voluntatis æstum & impulsum observavit, docuitq; accuratius. *DEUS Charitas est:* inquit 1. Joan. 4. 16. Non solùm DEI donum est Charitas, sed ipse DEUS. DEUS enim & summum Bonum est, & summus, atque essentialis, ejusdem Boni Amor. Si autem DEUS Charitas est, sequitur: Charitatem, qua DEUS se, imò & creaturas, amat, esse Trinam quodammodo, & Unam. Quia in singulis Personis Divinis est, non tamen multiplicata pro numero Personarum, sed una eademq; in omnibus, sicut Voluntas una in omnibus. Sicut igitur alias perfectiones Divinas, quâ licet, ut imitemur, necesse est; ita, & quidem potissimum, Charitatem. Et nostram ergo Charitatem, qua DEUM diligimus, Trinã & Unam esse oportet: alioqui vera Charitas non erit.

Denominationem, mysterij plenam, *Trinæ & Unius*, facile obtinebit Charitas nostra, si spectaverimus, tum Habitum, à quo procedit, & Motivum, ex quo procedit; tum Objectum ejus Materiale, circa quod per actus suos versari debet, & versatur. Quòd Habitus infusus Charitatis, qua Diligĩmus DEUM & proximum, sit unus & idem: docent communiter Theologi cum S. Thoma 2. 2. q. 25. art. 1. Ratio est: quòd Habitus non diversificantur, nisi diversa habeant motiva, seu Objecta formalia. Hoc autem est unicum & idem in actibus Theologicæ Charitatis. Nam propter eandem Bonitatem Divinam, propter quam diligitur DEUS, diligi debet etiam proximus; ut notavit S. Gregorius hom: 38. in Evang: *Si quis,* inquit, *quemlibet amat, sed propter DEUM non amat, Charitatem non habet, sed habere se putat.* Et S. Bernardus in tr: de diligendo DEO. *Ut perfecta Justitia sit diligere proximum, DEUM in causa habere necesse est: alioqui proximũ purè diligere, quomodo potest, qui DEUM non diligit?* Et August: lib: 8. de Trin. c. 8. *Nemo vera dilectione diligit proximum, nisi qui ipsum in DEO, & propter DEUM diligit.*

Fundatur hæc doctrina in divinis Literis. Apostolus enim Rom. 13. *Omne mandatum,* inquit, *in hoc verbo instauratur: Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Plenitudo ergo legis est dilectio.* At in hoc mandato de dilectione proximi non instauraretur primum illud & maximum mandatum de diligendo DEO, nisi proximus diligendus esset propter DEUM: nec plenè legem impleret, qui ex alijs causis diligeret proximum. Christus enim non qualem-

qualemcunq; nobis præcepit amorem proximi, sed similem amori, quo ipse dilexit nos. *Mandatum novum*, inquit Joan: 13. *do vobis: ut diligatis invicem, sicut dilexi vos*. Ex quo autem motivo dilexit nos Christus? Num propter innocentiam & probitatem nostram, aut propter naturæ dotes, aut commodum suum ex convictu nobiscum? Utinam tale quidpiam invenisset in hominibus, & non potiùs corruptionem, pravitatem & malitiam summam! Dilexit ergo nos purè propter DEUM: quia nimirum Patri placere novit talem amorem: quia DEUS dignus est, ut propter ipsum ametur etiam Creatura ejus, ad imaginem & similitudinem ipsius condita. Et sic præcepit, etiam à nobis diligi proximum, *Sicut dilexi*. Exaggeravit hanc intentionem suam per verba præcedentia: *Mandatum Novum do vobis*. Nā ut notavit S. Augustinus tr. 65. in Joan: Non ideo *Novum* appellavit hoc mandatum, quia recenter ab ipso explicatùm, & exemplo commendatum fuit: sed quia verè novum requisivit Amorem. Amor enim naturalis in carne & sangvine, in respectibus humanis, & proprijs commodis, dotibusq; naturalibus alterius, fundatus, admodum vetus & antiquus est, & à natura antiquissimo jure impressus etiam brutis: at Christus sublimiorem præcepit amorem spiritualem & supernaturalem, cujus causa & Efficiens, & Formalis & Finalis esset DEUS ipse. Nec contentus id semel præcepisse, iterum inculcavit Joan: 15. 12. *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos*. Id ipsum indicavit S. Petrus, dum, in ep: sua 2. c. 1. postquam auream texuisset cæterarum virtutum Christianarum catenam: *Ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem, scientiam, in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis*, conclusit: *in amore autem fraternitatis Charitatem*, scilicet DEI. Docuit nimirum: quòd sicut pietas DEO non placet nisi amore fraterno commendetur, juxta illud Matt: 9. *Misericordiam volo, & non Sacrificium*; sic nec amor fraternus solidus & verè Christianus sit, nisi perficiatur Charitate divina, diligendo proximum propter DEUM.

Ex his patet: non dividi seu diversificari Christianam Charitatem, dum extenditur in DEUM & homines: sed Unam esse eandemq; ex Habitu, & ex vi Motivi proprij; consequenter ipsos actus Amoris, quibus diligimus proximum propter DEUM, esse veros actus Divinæ Charitatis: imò esse excellentissimos actus Amoris Divini. Dum enim amatur homo propter DEUM, principaliter amatur DEUS; juxta illud Philosophi: *Propter quod unum tale, ipsum magis*. Talis igitur Unitas sit oportet in Charitate, quâ diligendus est DEUS.

At Trinitas qualis, & unde? Desumenda ea est ex triplici classe Personarum diligendarum. Diligere enim oportet non solùm inprimis, & præ omnibus, DEUM propter se, & Proximum propter DEUM: sed etiam *Nosmet ipsos* propter eundem DEUM. Dum enim præcipitur: ut proximum diligamus sicut nos ipsos, non excluditur, sed supponitur Amor nostri ipsorum: hic autem non potest esse rite ordinatus & Christiano religiosoq; corde dignus, nisi sit *Propter DEUM*. Sic igitur amando DEUM, nos, ipsos, & proximum, Charitate Trina & Una DEUM Trinum & Unum rite colemus, & cum eo æternum dilecti, vivemus.

FERIA V.

DEUS, Christus, DEIpara V. sunt mirabilium omnium Mirabilissimum.

1. ADora DEUM O. M. & considera: inter omnia & maxima mirabilia, quæ operatus est, & operari potest, ipsum esse Mirabilissimum. Mirabilis in altis Dominus, mirabilis in profundis, mirabilis in Sanctis suis, mirabilis in reprobis, mirabilissimus in se ipso. Quis enim non miretur Ens à se; Unicum & Trinum, Primum & Novissimum, Omnia & Nihil. Nihil enim est eorum, quæ fecit; non cœlum; non sol, nec terra, nec mare &c. Est tamen Omnia: quia perfectiones omnes quas dedit Creaturis, habet in se modo eminentissimo, & Infinities perfectiore, quam sint in Creaturis. O Domine, Dominus noster, quàm admirabilis es in universa terra! Miror Te mirabilissimum in Te; miror quoq; mirabilissimum in me: quòd quem prævidisti tantum peccatorem futurum, volueris creare, & in hanc horam inter innumera beneficia tua & peccata mea, gratiosè conservare! Benedic Anima mea Domino, & noli oblivisci mirabilium ejus.

2. ADora D. JESUM, & considera: etiam ipsum esse mirabilium omnium mirabilissimum; idq; non solùm ut est DEUS, sed etiam ut Homo. In ipso enim apparet longitudo brevis, latitudo angusta, Altitudo subdita, Profunditas plana, Lux non lucens, VERBUM infans, Amor frigens, Immensus conclusus, Omnipotens invalidus; Immortalis mortuus. In ipso visa est tristari Lætitia, pavere fiducia, salus pati, fortitudo infirmari, vita mori: & quod non minùs mirandum: visa est tristitia Lætificans, pavor confortans, passio salvans, Infirmitas roborans, mors vivificans. Quis unquam alibi vidit vel audivit mirabilia tanta? Admirabilissime JESU, unum adhuc mirabilibus tuis adijce mirabile: Salva me peccatorem: Stupebit cœlum, & infernus totus.

3. VEnerare DEIparam V. & considera eam, ut Miraculum divinæ potentiæ omnium Maximum & Illustrissimum. Mirabilia operata est in cœlo, & in terra, in aëre & aquis validissima manus Omnipotentis: at in ipsa *fecit potentiam in brachio suo*; conjungendo ima summis, ex homine faciendo DEUM, Virginitatem copulando Maternitati, summæ dignitati sociando humilitatem summam. In ipsa videre est terram Spiritibus Angelicis puriorem, Infantem caput serpentis antiqui conterentem, puellam utero ferentem Virum gigantem, Dominam & Ancillam DEI, Virginem gravidam non gravatam, Matrem in partu exultantem, Creaturam parientem Creatorem suum. Mirabilis DEUS in Sanctis suis, mirabilissimus in Matre! Magnificat in æternum anima mea Dominum: quia fecit tibi magna, ô Mater admirabilis.

Propositum v. g. coërcendi curiositatem circa creaturas aliquomodo mirabiles: & admirandi æstimandique mysteria recondita in DEO, J. M.

LECTIO PRACTICA.

Quomodo Charitas concipienda & fovenda ex consideratione Mirabilium DEI.

QUæ nobis occurrunt nova, singularia & eximia, Mirabilia nobis sunt, & facile miramur. In DEO omnia summa sunt, singularissima, nova simul & antiquissima. Antiqua in se, quia æterna: Nova nobis quia Divinæ Essentiæ infinitum pelagus contemplantibus semper alia & alia occurrunt, animosq; rapiunt. Unde S. Augustinus DEUM vocat Pulchritudinem novam & antiquam, doletq; serò à se amatam. *Serò te amavi Pulchritudo mea tam nova, tam antiqua!* Facile miramur propositas nobis excellentias, & mysteria divina, imò & complacentiam quandam in ipsis concipimus; sed non æquè proni sumus in verum, vivum & cordatum Amorem divinum, similesq; affectus, magis nobis conducentes ad salutem & perfectionem obtinendam. Nato Christo plurimi Orientalium mirati sunt novam, quam exortam viderunt, stellam: vix tres viri excitati sunt ad natum Numen invisendum & adorandum. Pastoribus, quæ in nocte Nativitatis viderant & audierant, divulgantibus, *Omnes, qui audierunt, mirati sunt: sola MARIA conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.* Luc. 2. Conferens non in mente tantùm per discursum, sed in corde suo per congruos affectus. Prædicante Christo, & sermonem confirmante sequentibus signis, passim mirabantur & turbæ & Pharisæi, super doctrina ejus & virtute: pauci movebantur ad credendum, pauciores ad diligendum, prout oportebat.

Monent igitur generatim Ascetæ: in Meditationibus non esse potissimam operam

operam ponendam in speculationibus & discursibus subtilibus, seu considerationibus prolixis; sed in excitandis & inflammandis congruis affectibus. Laboret Intellectus, per considerationem, ut moveatur voluntas ad operationem. Nam ut ait S. Ambrosius in Psal. 118. *Meditationis præceptorum cœlestium intentio, vel finis, est Operatio.* Et S. P. N. Jgnatius in libro Exercitiorum propositis breviter ad considerandum punctis, subdit passim: *Omnia mihi applicanda sunt, ut aliquem inde fructum capiam.* Incumbendum imprimis est in id; ut materia assumpta in considerationem fideli memoriâ recolatur: deinde convenientibus intellectûs discursibus examinetur & discutiatur; donec voluntatem moveri sentiamus, & cor inflammari. Nec contenti esse debemus langvidis quibusdam & sterilibus voluntatis affectibus, Admiratione & simplici aliqua complacentiâ in virtutum decore, & DEI, Christi, Matrisve ejus perfectionibus: sed omnes vires naturæ & gratiæ eò sunt convertendæ; ut solidos concipiamus affectus, & ardentia desideria v. g. Humilitatis profundæ, Paupertatis voluntariæ, Patientiæ heroicæ, Obedientiæ promptæ, & super omnia Charitatis perfectæ. Ubi verò senserimus, Voluntatem jam pronam in aliquam virtutem seu piam actionem: non oportet illico contentum esse, & transire ad alia consideranda: sed insistendum tam diu est, donec, quantum per DEI gratiam fieri poterit, voluntas in concepto affectu solidè firmetur, & intelligatur satis vigoris concepisse ad applicandas feriæ executioni alias potentias. Nec oportet sibi præfigere tempus, quo intellectûs discursu occupemur, ac tandem transeamus ad affectus: sed quàm primùm voluntatem moveri adverterimus; urgenda est tum conglobatis strictim rationibus, tum affectuosis cum DEO, J. & M. aut propria anima &c. Colloquijs.

Est hoc magni momenti documentum, inquit Alph: Rodericius tom. 1. tr. 5. c. 11. quod etiam S. Pater in Lib. Exercit: Addit: 4. præscribit, monens: Ut in eo puncto, in quo Devotionem & sensum, quem volumus, sentiemus; maneamus, & sistamus; nec ad alia puncta transire anxiè laboremus, donec primo eo satiemur & expleamur. Nec satis sit, pio quodam desiderio aliquantum incaluisse: sed annitendum, ut in flammam erumpat, exemplo S. Psalmographi; qui de se fatetur Psal: ,8. 4. *Concaluit cor meum intra me: & in Meditatione mea exardescet Ignis,* Non contentus, incaluisse; ardere voluit, aptissimumq; medium ad concipiendum divinum Charitatis Ignem, judicavit esse Meditationem, rectè institutam: *In Meditatione mea exardescet ignis.* Non sunt more Theologorum in Scholis, speculativè tantùm tractandæ Perfectiones divinæ, & imperfectiones nostræ.

Aliter

Aliter Scholasticus, aliter meditatur Asceta. In illius meditatione plus est fumi, quàm ignis: lucem quærit ille magis, quàm calorem; hic aspernatur lucem, quæ non calefacit; non occupatur in Mirabilibus DEI, nisi ut in ejus amorem vehementiùs exardescat. Ut Legis divinæ est, ita Meditationis nostræ debet esse Finis, Charitas.

Facile est autem, consideratione attenta mysteriorum & admirandarum perfectionum DEI, incalescere, & in ejusdem virtutisq; amorem exardescere. Mens enim hujusmodi Meditationi intenta, est instar speculi crystallini radios Divini Solis colligentis, atq; ijsdem in ara cordis nostri ignē Divini amoris excitantis. Nec minus est efficax devota Meditatio, quàm olim zelosa Eliæ oratio; ob quam *Cecidit ignis Domini* cœlitus, super altare recenter constructum, *& voravit holocaustum & ligna, & lapides, pulverem quoquè & aquam, quæ erat in aquæ-ductu, lambens* 3. Reg. 18. Renovare etiam spiritualiter dignatur bonus DEUS in pia de se Meditatione, quòd 2. Machab. 1. operatus est: quando post aspersa, jussu Nehemiæ, crassiore aquâ, ligna & holocausta, cùm tempus adfuisset, *quo sol refulsit, qui priùs erat in nubilo; accensus est ignis magnus, ita: ut omnes mirarentur.* Non deerit Divinus Ignis, si nostrum non defuerit studium in eo rite provocando. Testatur P. Didacus Alvarez tom. 3. quendam è socijs, cùm conscripta ab ipso de Perfectionibus divinis puncta quotidie meditanda suscepisset, brevi mutatum esse in Virum alterum, totum divino igne exarsisse multasq; sibi gratias retulisse pro eo Exercitio. Etiamnum DEUS noster Ignis consumens est: consideratus attentè, accendet quantumvis frigidos.

FERIA VI.

DEUS, Christus, & DEIpara Virgo, sunt Bonum incomprehensibile.

1. ADora DEUM O. M. & considera: eum esse tam ingens & eminens Bonum; ut nullo creato vel creabili Intellectu comprehendi possit sive extensivè sive Intensivè. Cùm enim DEUS in substantia & perfectionibus suis sit omninò Infinitus, & illimitatus; omnis autem creatus & creabilis Intellectus sit finitus, & limitatam habeat vim intelligendi: Perfectiones omnes divinas distinctè nullo modo attingere poterit; nedum comprehendere, & quâ decet, distinctione, claritate, & dignitate repræsentare. Majorem habet proportionem cochlear unum cum Oceano toto in se recipiendo, quàm Intellectus Creaturæ cum DEO comprehendendo. Tuo igitur Infinito Intellectui, comprehensionem tui reverentissimè relinquo, Optimè, Maxime DEUS. Mihi pronunc satis erit credere & ado-

& adorare, quem non capio. Utinam tenuem aliquem radiolum inaccessæ lucis tuæ olim videre liceat!

2. ADora D. JESUM; & considera: etiam ipsum esse Bonum incomprehensibile. 1. Ratione Divinitatis suæ cum omni plenitudine perfectionum suarum habitantis in se. 2. ratione inscrutabilis mysterij unionis hypostaticæ, inter VERBUM divinum & naturam humanam, quòd nullus, etiam Angelicus Intellectus, naturali acie cognoscere potuit clarè ac certò. 3. ratione supereminentis charitatis, & infinitæ humilitatis, quâ se divina hæc Persona exinanivit non solùm ad formam servi suscipiendam; sed etiam ad supplicium Latronum perferendum amore hominis peccatoris. Non nisi stupere potest cœlum & terra tantam dignationem, charitatem & humilitatem. Nec ego illam & multò minùs excellentias tuas satis capio, JESU incomprehensibilis: suspicio tamen & æstimo infinitè. Da: ut saltem vilitatem meam plenè comprehendam; ideòq; me abijciam infra omnia, Te magnificem & extollam super omnia.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: ipsam quoq; esse Bonum incomprehensibile ab humano & Angelico Intellectu; tum ob dignitatem suam Maternam eminentissimam & quodammodò infinitam; tum ob proportionatam huic gratiam & gloriam. Si enim Angelus inferior non potest comprehendere Superiorem; ut communiter docet Theologia, multò minùs comprehendet DEI Matrem, exaltatam super omnes Angelorum choros; inter quam & supremum Angelum major est distantia, quàm inter hunc & infimum Angelum. At quámvis comprehendere non liceat tantum Bonum, excellentiam tantam: licet tamen frequenti ejus contemplatione pascere Intellectum, cor implere. Ergo omnes mei sensus, ei personate gloriam; frequentate tam beatæ Virginis memoriam.

Propositum v. g. de submittendo humillimè fastu ingenij Articulis fidei, & Incomprehensibilitati DEI: majore autem studio Charitatis.

LECTIO PRACTICA.

Quibus Charitatis gradibus perveniatur ad comprehendendum aliquatenus DEUM.

QUavis mente creata incomprehensibilis DEUS non dedignatur Amantes admittere ad se comprehendendum; si ipsis per certos Charitatis gradus impigrè ire placeat. Duplices autem adverto in charitate gradus, per quorum alios ascendatur, per alios descendatur, ad DEUM. Cùm enim DEUS noster & in altis habitet, & in profundis adsit: & ascendendo & descendendo ad eum ire licet: nec desunt veræ Charitati gradus, quibus & ascendatur, & descendatur ad ipsum. De gradibus descensionis agetur paulò

paulò post, Dom: 4. Adv: de prioribus hic.

Gradus Ascensionis assignari solent sequentes. *Primus* est, *Amore DEI abstinere ab omni lethali ejus offensa.* Jacemus peccatores, rei alicujus culpæ mortiferæ, velut infinita quadam mole depressi in profundû abyssi magnæ. Nec vires suppetunt ad resurgendum, nec via ad evadendum: donec manum auxiliarem nobis porrigat Pater misericordiarum, erigatque miserè prostratos. Ubi ergo perfectè contriti, Amore ejus dolere incipimus de culpa commissa, firmumq;, ope gratiæ ipsius concipimus propositum, abstinendi deinceps ab omni simili offensa: velut primum conscendimus Gradum Charitatis divinæ, qui reliquorum fundamentum est. Nisi enim homo tali sit animo & corde inDEUM, non verus Theophylus, sed hypocrita est, nec est cor ejus rectum coram Domino: & si dixerit, se diligereDEUM, mendacij probrum impinget illi peritissimus Charitatis magister S. Joannes, imò in gentilium ordinem eum rediget. *Qui dicit, se noße eum, & mandata ejus non custodit, mendax est, & in hoc veritas non est.* 1. Joan. 2. De hoc Charitatis divinæ gradu locutus est Apostolus; quando Ephesios cap. 3. 17. monuit, ut essent *in Charitate radicati, & fundati.*

Secundus ascensionis per charitatem gradus est, *Abstinere, amore DEI ab omni, plenè deliberato, peccato veniali.* Non enim dubium est: eum longè magis amare DEUM, qui ipsum nec levissimè vult offendere deliberatè, quàm qui solùm graves vitare vult offensas. Patet ex duobus filijs & famulis; quorum alter ita obfirmato est animo in amore Patris, vel heri: ut malit millies vitam profundere, quàm Patrem aut herum suum graviter offendere per transgressionem alicujus præcepti ejus graviter obligantis; vel per inflictionem alicujus lethalis vulneris; alter omnia potius tormenta & mortem ipsam subiret, quàm vel minimum Patris, aut heri præceptum violaret, aut eundem vel levissimo digiti tactu offenderet. Sic diligentibus vel maximè convenit illud 1. Joan: 3. 6. *Omnis, qui in eo* (in DEO per charitatem) *manet; non peccat.* Et v. 9. *Non potest peccare.*

Tertius ascensionis Gradus est, *Cavere diligenter Amore DEI; ne ei displiceas voluntaria aliqua imperfectione,* seu deliberatè commisso defectu aliquo, quàmvis nullam habeat, etiam venialis culpæ, rationem. Ut si amore DEI accuratè caveas: ne regulam aliquam status tui, quantumvis non obligantem sub aliqua culpa, aut normam officij tui, solùm directivam, & non præceptivam, plena deliberatione transgrediaris: quemadmodum observantiores Principum aulici cavere solent; ne vel minimo inurbano

 gestu

gestu displiceant, sed omnia agant secundùm canones cultioris civilitatis. Non multùm amat, qui solùm cavet offendere, non autem displicere, etiam leviter.

Quartus ascensionis Gradus est, non solùm cavere, ne DEO super omnia dilecto displiceas in aliquo: sed *solicitè studere, ut illi in omnibus placeas;* seu ad mentem & gustum ipsius omnia agas. Qui gradus est prædictis longè sublimior, & consistit in omnimoda conformitate voluntatis nostræ cum Divina propter summam ejus amabilitatē, seu Bonitatē & Excellentiā, qua meretur; ut in omnibus quæ agenda, vel patienda sunt, nos accommodemus sanctissimæ ejus voluntati & placito. Ad hunc gradum vocat Socios & filios suos S. P. N. Jgnatius, quando Constit: p. 3. c. 1. §. 26. monet: *ut omnes in omnibus id sincerè spectent; ut serviant, & placeant divinæ Bonitati propter se ipsam; Et crebrò admoneantur: ut in omnibus quærant DEUM exuentes se, quantum fieri potest, amore omnium creaturarum; ut affectum universum in earum Creatorem conferant.*

Quintus, & supremus, ascensionis gradus est, Amore DEI non solùm curare, ut ipsi propter ipsummet in omnibus placeas; sed etiam ex duabus rebus, vel actionibus, ei placentibus, eligere illam, quæ ei *magis* placet seu agere id; quod perfectius videbitur. Gradus hic, ut altissimus est, & nos intimè perfectissimèq; conjungit cum DEO: ita admodum paucorum est. Conscendit illum tamen S. Theresia, ut habetur in ejus Vita: quæ voto se obstrinxit, ad eligendum semper, & agendum id, quod ei perfectius, & DEO gratius, videbitur. Consendit inter alios S. Patriarcha N. Jgnatius, totis viribus intentus non solùm ad promovendam DEI gloriā, sed *Majorem*, imò Maximam, quantum cum divina gratia posset, Gloriam. Unde in Constitutionibus suis illud creberrimè usurpat, & inculcat: *Ad Majorem DEI gloriam: Ad majus DEI, & Creatoris nostri obsequium.* Testantur de ipso S. Rotæ Auditores, & Cardinales Cong. Sacrorum Rituum in Relatione coram summo Pontifice, pro ejus Canonizatione: *Tanto erga DEUM amore flagrabat; ut tota die illum exquireret, & nihil aliud cogitaret, nihil aliud loqueretur, nihil aliud cuperet, quàm placere DEO, & illius obtemperare voluntati.* De eodem Sancto testatur apud Nadasi in Hebdom: S. Jgn. Pater Didacus Miro perfamiliaris illi: Semper disquisivisse Jgnatium: *quid esset, quod DEO foret Magis gloriosum, magisquè jucundum?* Socios quoq; incitasse, ut amoris divini impulsu id agerent, unde *Maxima* in DEUM gloria redundaret.

Qui ad tam sublimem Charitatis gradum eluctantur, numquid DEUM, quantum

quantum in hac vita fas est, comprehendunt, stringuntq; & ab eo stringuntur, arctissimis amoris amplexibus? De quibusvis sincerè diligentibus pronunciat Christus Joan. 14. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo: & ego diligam eum, & manifestabo ei me ipsum.* Et mox: *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Quomodo igitur se manifestabit, quomodo communicabit tam perfectè diligentibus? Ascendamus & nos per aureos hos Charitatis gradus. Non minùs hujus scalæ, quàm illius Jacobi, Gen. 28. summitati innititur DEUS. Comprehendemus. Ultro ibit in arctissimos tenerrimosq; amplexus.

SABBATO.

DEUS, JESUS, & MARIA sunt Bonum non nisi ex gratia Visibile.

1. ADora DEUM O. M. & considera; eum non solùm esse invisibilem oculo corporeo, cùm sit Spiritus purissimus; sed etiam naturalibus viribus intellectus cujuscunq; creaturæ. Nam 1. Tim. 6. dicitur *inhabitare lucem inaccessibilem.* Ibidem cap. 1. *Rex immortalis & invisibilis*; qui gloria majestatis suæ Infinitæ planè obruit aciem Intellectûs Creati magis, quàm sol splendore suo oculum humanum. Quàmvis autem naturaliter sit invisibilis ut est in se: potest tamen ex gratia sua videndum se exhibere, cui vult; atq; intellectum Creaturæ illustrare ac roborare ad conspiciendum Bonum illud infinitum; quo remunerabitur diligentes se. Ergo nunc, ô anima mea, toti simus in amando DEO: quò ardentiùs amaverimus, eò videbimus clariùs; & gaudebimus jucundiùs per omnem æternitatem.

2. ADora D. JESUM, & considera: etiam ipsum esse Bonum invisibile in se: idq; non solùm respectu nostri; qui ejus spectabili præsentiâ caremus: sed etiam respectu illorum; cum quibus usq; ad ascensionem suam conversabatur. Quamvis enim speciem corporis ejus humani viderint: at quod præstantissimum intùs latebat, solis fidei oculis obscurè attingebant. Et nos præsentem quidem sub speciebus Eucharisticis habemus, totoq; DEO-homine fruimur: facies tamen ejus abscondita est ab oculis nostris. Nunc in nobis augeri vult fidei speiq; meritum; gaudia Visionis differens in futurum. Credo igitur firmissimâ fide, quòd Redemptor meus vivas, JESU gratiosissime; & quòd in carne mea videbo Te DEUM meum: quem ex infinita misericordia tua spero Glorificatorem meum. Reposita est hæc spes mea in sinu meo.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: ipsam quoq; esse Bonum non

nisi ex gratia visibile; tum quòd admirabilem ejus Maternitatem non nisi fide divina attingere possimus; tum quòd gloriam vultus ejus, quâ cœlum implet, ferre oculus humanus nequeat, nisi singulari virtute divina roboratus. Si enim in faciem Moysis propter affusum ei divinum quendam splendorem ex consortio sermonis Domini per dies 40, intendere oculos Israelitæ non poterant *Exod.* 34. quantò magis obruet illos majestas gloriæ, quâ Matrem suam honoravit DEUS! Nunc igitur intenti simus oportet; ut oculos nostros non inquinemus, & inquinatos purgemus atq; acuamus in jucundissimam visionem JESU & MARIÆ. Magna offertur visio, rara felicitas; videre DEUM non jam in rubo, sed in JESU & MARIA! at calceamenta sensualium affectuum deponenda; sursum desideria!

Propositum v. g. anhelandi sæpius cum debita humilitate ad claram Visionem DEI J. & M.

LECTIO PRACTICA.

Charitas quàm familiarem homini, etiam in hac vita, faciat DEUM

Quàmvis, teste Apostolo 1. Tim. 6. *DEUM nemo vidit unquam, sed nec videre potest*, scilicet intuitivè, solisq; naturæ viribus: obtinuit tamen non raro, obtinetq; eximia Diligentium Charitas: ut non solùm variis mirisq; modis se spectabilem, etiam viatoribus, exhibuerit; sed admodum familiariter cum ipsis agere, infinita illa Majestas non sit dedignata. Abrahæ, Gen: 18. quam scitè se objecit sub specie trium peregrinorum Divina Trinitas: ut & in tribus unicum adorarit, & in amicam cum DEO licitationem, pro salute Sodomitarum, descendere non sit veritus. Jacob Patriarcha Gen: 32. dicit: se *vidisse DEUM facie ad faciem*; nec dubitavit Omnipotens se demittere ad luctam cum pastoritio homine, eiq; quodammodo succumbere, & victorem agnoscere: *Contra DEUM fortis fuisti. Dimitte me.* Moyses Numer: 12. dicitur, *ore ad os, quasi amicus cum amico, familiariter cum DEO collocutus.* Nimirum quia ordinarium amandi modum supergressi erant Patriarchæ illi; DEUS quoq; modis extraordinariis sese illis manifestavit, & favores suos testatus est liberaliùs. Abraham, DEI causa, singulari Charitate excipiebat peregrinos: DEUS sub peregrinorũ specie conviva ejus esse voluit; & pro buccella panis prædixit, benedicendas esse in ejus semine *omnes nationes terræ.* Jacob timore & amore DEI, nunquam contaminatus fuit idolorum cultu in domo Laban: DEUS illum invictum fecit, & venerabilem in oculis feri Esau. Moyses, quàmvis inter idololatras educatus, *fide* in verum DEUM, & amore ejusdem, *negavit se esse filium Pharaonis, magis eligens affligi cum populo DEI, quàm temporalis peccati*

peccati habere jucunditatem, ut ait Apostolus Hebr. 11. DEUS se illi non solùm in igne, sed nominatim manifestavit, insuper Thaumaturgum & Ducem populi sui, DEUM verò Pharaonis, constituit eum, atq: in intimam familiaritatem suam admisit.

In lege Gratiæ, postquam Invisibilis in terris visus & cum hominibus conversatus est, nimium quantum factus est spectabilis & familiaris diligentibus se DEUS. Quid familiarius, quàm se in Panem quotidianum præbere? Quid spectabilius, quàm se pro solatio Diligentium in omni specie, ipsis accomodata, exhibere? Statim à Resurrectione sua peregrinantibus in Emaus apparuit ut peregrinus; Magdalenæ lamentanti in horto ut hortulanus; Thomæ dubitanti, ut manus, pedes, ac latus transfixus; omnibus discipulis alto silentio mutis, & charitate frigidis, in specie Lingvarum ignearum: deinceps in specie. nunc Ducis animantis, ut Stephano; nunc Judicis expostulantis, ut Saulo; nunc cruce onusti, ut Petro; nunc Agni candidissimi, ut S. Clementi; nunc Parvuli gratiosissimi, ut plurimis, apparere dignatus est: deniq; Omnibus, se diligentibus, Omnia factus est, & fit, Amor DEUS.

Quàm familiariter usus est triumviris illis Apostolicis, Petro, Jacobo, & Joanne? quibus non solùm credidit secretioria sua; sed speculatores esse voluit gloriæ suæ in monte Thabor. Joanni insuper pectus suum divinum concessit in pulvillum. Paulum, prostratum nuper persecutorem, sed jam cæteris ferventiùs diligentem, non solùm erexit; sed ad tertium usq; cœlum provexit, docuitq; arcana, quæ non licet homini loqui. Ad similem familiaritatem admisit etiam posterioribus sæculis, & his ipsis ultimis temporibus, non rarò, nec paucos, Viros Apostolicos, Dominicos, Franciscos, Borromæos, Salesios; Jgnatios, Philippos Nerios, Cajetanos, Xaverios, & plurimos alios, quos ardentior & robustior in DEUM & proximum Charitas specialiter commendat.

Nec exclusit debiliorem sexum: quin potiùs speciosiora singularis affectûs argumenta illi exhibuisse visus est svavissimus JESUS, utpote teneriùs amantibus: ut manifestum est in Sanctis Birgitta, Catharina Senensi, Gertrude, Melchtilde, Theresia, Rosa, & compluribus alijs. Gertrudi dixit aliquando, ut habetur in ejus vita lib. 3. c. 5. *Meus amor adeò intrinsecè tibi conjungitur: ut nolim sine te beatè vivere.* Et lib. 4. c. 3. *Collocavi te in sinu paternæ meæ benignitatis: ut jugiter impetres à me, quidquid desiderat anima tua.* Et lib. 1. c. 4. *Cùm sceleribus hominum offendor, offensas iras què meas, in ipsa* (Gertrude) *conquiescens remitto, placor, & amore ipsius condono pec-*

cata innumeræ hominũ multitudini. S. Theresiæ, ob insignem aliquem actum DEI amore exercitum, non potuit sibi imperare Christus, quin diceret: *Theresia, si mundum non condidissem, illum jam tui gratiâ, & ex propensissimo erga te affectu, crearem.* Barry in solitud: Die 3. Differt: 2. S. Rosam ex India Occidentali in sponsam quàm blandè assumpsit dulcissimus JESUS? O *Rosa cordis mei*, inquit, *tu mihi sponsa esto:* ut habetur in ejus Officio Eccl. 30. Aug. Similium Divini sponsi erga Sanctas Animas affectuum & deliciarum plenum est Canticum Canticorum; ubi continua mirabilique allegoriâ intima amantis cordis sensa sibi promunt.

Nobis imperfectionum nostrarum, ne dicam vitiorum, quibus scatemus, copia non permittit optare aut sperare hujusmodi cum DEO, JESU & MARIA familiaritatem. Amandi tamen sunt toto corde, totis viribus, amore non solùm ardente, sed, quàm fieri potest, humillimo; indignissimos nos reputando, quibus vel minimum, licèt vulgare, mutui amoris argumentum exhibeatur. Facient illi, quod bonum erit in oculis eorum; & utile nobis.

DOMINICA IV. ADVENTUS.

DEUS, JESUS, & MARIA sunt Bonum obtentu facile.

1. ADora DEUM O. M. & considera: ipsum esse Bonum, quàm magnum & pretiosum; tam facilè obtentu. Quantis opus est curis, laboribus & impensis, ut aliquid boni temporalis, aliquid honoris, officij, beneficij, lucri aut voluptatis obtineamus? At in DEI summi, & omnis Boni possessionem æternam, & fruitionem jucundissimam quàm facilè venire possumus omnis conditionis, sexûs & ætatis homines? non plùs requiritur, quàm quòd ipsa, quâ constamus, natura rationalis imperat: ut amemus ipsum super omnia. Unicus actus hujusmodi amoris non paucos cœli & DEI possessores fecit: & numquid difficilè est, summum Bonum amare super omnia?

2. ADora D. JESUM, & considera: etiam ipsum esse Bonum, ut præstantissimum, ita facillimum obtentu. Ipse ut olim suâ sponte de cælo descendit, in pretium redemptionis sese nobis obtulit; quin ipsi Judæ proditori, & satellitibus ejus ultrò occurrit, victima futurus pro salute nostra: ita etiamnum ultrò sese nobis ingerit; stat ad ostium cordis nostri, & pulsat; aperiri petit & intromitti. Quid quòd in cibum se nobis offerat; non solùm facilè parabilem; sed paratissimum; sumendum quoties libuerit? Vel igitur ignoramus, quis & quid sit JESUS; vel extremâ stultitiâ labo-

ramus;

ramus; dum tantum Bonum, tam facilè obtentu negligimus. Doleo: parce mi JESU!

3. VEnerare DEIparam V. & considera: ipsam quoq; esse Bonum facillimum obtentu. Meritò accomodatur illi; quòd de sapientia scripsit Salomon: Sap. 6. *Facilè videtur ab his, qui diligunt eam; & inveni-tur ab his, qui quærunt illam. Præoccupat, qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat. Qui de luce vigilaverit ad illam, non laborabit: assidentem enim illam foribus suis inveniet.* Mater est; ubera habet turgentia lacte gratiarum, offert ultrò; in ulnas & sinum invitat. Regina est: sed in throno gratiæ residens: semper & cuivis patet accessus. Accedamus igitur, & omni obsequiorum genere illam nobis conciliemus. Venient nobis omnia bona pariter cum illa. Admitte Domina, quàmvis serò recurrentem ad te. Non aliud peto à te, quàm Te. Cor tuum si habuero; habebo omnia: quia nec divinum erit alienum à me. Quid laboremus circa vanissima mundi; dum tam facile obtinere licet, DEUM, J. & M?

Propositum v, g. de contemptu rerum mundanarum, & studio lucrandi DEUM, J. & M.

LECTIO PRACTICA.

Quàm facile obtinere possimus per humilem Charitatem summum Bonum.

QUod per charitatem obtineri possit Summum Bonum, DEUS O. M. patet ex proximè præmissis Lectionibus, & fide certum est. Quòd ipsius Charitatis exercitium facile sit; vel inde manifeum est: quòd in illud ipsius naturæ propensione & impulsu feramur. Ut enim naturali impetu levia sursum, gravia tendunt deorsum, & omnia corpora anhelant ad Centrum suum: ita rationales creaturæ vel ipsius naturalis luminis ductu, quo cognoscunt, DEUM esse summum Bonum, ideoq; amabilem esse super omnia; non possunt non tendere aliquomodo ad centrum & Finem proprium, qui non est alius quàm idem Summum Bonum. Motus autem iste non aliter fit, quam per Amorem, ut notavit S. August: *Amor meus pondus meum: illo feror, quocunquè feror.* Unde inquit S. Franciscus Salesius lib. de Amore DEI. c. 16. *Non est possibile: ut homo attentè cogitans de DEO (& quidem etiam solùm per discursum naturalem) non sentiat aliquam amoris ejaculationem ac stimulum, quem in cordis penetralibus secreta nostræ animæ inclinatio suscitat* erga DEUM.

Declarat id eleganti similitudine. Contingit non rarò, inquit, inter perdices: ut aliquæ furentur ova aliarum, ea ut excludant, sive id fiat aviditate & cupiditate evadendi in matres, sive ex earum stupiditate, qua labo-

rantes

rantes propria sua ova non noverunt. Dicam rem prorsus miram, sed tamen verissimis testimonijs confirmatam. Perdix masculus, qui exclusus est & enutritus sub alis alterius perdicis, ad primam vocem, & quasi lamentationem, quam audit propriæ matris, quæ ovum, ex quo ille exclusus est, perdiderat, continuò relicta perdice fure, redit ad germanam suam matrem, eamq;, motus sympathiâ, seu naturæ convenientia, quam habet cum prima sua origine, sequitur. Hic naturæ instinctus, quasi sepultus aut sopitus fuit in intimis naturæ præcordijs, donec consentaneum ipsi occurreret objectum: tunc quasi è somno excitatus, reducit appetitum perdicis ad proprium naturæ officium. Similiter cordi nostro contingit: quod etsi sit exclusum, nutritum & educatum in rebus corporalibus, humilibus, transitorijs, & ut ita dicam, sub alis naturæ: nihilominus ad primum intuitum, quo DEUM cognoscit, illa prima & ingenita inclinatio in summum Bonum, illico naturaliter quodammodo evigilat, & in quandam amoris flammam erumpit. Hunc naturæ conatum adjuvat DEUS immisso opportunè lumine & inspiratione supernaturali, quibus voluntas ad supernaturalem ducatur Amorem, & Fini suo uniatur per ipsum.

Porro ut hæc Unio cum summo Bono faciliùs atq; perfectiùs obtineatur: sicut assignari solent certi Gradus Charitatis, per quos ad illud ascendatur (ut ostensum Fer. 6. præterita) ita proponi utiliter possunt quidam Gradus descensionis, quibus speciali industriâ quadam, ad idem summum Bonum descendatur per Humilem Charitatem, seu Amorosam Humilitatem. Est enim DEUS noster ejus ingenij, ut elatos fugiat, ad humiles ultro descendat: quemadmodum respexit humilitatem Ancillæ suæ, inclinavit cœlos, & descendens in viscera ejus, admirandam arctissimamq; fecit, se inter ac illam, Unionem.

Primus gradus descensionis est: reputare se undequaq; indignissimum, cui DEUS Habitum Charitatis pretiosissimum infundat: Et quem per supernaturalia lumina & inspirationes supernaturales elevet usq; ad amorem Amicitiæ. Est enim donum hoc donorum omnium quæ divinitus in hac vita accipimus, post Gratiam Justificantem (si non est idem cum ipsa) maximum. Hoc ipso enim, quod DEUS nos faciat idoneos, ut amicorum & filiorum affectu ipsum amemus; præbet, nobis gratiosissimè facultatem, promerendi mutuos ejus amores, augmentum gratiæ in hac vita, gloriam autem & hæreditatem cœlestem in altera. Hoc autem judicium de indignitate nostra non debet nos absterrere à petendo ardentissimo Amore DEI; sed potiùs incitare ad eum solicitandum; ut quantò major est indignitas

nostra, tantò liberaliorem se velit exhibere, & pompam quandam facere Liberalitati suæ, & Misericordiæ.

Secundus gradus est: Humiliter & amorosè dolere atq; conqueri de imperfectione, aut etiam nullitate Amoris nostri, digni DEO. Quis enim est Amor noster comparatus ad infinitam amabilitatem summi Boni? Et hic ipse quàm rarus, frigidus, & amore proprio, vel aliarum creaturarum, quàm infectus est! Meritò ingemiscere solebat S. P. N. Ignatius ob extinctû, aut non accensum in hominibus Amorem DEI: *O DEUS! O si te homines nossent!* Meritò in uberes lacrymas, & publicam per compita querelam solvebatur B. Jacoponus; quòd *Amor non amatur:* at mihi justior dolor, & querela gravior contra me ipsum; quòd Amorem non amem: aut tam frigidè amem, nec cooperer, ut decet, stimulis amoris.

Tertius gradus descensionis est, Amore DEI humiliter se submittere ad omnem Divinæ voluntatis circa nos dispositionem: ut, quoniam eum non amamus, ut filij, saltem hoc ex servis suis habeat solatij; quòd nolimus recalcitrare, sed propter summam ejus Bonitatem parati simus, ad omnem ipsius voluntatem, & dispositionem circa nos ratam gratamq; habendam. Qui affectus non est sine insigni actu Charitatis: potest autem in hunc sensum exprimi. Volo quidem sincerissimè, & unicè desidero, amare Te, DEUS meus, amore planè Seraphico, imò plus quam Seraphico, incessanter, & per omnem æternitatem, quia dignissimus es hoc, & infinitè majore amore: Si tamen tuæ Majestati placuerit eam solùm gratiarum mensuram mihi largiri, qua non magis diligam, quàm minimus diligentium te: fiat voluntas tua; acquiesco etiam huic Sanctissimæ dispositioni tuæ Unum tamen oro; ne id fiat ob aliquam culpam meam, & animi ignaviam. Cæterùm diligam Te tota intensione gratiæ, quamcunq; mihi largieris.

Super tam humilem amantem nonne ultro decidet Ignis divinus, & ex tam parvis scintillis grande excitabit incendium? Tempus huic exercitio opportunissimum est, quando Anima ariditate & langvere quodam laborat.

FERIA II.

DEUS, JESUS, & MARIA sunt Bonum immutabile.

I. ADora DEUM O. M. & considera: Ipsum esse Bonum simpliciter immutabile. Nam nec ipse deficere, nec quidquam perfectionum illi accedere vel decedere potest. Omnes enim perfectiones, quas habere potest, habet ab æterno, & omnes sunt in ipso unica indivisibilis perfectio,

fectio, ficut ipsa ejus Substantia & Essentia. *Ego Dominus, & non mutor.* Malach. 3. Nostra hæc est Substantia, nostræ naturales divitiæ, defectio, mutabilitas, egestas, miseriæ, interitus, nihil. Crescimus & decrescimus; fugimus velut umbra, & nunquam in eodem statu permanemus. Cur ergo non magis adhæremus DEO, Bono immutabili? Quæ mundus habet & offert, vel nos deserunt, dum ipsa deficiunt; vel ea deserere cogimur, dum deficimus. In te igitur deinceps firmabo cor meum, & omnes Spes meas DEUS. Cætera affluant & diffluant: tu mihi sufficies ô Bonum immutabile.

2 ADora D. JESUM, & considera: etiam ipsum esse Bonum immutabile, non solùm secundùm Divinitatem suam: sed etiam ut homo est. 1. Quia Unio hypostatica, quâ naturam humanam assumpsit, nunquam, etiam per mortem, dissoluta fuit, nec dissolvetur unquam; adeoq; æterna erit gloria generis nostri Homo-DEUS. 2. Nunquam recidet in statum passibilitatis. *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur.* Rom. 6. & inter innumeras offensas nihil patitur. 3. Est nobis hostia perpetua, cibus indeficiens, voluptas æterna. 4. Nunquam vertitur in malum; sive gerat personam amici & fratris; sive Judicis. Semper in Te bonus es, nunquam mihi malus es: Optime, Amabilissime JESU, sive torpentem stimulis excites, sive insolescentem adversis exerceas, sive delinquentem plagis castiges. Semper & in omnibus amabo Te, ô Bonum immutabile.

3 VEnerare DEIparam V: & considera: ipsam quoq; fuisse & esse Bonum quodammodò immutabile. Imprimis enim nunquam defecit à bonitate, quam à primo Conceptionis suæ instanti habuit. Luna fuit, non crescens & deficiens; sed per omnem vitam mortalem continuò crescens, postea in plenitudine gratiæ & gloriæ æternùm subsistens. Deinde nunquam maternum suum affectum mutavit erga genus humanum; quamvis tam indigna & immania ab hominibus passus fuerit Filius ejus. Ad hæc in summa calamitate, & tristissima vicissitudine, quando omnes discipuli fugerunt relicto JESU, ipsa nec fidei, nec constantis animi passa est detrimentum. Nec honor summus, nec contemptus maximus illam mutavit; nisi ex meliore in Optimam. At nos quàm citò transferimur etiam ex optimis in pessimos? Firma, Domina, servum tuum in bono: prohibe à malo.

Propositum v. g. de constanti studio virtutum præsertim Charitatis.

LECTIO PRACTICA.

Quomodò Charitatem nunquam deficere, semper proficere oporteat.

DEUS Dominus noster cum sit Bonum Immutabile: etiam nostrum erga

erga ipsum amorem oportet esse Immutabilem; non quidem in ea perfectione, qua DEUS Immutabilis est (illi enim proprium est nec crescere nec deficere) sed ut Amor noster nunquam mutetur in deterius, decrescendo & deficiendo: mutetur autem continuò in melius, crescendo & proficiendo, instar Ignis: qui non deficit, dum congruum ei non deficit pabulum: hoc autem crescente crescit & ipse magis magisq;;nisi violenter opprimatur.

Defectu nutrimenti deficere non potest Charitas nostra. Alitur enim ipsa Bonitate Divina & infinitis, atq; indefectibilibus, ejus perfectionibus, & beneficijs: nisi forte ex supina incuria negligamùs Voluntati applicare Divinum hoc pabulum per frequentem memoriam, & accuratam Meditationem. Perinde enim alit cibus nullus, & non applicatus, aut non rite digestus. Hinc evenit non paucis,quod fatuis illis Virginibus Mat: 25. quæ, ut loquitur S. Gregorius hom. 10. in Evan. Oleum in vasis suis habere *noluerunt*. Facile habere poterant; quia prope erat forum; sed per incuriam neglexerunt; neglexisse autem, noluisse fuit. Unde à nuptijs non solùm excludi, sed rejici meruerùnt, exprobrante ipso sponso, *Nescio vos*. Tessera pertinentium ad nuptias Agni, non est speculum Fidei, nec Anchora spei, nec Lampas ornata; sed Lampas ardens Charitate: cui alendæ præstò est, & in copia, oleum; nostrum est, illud in tempore ministerio intellectus suppeditare voluntati. Ardebit facile divinâ Excellentiâ & Benevolentiâ succensa: non deficiet, quàm diu oleum hoc suppeditabitur.

Nec timendum: ne violentiâ tempestatum, adversitatum, persecutionum, tentationum, Divinus hic ignis in corde deficiat. *Quia fortis est ut mors Dilectio* ferventer amantis. *Lampades ejus lampades ignis, atquè flammarum. Aquæ multæ non potuerunt extinguere Charitatem, nec flumina obruent illam.* Cant. 8. Quin potiùs magis magisq; succendent illam: quemadmodum si resina, vel sulphur ardenti clibano injiciantur: ut patet in Apostolo Rom. 8. 38. S. JgnatioM. & innumeris MM. & CC. provocantibus plures cruces & tormenta. Ignis enim hic non è terrestri materia natus est, sed originem suam refert ad illum, qui Ignis consumens est. Sola propria Voluntas nostra illum suffocare potest; si Cor rebus terrenis & carni immergat. Sed quid erit homo extincto divino illo Igne, quàm fœdus titio inferni? *Manete in dilectione mea*: monet Christus Joan. 15. Nam nemo alius, quàm *Qui perseveraverit usquè in finem, hic salvus erit*,

Ut in Charitate continuò proficere studeamus: urgent nos, à potiori, omnes rationes, quibus suadetur; ut in virtutibus & perfectione Christiana proficere laboremus. Charitas enim ut sup. ostensum, est apex & corona Perfectionis Christianæ, Regina, Mater, & Radix omnium aliarum virtutum, ideoq; ipsa crescente, crescunt & reliquæ, quasi insensibiliter, & absq; speciali labore. E contra valde difficulter acquiruntur aliæ virtutes sine adminiculo Divinæ Charitatis; nec diuturnum solet esse earum studium.

Accedit, quòd progressus in Charitate sit valde facilis. Nam inprimis Habitualis Charitas augetur per quemvis cujusvis virtutis actum meritorium; ut docent Theologi: Actualis verò Charitas crescit non solùm exercitio Actuum, quibus directè ferimur in DEUM, amando ipsum propter infinitam summamq; Bonitatem seu Excellentiam suam: sed etiam ipsis pijs desiderijs quibus DEUM toto corde amare desideramus. Nam hæc desideria (similiter & querelæ piæ de imperfectione vel defectu amoris nostri erga DEUM) proveniunt communiter ex ipso amore DEI, nobis adhuc insensibili, vel minus sensibili. *Qua mensura autem tale desiderium crescit, Amor etiam augeri incipit Qui desiderat ardenter amorem: intra breve tempus amabit ardenter*, inquit S. Franciscus de Sales lib. 12. de Amore DEI. c. 2.

Non officiunt hujusmodi desiderijs, vel ipsi frequenti Amoris exercitio quotidianæ occupationes nostræ, & negotia. Nam hæc, præsertim si legitima, justa, & necessaria secernamus ab ijs, quæ nobis facessit curiositas, ambitio, avaritia, studium placendi hominibus &c. non sunt tot ac tanta; quin identidem elevare possimus mentem ad DEUM, & ex intimo corde vibrare ardentem aliquam sagittam amoris divini: imò, si bene advertamus, facile nobis concedent horulæ partem aliquam, aut integram etiam, qua vacemus DEO, & ejus Amori nos reddamus; prout videre est in Sanctis Regibus & Imperatoribus, Præsulibus & Religionum Fundatoribus, quibus, inter decumana & catenata negotia, nec tempus nec otium defuit vacandi DEO & officijs amoris. Non tam copia vel gravitas negotiorum nobis impedimento est, quam effusio ultronea in externas occupationes, & defectus seriæ applicationis ad Divina. Qui se arctiùs addixerunt Amori Divino, non aliter, quám ab actu Amoris inchoant occupationes suas; non aliter continuant, quam cum actu Amoris; nec aliter finiunt, quam in actu Amoris. Deinde particulas illas temporis, quæ inter unã alteramve actionem intercedunt, avidè accipiunt, & impendunt Amori:

ipsos

ipsos passus, dum de loco in locum transeunt, dedicant amori. Et sic varijs industrijs cavent, ne aliquid detrimenti accipiat Amor: curant autem, ut negotijs omnibus, sacris & profanis, prolixis & brevibus, incrementum sumat Amor. O quando, quando, DEUS cordis mei, Summum & Immutabile Bonum meum, evadam in amorem Te dignum, nunquam deficientem, semper proficientem!

FERIA III.

DEUS, JESUS & MARIA sunt Bonum æternum.

1. ADora DEUM O. M. & considera: ipsum esse Bonum absolutissime æternum. Nam 1. est ab æterno in æternum; nec initium habet, nec finem. *Priusquam montes fierent, aut firmaretur terra & orbis, à sæculo usquè in sæculum; tu es, DEUS:* Psal. 89. Et Isai: 57. vocatur *Excelsus & sublimis habitans æternitatem.* 2. Ipsius esse nullis mensurari potest horis, diebus, annis, & sæculis, aut quibusvis temporibus: sed duratio ipsius est Indivisibilis, & tota simul interminabilis vitæ possessio. *Numerus annorum ejus inæstimabilis,* Job. 36. Quis enim satis concipiat mirabilem illam durationem, quæ est indivisibilis ac tota simul, & tamen comprehendit infinitas annorum myriades? quæ propriè non habet fuisse, aut futurum esse; sed merum esse? quæ nunquam incepit; sed initium mundi & omnium temporum præcessit infinitis sæculorum millionibus? Gaudeo, & exulto, æterne DEUS de tam mirabili existentiæ tuæ æternitate: ago gratias pro communicatis mihi ex illa, paucis, quos vixi, annis. Si qui adhuc per gratiam tuam mihi restant; sint, oro; à gravi saltem offensâ tui immunes: alioqui maturè præcide filum vitæ.

2. ADora D. JESUM, & considera: etiam ipsum esse Bonum æternum. 1. Secundùm Divinitatem suam est æterno Patri omnino coævus. Est enim Sapientia & Virtus ipsius; de qua Prov. 8. dicitur: *Ab æterno ordinata sum.* & ex antiquis, antequam terra fieret. Nondum erant abyssi; & ego jam concepta eram. &c. Cum eo eram cuncta componens. 2. Quamvis ut Homo conceptus & natus fuerit in tempore, & quidem novissimis temporibus; in mente tamen DEI, & æterna ejus intentione fuit ante omnes Creaturas, tanquam *Primogenitus omnis Creaturæ,* Coloss. 1. in quo sibi Pater æternus, præ reliquis omnibus complacuit. 3. Christus meritus est existentiam & gloriam æternam, tum dignitate unionis hypostaticæ, tum valore Infinito meritorum suorum. Unde Hebr. 6. dicitur: *Pontifex factus in æternum.* Et 2. Petr. 1. vocatur

regnum ejus *æternum* Quid igitur cor apponam vanis, caducis, transitorijs mundi bonis: quando in Te, Pretiosissime JESU Bonum habeo sincerum sine fuco, æternum sine fine?

3. VEnerare DEIparam V. & considera: ipsam quoq; esse Bonum speciali ratione æternum. Nam 1. plures insignioresq; habet ipsa titulos ad vitam & gloriam æternam quàm homines & Angeli omnes. 2. Ab æterno in æternum nihil unquam mali in illa notari potuit esse; fuisse, aut futurum esse. In nobis antequam nascamur, nihil deprehenditur boni propter originale malum: ubi nati sumus, & adolescimus; o quanta boni, maliq; vicissitudo! Et quis nostrûm novit, an non sit æternùm futurus pessimus? Gratulor Tibi, o Domina beatam hanc æternitatem etiam in mortali vita: Suspicio Te, ut Bonum æternum; etiam meum. O quando eo frui licebit! Quando tandem mihi vilescent momentanea mundi? *Propositum v. g. de avellendo maturè corde à rebus caducis: & amandis indefectibiliter DEO J. & M.*

LECTIO PRACTICA.

Ut Charitas nostra sit Æterna, tollendus Amor proprius.

BOno Æterno, Summo, Purissimoq;, deberi Amorem æternum, extra dubium est. Quomodo autem Amor, quem in hac mortali vita erga DEUM, J. & M. concipimus, indefectibiliter atq; æternum conservari possit; hic labor, hoc opus est. Thesaurus oppulentissimus est hic Amor, sed inhiant illi continuò Stygij prædones. Ignis est, sed qui portatur in vasis fictilibus, innumeris tempestatibus obnoxius. Hæres est amplissimi patrimonij, largissima patris benedictione instructus: sed non deest huic Jacob malè germanus Esau, in ejus necem assiduè intentus. Candidatus est regni cœlestis, quia est *secundùm Cor DEI*,: sed habet suum Saulem, non unâ lanceâ armatum, & insuper spiritu maligno incitatum. Quomodo salvus evadet?

Præter malignos spiritus, non est capitalior Divini Amoris hostis, quàm Amor qui dicitur *Proprius* cujusq;, *Philautia* Græcè. Ille nimirum amor, quo nos ipsos inordinatè amamus, unicè vel principaliter, studendo commodis proprijs; nulla vel secundaria tantùm habita ratione divinæ gloriæ vel alterius finis honesti. Amor hic planè è diametro contrarius est Charitati, seu Amori DEI, pugnatq; pertinacissimè cum ipso, nec raro victor evadit. Difficillimè expugnatur: sedet enim in homine, ut in civitate optimè munita, totaq; corrupta hominis natura cum omnibus potentijs & passionibus suis ipsi militat, & Divino Amori ipsiq; DEO arroganter insultat,

fultat. Notavit hoc S. Augustinus lib 14. c. 28. de Civit: ubi ait; *Fecerunt civitates duas Amores duo: terrenam scilicet Amor sui, usquè ad Contemptum DEI; Cælestem verò Amor DEI, usquè ad contemptum sui. Illa in se ipsa, hæc in Domino gloriatur.* Quanta mala perditus ille Amor operetur in homine colligi potest ex sequentibus effectibus.

Philautia seu Amor proprius est Radix, fons & seminarium omnium vitiorum: ut declarat idem S. Aug. lib. 22. de Civit: c. 22. & indicat Apostolus 2. Tim. 3. Cùm enim dixisset: *In novissimis diebus erunt homines se ipsos amantes.*; mox subjunxit, *Cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes &c.* Rationem hujus indicat S. Gregorius hom: 4: in Ezech: *Quia vehementer claudit oculum cordis amor privatus:* ut homo nec DEUM, aut leges ejus, respiciat, nec in futurum prospiciat, nec aliquam honesti rationem habeat: sed tantum commodo, voluptati, gloriæq; suæ intentus, omnia trahat ad se ipsum, nec quidquam referat ultrò ad DEUM, sed potiùs Divina, seu DEI cultum externum, ordinet, torqueatq; ad proprium, ut ajunt, interesse. Unde facile colligitur: omnia vitia capitalia ex ipso fluere. Quia nimirum nimis amamus Excellentiam, seu dotes animi proprias à natura vel arte habitas, superbia intumescimus: quia nimiùm amamus corpus proprium, Gulâ distendimur, Luxuria dissolvimur: quia nos ipsos deperimus, opes corradimus per Avaritiam, de bono alieno tristamur per Invidiam, in adversantes nobis furimus per Iram.

Imperfectionum & levium noxarum plane infinita colluvies ex eodem fonte scaturit. Ex amore enim proprio, in edendo, bibendo, dormiendo, jocando, alijsq; adiaphoris actionibus non tam necessitatis, quàm voluptatis rationem habemus; in cultu corporis, domus, supellectilis comptiores sumus, quàm communis hominum mos ferat, aut ratio status nostri permittat; defectus aliquos naturæ, parentum inopiam, officij vilitatem erubescimus; reprehensiones superiorum, & amicorum admonitiones molestè ferimus; à cultu divino alijsq; pijs operibus ob respectus humanos abstinemus; vana gloriâ & aliorum lenocinijs titillamur; ob acceptas injurias implacabiles sumus, atq;, teste S. Aug. in lib. Confession: *Sæpe de ipso vanæ gloriæ contemptu gloriamur*, ex paucis & minimis, quæ pro DEO agimus præpropere primitias per jactantiam aut vanam complacentiam deserpimus &c. Ut verissimè dixerit Kemp: lib. 3. de Imit: c. 27. *Scito, quod amor tui ipsius magis nocet tibi, quàm aliqua res mundi.* Si igitur perseverantiæ Charitatis vel ad modicum tempus consultum volumus: in capitalem

lem ipsi9 hostem, Amorem proprium, totis viribus insurgamus oportet.

FERIA IV.

DEUS, JESUS, & MARIA sunt Bonum nobis præsentissimum.

1. ADora DEUM OPTIMUM MAXIMUM & considera: eum varijs modis præsentissimum nobis esse: 1. Per Essentiæ suæ Immensitatem. Indivisibilis enim essentia ipsius diffusa est per orbem universum & ultra in infinitum, Unde ait Apostolus Act. 17. *In ipso vivimus, movemur, & sumus*; sicut pisciculi in mari quodam immenso. 2. Per omnipotentiam suam, quá nos conservat, vim operandi tribuit, & nobiscum in nobis operatur. *Omnia opera nostra operatus es in nobis. Isaiæ* 26. Deniq; 3. Per præsentiam quandam ocularem: in quantum omnes motus nostros, cogitationes singulas, verba & actiones, velut proprijs oculis, & in persona propria, observat & notat. *Omnia nuda & aperta sunt oculis ejus.* Heb. 4. Vide igitur Anima mea, quid agas, dicas, cogites. In DEO, cum DEO, & corám DEO agimus. O DEUS! quò ibo á spiritu tuo, qui tam parum boni, tam multum mali ago? Cùm extra te esse non possim; doce me ambulare coram Te, & verè vivere in Te.

2. ADora D. JESUM & considera: etiam ipsum esse nobis præsentissimum. Ipse est *Emmanuel noster* Matt. 1. id est *nobiscum DEUS.* Nobiscum; tum per Imensitatem Divinitatis suæ; tum per assumptionem Naturæ nostræ, tum per protectionem & directionem; tum per corporalem præsentiam in Sacramento Eucharistico. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usquè ad consummationem seculi.* Matt. 28. At nos quam illibenter sumus cum JESU sive per orationem; sive per Imitationem! Parce o Emmanuel Amabilissime. Tuo lateri deinceps fidus hærebo. Tecum paratus sum, etiam in mortem ire, sed munitus gratiá tuá.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: ipsam quoq; præsentissimam nobis esse: non corpore quidem; sed continuá necessitatum nostrarum observatione, materna circa nos curâ, potenti in periculis protectione, assidua pro nobis intercessione, largissimá donorum cœlestium erogatione. Non est, qui se abscondat à calore charitatis ejus. Sæpiùs, o Gratiosissima, sensi; te mihi propitiam adesse: & nisi adfuisses; pauló minùs in inferno habitásset anima mea, vel graviter lapsus fuissem. Ne desere Clientem; donec feliciter deducas in regnum gloriæ tuæ. Interim vos mihi semper ante oculos eritis, Amores mei dulcissimi, DEUS, J. & M.

Propositum de recolenda præsertim in periculis peccandi, præsentia DEI.

LECTIO PRACTICA.

Quantum conferas ad conservandam augendamquè Charitatem Memoria Præsentis DEI.

Et literæ Divinæ, & Patres Sancti admodum crebrò graviterq; commendant nobis frequentem, imò assiduam Præsentis DEI memoriam. *Quærite Dominum, & confirmamini: quærite faciem ejus semper* Psal. 104. *In omnibus viis tuis cogita illum.* Proverb. 3. *Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto DEUM.* Tob. 4. *Judicabo tibi, ô homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te. Utiquè facere judicium, & diligere misericordiam, & solicitum ambulare cum DEO tuo:* monet Michæas *cap. 6.*

Fructus hujus Exercitij est multus & pretiosus: hic eum solùm proponam; quòd frequens DEI Præsentis memoria plurimùm conferat ad conservandam augendamq; in nobis Charitatem. Conservat Charitatem: quia efficacissime absterret à peccatis; quibus vel tollitur Charitas, si gravia sint; vel minuitur fervor ejus, si levia. *Memento DEI & non peccabis:* scripsit S. Jgnatius M. ad Heronem Diacon. ep. 9. *Hac solùm ratione fit, ut quis nunquam labatur; si DEUM sibi ipsi semper adesse existimat:* ait S. Clemens Alex: lib. pædagogi; c. 5. S. Ephrem lib. de virtute. c. 10. dicit: *Nihil pejus graviusquè est, quam ipsius DEI oblivionem capere. Continua enim DEI recordatione turpes animæ passiones recedunt, instar maleficorum Prætore accedente: unde & mundum spiritus S. habitaculum efficitur. Ubi verò memoria DEI abest, ibi tenebræ cum fœtore dominantur, omnisquè res improba exercetur.* Expertus est ipsemet S. Eprem virtutem hujus antidoti: prout de ipso scribit Metaphrastes in ejus vita. Solicitatus enim à scorto ad pudendum flagitium, respondit: se non abnuere, si in publico foro res agi possit. Opponente illa verecundiam, in oculis hominum spectantium, subjunxit: Quantò minus fieri debet coram DEO, qui totus oculus est, & omnia occultissima intuetur! Quo responso perculsa meretrix, veniam supplex petiit, & consilio sancti. vitæ monasticæ in perpetuum se addixit. Experta est & casta illa Susanna Daniel. 13. Cùm enim inveterati dierum malorum senes prætenderent: *Nemo nos videt Ingemuit Susanna, & ait: Melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini.* Non vident homines? Non potest non videre DEUS: idem arbiter, & Judex severissimus. Quò fugiam, & ubi me abscondam à faciè ejus! Meritò igitur monet S. Basilius cit: *Illud agendum assiduè: ut ex perpetua ac purissima recordatione, impressam in animis nostris piam de DEO cogitationem, velut indelebile aliquod signum, circumferamus. Siquidem hæc est ratio, per quam erga DEUM Charitas acquiri consuevit: quæ simul cùm ad observanda DEI man-*

data nos excitet; tum vicissim quoquè ab iisdem ipsa ad perpetuitatem stabilis conservetur.

Quod etiam ad augendam Charitatem plurimum conducat Memoria præsentis DEI: extra dubium est. Vehementer enim incitat ad agendum strenuè, fortiter, & ad gustum præsentis & videntis DEI. Quàm compositi, alacres, & magnanimi sunt aulici & milites in conspectu Ducum & Principum suorum? Tolle minas & prœmia: solus adsit oculus spectantium; ibunt in mille pericula & mortes. Cum ursis & leonibus, cum barbaris & gigantibus congredientur intrepidi: modo placeant Principi spectanti. Vilis erat Protomartyri Stephano vita, dulcis lapidum imber, chari persecutores: quia vidit cœlos apertos, & Filium hominis stantem à dextris virtutis DEI, atq; intentum agoni militis sui. Sensit Stephanus velut faces ardentes ex oculis Domini spectantis jactas in cor suum; adeoque incensa efferbuit charitas: ut non solùm in DEUM & proximum, sed in inimicos quoq; exundaret. Præsente JESU, arsit Petrus, paratus cum ipso, & pro ipso, in carceres & mortem ire: absente JESU, non solùm refrixit, sed extincta est Charitas ejus: at mox accensa est iterum respiciente Domino; eoq; viso redivivo, in tantum inflammata est, ut plùs omnibus amaret Petrus. Hinc & alij Sancti non solùm ad evitandum lapsum, verùm etiam ad incrementum Charitatis, aliarumq; virtutum, continuò in mente circumferebant præsentem DEUM. *Providebam Dominum in conspectu meo semper:* ait David Psal. 15. Et Elias 3. Reg. 17. *Vivit Dominus, in cujus conspectu sto.* Abraham quoq; ut esset *Perfectus*, jussus est *ambulare coram* DEO. Gen. 17. Rectè ait: S. Ephræm: *Semper DEI memineris: & cœlum mens tua evadet:* ubi nulla iniquitas, ubi perfecta & æterna Charitas.

FERIA V.

DEUS, Christus & DEIpara V. sunt Bonum beatificans etiam in hac vita.

1. ADora DEUM O. M. & considera: ipsum esse Bonum, quo beatificari possumus etiam in hac vita, si volumus. Status equidem mortalis hujus vitæ non est status beatitudinis, sed potiùs afflictionis & laboris: nihilominus, si placeat, possumus ex Oceano illo immenso æternæ beatitudinis prægustare guttam aliquam, qua non quidem plenè perfectèque beati efficiamur; desinamus tamen esse miseri, & inter mortales verè ac prudenter reputemur felicissimi, eo; quòd possideamus summum, quod in hac vita haberi potest Bonum. Tale Bonum non est, nec esse potest, aliud

liud quàm DEUS ipse. Possessio quædam & fruitio ipsius, haberi potest & solet, per gratiam, contemplationem, & amorem: quæ quò perfectiora sunt; eò perfectiùs beati sumus. Experientiâ didicerunt id Sancti, exultantes etiam in maximis calamitatibus & tormentis. *Beatus populus, cujus Dominus DEUS ejus!* Psal. 143. Quid ergo miseram vitam agimus, cùm agere possimus beatam? O DEUS, beatitudo mea, temporalis & æterna, quando plenè convertar ad te, & felicitatem meam quæram in solo Te?

2. ADora D. JESUM, & considera: etiam ipsum esse Bonum, amantes se beatificans in hac vita. Est enim, ut DEUS, summum & omne Bonum: ut Homo, est medulla, flos & summa totius boni creati; quod in ipso depuratum & divinizatum, infinitè jucundiùs afficere nos potest, quàm quale in promptuarijs, & cisternis putridis hujus mundi reperitur. Luc: 10. beati dicuntur oculi, qui JESUM in carne viderunt: at Joan: 20. magis Beati prædicantur, *qui non viderunt & crediderunt*, Ergo & beatæ aures, quæ nunc libenter audiunt de JESU, beatæ mentes, quæ frequenter contemplantur JESUM; beata corda, quæ ardenter amant JESUM; beatus homo; cui JESUS est omnia in omnibus, & præ omnibus. O JESU unica felicitas & voluptas miseræ vitæ meæ: da mihi perfectam cognitionem amoremq; tui; & dicam: *Satis est Domine, satis est.*

3. VEnerare DEIparam V. & considera: ipsam quoq; esse Bonum nos in hac vita quodammodò beatificans, & quasi ad integritatem temporalis beatitudinis pertinens. Quis enim videns, amansq; JESUM; non optet videre & amare Matrem JESU? Quid post DEUM est æquè pulchrum; jucundum, suave, dulce, gloriosum, atq; omni ex parte gratiosum, ac VIRGO, Mater JESU? Concupiscit & deficit anima mea in plenam tui cognitionem, & amorem o gratiosissima: Unam petij a Domino, hanc requiram; ut inhabitet in corde meo JESUS & MARIA cunctis diebus vitæ meæ. His habitis, quantùmvis cæteris omnibus sublatis, beatus sum.

Propositum v. g. de arctissima cum DEO JESU & MARIA conjunctione per charitatem.

LECTIO PRACTICA.

Quomodo DEUS per Charitatem nos beatificat in hac vita.

NOn exigua nostra felicitas est: quòd in medio miseriarum Beati esse possimus: non quidem beatitudine perfecta omnimodè; sed qualem in hoc statu rationabiliter optare possumus. Beatificavit Christus, Dominus noster, pacificos, pauperes spiritu, mundos corde &c. quantò magis Beati dicendi sunt, qui diligunt DEUM ex toto corde, totis viribus, &

tota anima? Ex tali enim dilectione oriuntur virtutes illæ omnes, & sine illa sunt mera virtutum simulacra. S. Gregorius hom: 27. in Joan:

Porro ad veram Beatitudinem universim requiruntur duo: Immunitas ab omni malo; & Affluentia omnis boni, quod honestè desiderare possumus. Utrumq; satis liberaliter præstat Charitas in hac ærumnosa vita. Inprimis veri Amatores DEI nihil reputant esse verè malum & odibile, præterquam peccatum, & quæ proximè disponunt ad peccatum. Charitas autem perfecta non solùm adversatur omni peccato; sed etiam pericula proxima peccandi fugit studiosissimè, & passiones quibus præcipitamur in peccata, regit in virga ferrea, suoq; subjicit dominio. *Charitas* enim, ut describit Apostolus 1. Cor. 13. *patiens est, benigna est: Charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur; non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati: omnia suffert, omnia credit, omnia sustinet.* Quidquid huic genio suo & Divinæ voluntati adversatur; hostis loco habet, & persequitur usq; ad internecionem. Quidquid mali irrogatur Amanti à mundo, vel iniquitate temporum, vel naturæ propriæ corruptione: nihil accidit invito; omnia excipit tanquam munera Dilecti DEI, & in lucra vertit. *Diligentibus DEUM omnia cooperantur in bonum.* Rom. 8. Quamvis enim multa sibi suoq; naturali appetitui contraria, dura, & molesta perferre coguntur: hæc tamen omnia multum boni ipsis conferunt mediâ Charitate; tum quia conducunt ad expianda peccata præterita, tum quia offerunt occasionem, mutuum, eumq; heroicum, amorem contestandi amanti DEO. Et sic in medio malorum vivunt veluti immunes ab omni malo; *quasi tristes, semper autem gaudentes: sicut egentes, multos autem locupletantes: tanquam nihil habentes, & omnia possidentes.* 2. Cor. 6.

Deinde veri amatores DEI, etiam in hac vita, omnia possident in DEO, & cum DEO: adeòq; non tantum affluentiam habent omnis boni, sed abundantiam omnem. In DEO habent omnia: quia ibi & summum Bonum, & Omne Bonum est. Cum DEO possident omnia: quia Amor sincerus & ardens non tantùm conjungit ipsos DEO, ut non sint separati, & longè dissiti a DEO sicut improbi; sed intimè unit DEO ita; ut admirandam quandam faciat Impersonationem hominis cum DEO, unam moraliter personam constituendo ex DEO & homine. Quod non minus vere, quàm magnificè dicitur. Amor enim, ut notavit S. Dionysius lib. de Divinis Nom: c. 4. *vim habet Unientem & commiscentem:* quia amantem cum amato ita conjungit, commiscet, & unit, ut ex utroq; unum fiat, unitate quam

fieri

fieri potest, strictissima. Videre id licet in omnibus sive carnaliter sive spiritualiter amantibus: qui non solùm volunt semper sibi esse præsentes, & conjuncti quo ad locum, sed intimam & arctissimam optant & procurant unionem. Hinc illi inter amicos, inter parentes & liberos, inter sponsos & sponsas, arctissimi amplexus ac velut innodationes, illæ manuum conjunctiones & compressiones, illa suavissimè fixa, imò impressa oscula, illa velut indignantis amoris impatientia; quòd alter in alterius pectus & intima cordis penitus illabi nequeat, ut ex utroq; unus fiat homo, persona una. Cæterùm quæ inter corpora fieri nequit intima unio, eam inter animos & animas procurat & conficit Amor. Vis & industria ejus patet in Jonatha & Davide. Vix in conspectum Saulis, percusso Philisthæo, venerat paucaq; verba Regi locutus fuerat David: *Anima Jonathæ conglutinata est animæ David, & dilexit eum Jonathas quasi animam suam.* 1. Reg. 18. Quæ dilectio quòd faciat inter amicos, aliosq; similiter amantes, impersonationem quandam, non solùm fictione juris, sed naturali quadam immigratione, ut ita dicam, animarum duarum in unitatem personæ, manifestum est ex trito illo, quo Amicus dicitur *Alter Ego* & *Anima magis ibi esse ubi amat, quàm ubi animat.* Quæ intima Unio & Impersonatio quòd non solùm fiat inter homines amantes, sed inter DEUM quoq; & homines; locuples testis est Apostolus, dum ad Galat. 1. protestatur: *Vivo autem jam non ego; vivit verò in me Christus.*

O vitam beatissimam, vitam cœlestem, vitam Divinam! Vivo ego, jam non ego: quia transformatus in Christum, ingenio amoris impersonatus Christo. Vivit in me Christus; Vita mea DEUS est: quæ beatior optari potest? Quantum rerum apparatum requirunt & corradunt amatores mundi ad vitam non omninò miseram agendam! Diligentibus DEUM præstò est DEUS, & sufficit.

FERIA VI.

DEUS, Christus & DEIpara Virgo, sunt Bonum turpiter neglectum ab hominibus.

1. ADora DEUM O. M. & considera: quòd quàmvis verè sit tale ac tantum bonum, quantum hactenus consideravimus; ideoq; homo toto corde, etiam naturaliter, in illud ferri deberet magis quàm levia sursum, aut gravia deorsum ad centrum suum: nihilominus paucis est in memoria, paucioribus in consideratione, paucissimis in amore debito. Queritur ipse Jeremiæ. 2. *Numquid obliviscetur virgo ornamenti sui, aut sponsa*

fasciæ suæ pectoralis? populus verò meus oblitus est mei diebus innumeris: quasi non essem aut pulchrior, aut pretiosior, aut magis necessarius; quàm sertum aut fascia Sponsæ. Imò, quòd longè gravius! *Verterunt ad me tergum, & non faciem* Ibid. v. 27. Proh barbaram inurbanitatem: imò grande crimen læsæ majestatis tantæ! Utinam autem non esset meum! Detestor pravitatem meam! Parce DEUS.

2. ADora D. JESUM, & considera: quàm turpem patiatur & ipse neglectum ab hominibus; licèt sit Bonum super omne bonum. Non amabilis solùm, sed totus & merus amor est, perfectissimus in se, beneficentissimus in nos. Ad æternam memoriam in manibus suis descripsit nos, ad vitam & gloriam æternam assumpsit nos; amicos, fratres, & cohæredes suos fecit nos. Et tamen queritur & ipse: *Filios enutrivi & exaltavi: ipsi autem spreverunt me:* Isaiæ 1. idq; non tantùm jacentem in cunis, sed etiam regnantem in cœlis. Quærunt in lacunis & sordibus bonum suum, voluptatem suam: me dereliquerunt fontem aquarum viventium, imò Oceanum infinitum omnis boni. Quis crederet, eò dementiæ processuras creaturas rationales? Pudet, ah pudet me, pretiosissime JESU, tam effrontis impudentiæ. Te deinceps æstimabo, honorabo, super omnia. Et quis potiorem locum in mente & corde meo meruit, aut mereri potuit?

3 VEnerare DEIparam V. & considera: ipsam quoq;, licèt à DEO super omnes Creaturas amatam ac honoratam, fuisse, & esse Bonum à plurimis neglectum. Cùm adhuc inter homines versaretur, Gemma erat, cujus pretium solus noverat negotiator cœlestis; ideoq; non sua tantùm, sed se dedit pro illa; cæteri eam á vulgari arena non distingvebant. Regnantem in cœlis, & sua dona spargentem in terras; quàm multi ignorant vel spernunt? Non pauci Clientum quám frigidè amant; quàm remissè colunt? In horum numero & me comprehendi, confiteor tibi Domina cœli & terræ. Et est culpa mea eò major, quò magis mihi nota sunt & dignitas tua, & beneficentia in me. Parce, promitto meliora. Vos mihi deinceps primi & summi eritis in æstimatione & amore DEUS, J. & M.

Propositum v. g de præferendo practicè cæteris omnibus, (præsertim rei vel personæ N.) DEO J. & M.

LECTIO PRACTICA.

Amori DEI cedat amor quarumvis Creaturarum.

GRandis & intolerabilis perversio! DEUS creavit visibilem hunc mundum, & omnia quæ in eo sunt, tam pulchra specie, tam mira varietate; ut ex creaturarum conspectu raperemur in amorem Creatoris, qui

illis

illis infinitè speciosior, & amabilior est. Nos autem blandiente sensibus creaturarum specie, & stillante ex ipsis aliqua voluptate, illecti, totum cor illis consignamus; non solùm amamus, sed deperimus illas; de amando DEO postrema est, aut nulla cura. Ut tanta pravitas cordis humani corrigatur: vel exuendus est omnis creaturarum amor; vel si eas non possumus non amare, amor earum redigatur in ordinem, & amori DEI, tanquam contumax mancipium, plenè subjiciatur. Facile id nobis persuadebitur, si adverterimus: nec ullam seorsum creaturam, nec omnes simul sumptas esse summum Bonum nostrum; imò magnum esse malum, si non amentur, ut decet.

Quòd nulla creatura, nec omnes simul, cum omni, quam nobis præstare possunt commoditate, splendore & voluptate sint summum Bonum nostrum: patet 1. Ex amplitudine & infinita capacitate Animi & cordis nostri; quam implere & perfectè satiare non potest nisi Bonum infinitum. Res autem creatæ sunt finitæ & numero & perfectione sua. *Omnia in mensura & numero, & pondere disposuisti.* Sap. 11. Deinde etsi infinitæ essent, quis omnes aut multas, vel aliquas ex omni specie obtinere posset? Quæ cura in ipsis conservandis ponenda esset! 2. Quod summum hominis bonum debeat esse solidum ac stabile; ne possessum amittatur, & amissum affligat. At de rebus creatis dicitur Eccle: 1. *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Vidi cuncta, quæ fiunt sub sole, & ecce universa vanitas, & afflictio spiritûs.* 3. Summum bonum debet esse tale, ut propter se appetendum sit; reliqua verò omnia propter ipsum. At nulla inter res creatas invenitur talis, quæ sit finis reliquarum: quin potius *Universa propter semetipsum operatus est Dominus.* Proverb. 16. Ipse est & principium & finis ut hominis, ita rerum cæterarum. 4. Summum bonum hominis debet esse liberè appetibile à quovis homine: æquale enim jus ad illud, seu æqualem facultatem obtinendi illud, concedit natura cuivis. Si ergo v. g. divitiæ, vel honores, aut voluptates & similia essent summum bonum hominis, liceret cuivis quibusvis efficacibus medijs procurare illud, posletq; liberè ac licitè alter alteri præripere honores, divitias &c. unde summa oriretur confusio. 5. Summum Bonum hominis summè perficere debet hominem, & in summo perfectionis gradu tam quo ad intellectum, quam voluntatem, constituere. Hoc autem præstare non possunt res quæcunq; materiales, cùm sint longè inferiores & imperfectiores homine: nec apparet quomodo substantiæ spirituales quales sunt Angeli, quæ solæ perfectiores sunt homine, taliter eum perficere possint. Ex his manifestum est, non inter creaturas, sed supra creaturas

sum-

summum hominis Bonum quærendum esse; nec ulli bono creato summos amores deberi, aut rationabiliter impendi posse.

Imò quòd non tantùm non sint summum hominis bonum Creaturæ, sed magnum & valde perniciosum ejus malum, si inordinatè amentur, & DEO præferantur in amore, certum est. De voluptatibus, præsertim corporis, dicit Seneca ep. 111. *Indulgere voluptati initium omnium malorum est.* Plato, teste Cicerone in Catone, appellavit eas *Escam malorum.* Architas verò Tarentinus ibidem ait: *Nullam capitaliorem pestem, quàm corporis voluptatem hominibus à natura datam. Hinc patriæ proditiones, hinc rerum publicarum eversiones &c. Nullum denique scelus, nullum facinus esse, ad quod suscipiendum non libido voluptatis impellat.* Hæc gentilium Sapientes. Ex divinis Literis sufficit illud decretorium oraculum Apoc: 18. adducere: *Quantum se glorificavit, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* De Honoribus & Dignitatibus dicit Salomon sap. 6. *Audite*, inquit, *reges & intelligite, discite Judices finium terræ &c. Horrendè & citò apparebit vobis: quoniam judicium durissimum his, qui præsunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia: potentes autem potenter tormenta patientur.* Et S. Chrysostomus in cap. 12. Matt: hom: 41. *Non cogitas, quoniam honores perniciem adferre solent? Facile enim ad inanem gloriam extollunt, & in tumorem, superbiam, & aliorum contemptum impellunt. Malorum præcipitia, in quæ honores detrudunt, perpetua sunt, atque prærupta.* De terrenis divitijs & divitibus pronunciat Apostolus 1. Tim: 6. *Qui volunt divites fieri incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociva; quæ mergunt homines in interitum & perditionem.* Et Christus Luc. 6. *Væ vobis divitibus, qui hìc habetis consolationem vestram.*

Ex his & similibus universaliter decidit Asceta Kempensis lib. 2. de Imit: cap. 1. n. 8. *Nil sic maculat & implicat cor hominis, sicut impurus amor in creaturis.* Et sup. n. 2. *Da ergo Christo locum,* & Amori ejus: *& cæteris omnibus nega introitum.* Magnæ dementiæ est; subtrahere se legitimo Principi, & subjicere se mancipio: amorem vilis creaturæ à quo perditio æterna, præponere Amori Creatoris, a quo Beatitudo vera & indefectibilis. Si esse non possumus sine amore quarundam creaturarum: amentur sanè, sed amore subordinato Amori divino. Hic sceptrum ferat, & Censor & Imperator reliquorum amorum. Amentur creaturæ, quantum conducunt ad obsequium, amorem & gloriam DEI: aliàs locum non habeant in corde Christiano, ne dicam sacerdotali & Religioso. Vide; quid agatur in corde tuo.

IN VI-

DEUS, JESUS & MARIA intentos nos volunt in mysterium Nativitatis Domini.

1. ADora DEUM O. M. & audi eum per Zachariam Prophetam monentē: *Ecce Rex tuus veniet tibi, justus & Salvator, ipse pauper.* Zach. 9. Venit pridem per corporalem ex Virgine nativitatem; veniet iterum per S. Matris Ecclesiæ repræsentationem. Veniet *tibi*: tuo maximo bono, commodo, & solatio, quod ex pia gratiosissimæ ejus Nativitatis contemplatione colligere poteris abundè. *Ecce veniet*: para attentionem, occurre ad venerationem; magnam videbis visionem. Ecce *Rex tuus* idemq; tuus DEUS, quem nemo hominum vidit unquam; sed nec videre potest oculis corporeis, aut naturali acie mentis: *Veniet tibi pauper*; omnibus enim se spoliavit propter te. Veniet ad stabulum; veniet si admittis, etiam in cor tuum. Et veniet *Justus*; remuneraturus copiosissimè minimos actus tuæ erga se pietatis. Veniet deniq; *Salvator*. Si igitur salutem tuam amas, & quæris: intende in eum oculos, occupa illo mentem; pande ei cor; excipe venientem. Veni Domine JESU, veni citò: posside omnes potentias & vires corporis & animæ meæ.

2. ADora D. JESUM, & considera: quòd proximâ nocte & festivitate quodammodo renasciturus sit; iterumq; videre licebit gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis; iterum de plenitudine ejus accipere licebit omnibus gratiam pro gratia. Si DEUM timemus, & videre non possumus magnum; recurrere licebit ad parvulum. Ideo enim magnus ille decrevit Gigas, ideo Rex ille tremendæ majestatis abscondit gloriam inaccessibilis lucis suæ: ut speculatores possemus esse humanitatis, clementiæ, misericordiæ, & Infinitæ charitatis ipsius. Nasci voluit in antro aperto, & propè viam; ut omnibus pateret accessus. Est quòd speculemur in illo, tum ad stuporem, tum ad amorem; tum etiam ad salutiferum dolorem. Ad hæc comminatus est ipse cuidam (Beatæ Angelæ de Fulginio) *non videbit me magnum; qui non vult videre parvum.* Ah videant te oculi mentis meæ parve DEUS! Non peto jam cum Moyse; ut ostendas mihi gloriam tuam: sed ostende, obsecro, hoc sacro tempore potissimùm, humilitatem tuam; paupertatem, patientiam, charitatem tuam; & sufficit mihi.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: quanto desiderio desideret; ut parvulum JESUM pro nobis natum, pro nobis pauperem & contemptum, pro nobis algentem, & vagientem, contemplemur attentiùs,

amemus ardentiùs. Ipse enim est omne decus, delicium, amor & gloria ipsius. Compensari vult à Clientibus suis rusticitatem illam Bethlehemitarum & Hyerosolymitanorum; quorum nemo accessit ad videndum natum sibi Salvatorem. Novit Sanctissima Mater; quàm potens sit ad excitandos in nobis tenerrimæ pietatis, ac sincerissimæ charitatis affectus Nativitas admiranda Filij ipsius. Ad illam igitur oculos mentis meæ & omnes animæ potentias tu ipsa converte, o Mater dulcissima: compesce, abige, aliorum negotiorum turbam; & JESUM, benedictum fructum ventris tui nobis etiam in hoc exilio ostende. O Clemens, ô pia, ô dulcis Mater MARIA!

Propositum v. g. de expediendis maturè, vel seponendis alijs negotiis: ut sequentia festa religiosiùs, & sine ulla offensa Christi transigi possint.

LECTIO PRACTICA.

De Præparatione ad celebrandum Natalem CHRISTI.

Solemne est Principibus, recurrentem diem suum Natalem singulari pompa & plausu celebrare, Magnatibus lautius epulum præbere, populo quoq; liberali congiario benevolentiam suam testari. Ad hanc uberiùs sibi conciliandam solent vicissim subditi maturè deliberare: quo apparatu, quave officiorum suorum contestatione & ipsi celebrent eum diem. Non decet nos minus officiosos esse erga DEUM, nostrum & omnium Dominum supremum, olim in terris amore nostri natum, nunc annua celebritate in pijs animis & cordibus nostris renasci optantem: præsertim cùm non nesciamus; eum hujusmodi officijs, quàmvis tenuibus, solere eximia liberalitate respondere.

S. Melchtildem, ut habet P. Barry in Anno S. 26. Decemb. monuit ipsa DEIpara V. ut, si Sanctitatem desideraret, eam apud Filium suum quæreret; specialiter per singularem devotionem ad ejus sacram Infantiã; per quam voluit ab ipso distinctè peti remissionem culparum & negligentiarum in ætate teneriore commissarum. Per merita divinæ hujus Infantiæ Religiosus quispiam, ex S. Carthusianorum cœtu, anno 1477. defunctus, impetrâsse sibi visus est; ut delictorum & ignorantiarum non tantùm juventutis suæ, sed vitæ totius, non meminerit bonus JESUS. Varijs enim teneræ pietatis exercitijs colere solebat Infantem DEUM, quæ post Matutinas Ecclesiæ preces, quotidie in Ecclesia solitarius absolvebat cum magna Fratrum ædificatione. Jam jam moriturum cùm non nemo animaret: ut fiducia in Christi meritis reposita, intrepidus supremam horam ex-

ciperet, reposuit æger: Quid dicis Pater? Securus sum. Nec mortem, nec diabolum, nec infernum timeo. Hos animos mihi facit Parvulus meus JESUS, dulcissimus meus Agnellus DEI. Meritò solicitos nos esse decet de junioris ætatis delictis, cùm non rarò fugiant memoriam, & sæpe malitia superet ætatem; nec facile meminisse possimus maturiores, qua advertentia seu deliberatione egerimus, vel an rite ea expiaverimus. Non deposuit de illis solicitudinem Rex Sanctus in provecta ætate, sed supplex solicitabat Dominum: *Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris.* Psal. 24. Ad plenam ergo eorum obliterationem peridoneum & opportunissimum medium sunt Merita Infantiæ & juventutis Christi Salvatoris nostri; seu Devotio eximia ad eundem Infantem gratiosissimum, infinitorum meritorum jam in ea ætate plenissimum.

At quo officiorum genere excipiemus, & demerebimur Divissimum Infantem? Facile id suggeret cuiq; pietas & Charitas sua, quæ admodum ingeniosa esse solet. Ne tamen nihil dicam: proponam pauca, quæ Sancti, & alij non vulgares DEI servi egerunt.

Cæteris præeat planè eximius Infantis DEI cultor S. Franciscus Seraphicus, qui ex singulari quadam confidentia passim eum vocabat *Parvulum de Bethlehem*. Si Imperator essem, inquiebat, omnibus Ministris meis & Civitatum gubernatoribus mandarem: ut pro Natali Domini celebrando nulli parcerent sumptui, omnem procurarent splendorem & pompam, in compitis, vijs & campis longe latèq; frumentum spargerent, quo volucres cœli pascerentur lautiùs, & JESUM natum laudarent alacrius; specialiter boves omnes & aselli ob præstitum Infanti DEO cultum, tractarentur liberaliùs fœno optimo & largissimà avena. Nec intra mera desideria stetit pietas ejus. Impetrata à summo Pontifice venia, in aperto campo Stabulum erexit, fœno, stramine, præsepi, bosculo & asello, instruxit; nec MARIA, vel Joseph, aut Infantulus in præsepi reclinatus, aut Musica pastoritia defuit. Viciniam totam ad eam solemnitatem pro nocte Natalitia convocaverat, confluxitq; ingens hominum, etiam Religiosorum & Nobilium, turba: omnia deniq; ad repræsentandum Nativitatis Dominicæ mysterium, quàm accuratissimè composita erant. Peracto divino Officio, in primo Missæ sacrificio Sanctus ipse Diaconi munere functus, Evangelium cecinit: tum pijssima concione populum inflammavit ad amorem cultumq; sincerum ac solidum Parvuli de Bethlehem. Respondit operæ fructus non exiguus in populo: at ipse Franciscus maximum tulit. Vidit enim pius Nobilis, qui aderat, in ulnis Francisci, pietate, lacrymis & gaudio lique-

 scentis,

ſcentis, depoſitum vivum Divinum Infantem, ſole ſplendidiorem; eoque ſpectaculo ita commotus eſt; ut illico mundum valere juſſerit. Non poſſumus idem præſtare, quòd Franciſcus? at poſſumus illum aliquatenus imitari, in Eccleſijs & conclavibus domeſticis caulam Bethlehemiticam, quà licet, repræſentando; vel ſaltem iconem aliquam ſimilem oculis noſtris objiciendo, in quam crebrius eos defigamus; coram qua cor noſtrum conceptis pijs affectibus exoneremus.

Venerabilis P. Bernardus Colnagus è Societate noſtra, familiariſſimam habuit parvulam Statuam Infantis JESU, cui præſertim per Adventum & Octavam Natalis Dominici, exquiſitiſſimo cultu blandiebatur. Poſt magnam noctis partem inter amoris delicias traductam, dum ſe ad modicam quietem componebat, Statuam illam ſecum in lectulum ſumebat, tenerrimis amplexibus ſtringebat, donec cum hoc myrrhæ faſciculo, inter aliquam Cantilenam Natalitiam, indormiret. Quando aliquam majoris momenti gratiam impetrare volebat; Parvulum illum ſuper lectulum ſuum, quàm decentiſſimè compoſitum, collocabat: ipſe verò ſub lecto ſe proſternebat. Et experiebatur efficacem hujusmodi induſtriam. P. Alphonſus Barſena ex eadem Societate, vir Apoſtolicis laboribus & gentium converſione in Peruvia celebris conſueverat ligneam parvuli JESU effigiem, ante quietem, ad caput lectuli ſui collocare. Gravi morbo preſſus, cùm non poſſet id agere, vel valetudinarium, ut idem faceret, accerſere: prævenit Parvulus ipſe, & ad Patrem: *Ecce me*, inquit; *adſum ego tibi: non eſt quod te fatiges*. Barry cit: Tam promptus eſt in vota noſtra Divinus Infans: tam grata habet etiam exigua obſequia.

Illud, exiſtimo, non gravati præſtabimus: ut excipiendo in Euchariſtia magno DEO, parvulo JESU, cor ſolitò accuratiùs mundemus, Vigilias ſecuturæ noctis ſanctiùs obſervemus, & animum ſeriò obfirmemus, ad nullam etiam venialem offenſam in Divinum Infantem, ſaltem per hanc Octavam, plena deliberatione admittendam.

IN NATIVITATE DOMINI.

DEI, JESU, & MARIÆ affectus erga genus humanum tempore Nativitatis Christi.

I. ADora DEUM O. M. & conſidera profuſiſſimos Divinarum Perſonarum affectus erga genus humanum in Nativitate Chriſti. Audi, etiam nunc dicentem, Patrem æternum: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui; ipſum audite*. Hic, quem in præſepi poſitum, à paupere

pere Virgine genitum; panniculis jnvolutum cernitis Infantem, *Filius meus est*, ex utero meo ante Luciferum genitus; Dilectus super omnes & omnia, tanquam Unigenitus meus, decus, & corona mea, sapientia & fortitudo mea, mihi per omnia similis, æqualis & consubstantialis. *Ipsum audite* in cunis nunc vagientem; audituri olim in templo & compitis prædicantem, in cruce cum clamore valido pro vobis exspirantem. Ipsum accipite in tesseram clementiæ & charitatis meæ erga vos, quantùmvis contumaces servos. Audi & Filium dicentem: Ecce ego, non solùm os de ossibus vestris, caro de carne vestra, sed etiam hircus pro peccato vestro. Vivite morte mea. Audi quoq; Spiritum S: Jerem: 31. *In charitate perpetua dilexi te*, o misera Adæ propago; *ideo attraxi te miserans*. non solùm in amplexum benevolentiæ per gratiam, sed etiam in unitatem Personæ cum Verbo divino per unionem hypostaticam. O mira circa nos tuæ pietatis operatio; Misericordissime DEUS! O inæstimabilis dignatio charitatis! Quid est homo; quia magnificas eum? Benedicam Dominum in omni tempore: Semper laus ejus in ore meo.

2. ADora D. JESUM, & considera eum cum Isaia Propheta cap: 9. ut *Parvulum, qui natus est nobis: ut Filium, qui datus est nobis*. Natus ab æterno in splendoribus Sanctorum, Rex sæculorum, invisibilis & immortalis; natus nunc temporibus novissimis in carne humana passibili, mortali; innumeris calamitatibus obnoxia. Natus *nobis*, datus *nobis*; ægris in medicum & medicinam, captivis in Redemptorem, & redemptionis pretium; errantibus in ducem & viam; famelicis in pastorem & cibum; peccatoribus in sacerdotem & hostiam; datus nobis ad crucem & mortem pro nobis. O quibus te excipiam amoris ulnis Parvule sic nobis nate, sic nobis date? Recumbe, obsecro, in intimo cordis mei sinu, totumque solus occupa.

3. VEnerare DEIparam Virginem & considera: quâ voluptate perfusa fuerit in partu divino; quâ reverentia, quem genuit, adoravit; quâ devotione obtulit hanc portionem corporis sui Virginei divinizatam, in victimam & propitiationem pro peccatis generis humani. *Benedicta Filia tu à Domino: quia per te fructum vitæ communicavimus!* Fac; ut pari affectu eundem Filium tuum foveamus in cordibus nostris, & offeramus Patri. Sed quibus affectibus & munusculis blandiemur ipsi Parvulo?

Propositum de contestando mutuo Amore erga DEUM, JESUM & MARIAM.

LECTIO PRACTICA.

Quomodo mutuum affectum contestari possimus DEO, JESU, & MARIÆ.

Imprimis Pater æternus hoc die apertiſſimè teſtatus eſt mundo ineffabilem charitatis affectum, quo nos ab æterno dilexit: ſiquidem Unigenitum, quem a ſæculis infinitis ſinu & corde paterno concluſum geſtabat, & nuper Virginis infudit viſceribus, hodie edidit in lucem, nobisq; donavit. Sic DEUS Pater dilexit mundum! Quomodo reſpondebimus ſic diligenti? Habemus & nos intimis viſceribus conceptum Unigenitum, an Primogenitum, coævum nobis, conjunctiſſimum, & chariſſimum: quin illum æterno Patri in conteſtationem mutui affectus donamus? Sed vereor, ne ingratum veniat munus. Filius enim ille noſter, quantumvis nobis chariſſimus (quid diſſimulemus?) indolis eſt malignæ, nec ſatis honeſti tori, cervicoſus, inſolens: non aliter, aut pejus, colludit Filio DEI, quám Iſmael cum Iſaac. Pudet nominare illum. *Amor* eſt *Proprius*; divini Amoris peſſimus æmulus, imò hoſtis capitalis. Quid illo nobis charius, quid in imo cordis ſervamus tenaciùs, fovemus teneriùs? Ex nobis, non ex DEO natus eſt: unde nec ſapit ea, quæ DEI ſunt, ſed quæ carnis, & mundi. Hunc nihilominus præſtat offerre DEO, ſed jugulandum, & cremandum in holocauſtum. Sit licèt donum peſſimi valoris: non ingratum tamen erit, quia nobis chariſſimum. Si diligentiùs auſcultamus; audiemus ſine dubio monentem intus vocem Domini: Tolle hunc filium tuum Unigenitum, *quem diligis*: & vade in terram Viſionis, antrum ſcilicet Bethlehemiticum, ubi theatrum infinitæ charitatis erexi; atq; ibi offeres eum in holocauſtum. Tergiverſabimur? Plus apud nos poterit ſpurius iſte, quám apud Abrahamum Iſaac, in quo benedicendæ erant omnes gentes? Audeamus. Ferro & igne, Obedientia & Charitate, conficiamus hunc abortum. Non ambigendum: ſi rem ſerio agimus, non minùs gratum fore DEO hoc munus & ſacrificium noſtrum, quam fuerit Abrahami: nec minorem nos relaturos benedictionem, quam, qui parvulos Babylonis alliſerunt ad petram. Suſcipe igitur Pater æterne promptam hanc voluntatem meam, & adjuva fragilitatem: non vivet ampliùs in me viperinum hoc germen, Amor proprius; non quæram ampliùs commoditates meas, aut reſpectus contra voluntatem tuam. Vivet, & ſolus regnabit in corde meo Amor tuus: ſiquidem ita me dilexiſti; ut Filium tuum Unigenitum (qualem & quantum!) tradideris mihi, & pro me. Scio, quam indignum ſit conſpectu tuo, quod offero. Addo igitur eundem, quem mihi donaſti, Filium tuum. Suſcipe: & amare non define.

DEI Filius, DEUS & Dominus noſter JESUS cùm mundum per nativitatem temporalem ingrederetur, ſive ut Imperator mundum debellaturus

turus, sive ut sponsus procedens de thalamo Virginis Matris; *facta est multitudo militiæ cœlestis, laudantium DEUM, & dicentium: Gloria in Altissimis DEO &c.* Luc. 2. Angelicis hisce choris decet nos accedere, & inter festivos plausus cum magno Genevensium Antistite S. Francisco de Sales, acclamare identidem *Vivat JESUS! Vivat JESUS!* Amor noster JESUS, Vivat! Honor noster JESUS, Vivat! salus nostra JESUS, Vivat! Dux Rex, Imperator, Dominus & DEUS noster JESUS, Vivat? Vivat in animabus & cordibus nostris, in mentibus & sensibus nostris, in actionibus omnibus, verbis & cogitationibus nostris! Vivat in Europa, Asia, Africa America, inter fideles & infideles, inter Græcos & Barbaros, inter homines & Angelos, inter omnes & super omnes, in cœlo & in terra, in tempore & tota æternitate. Vivat! Omnis terra adoret eum, & psallat ei: omnes cœli enarrent gloriam ejus, quasi Unigeniti à Patre, pleni gratiæ & veritatis. Vivat JESUS & Amor ejus: occidat mundus & pompa ejus! Hæc sit hodie, utinam in omni vita, tessera Amoris nostri & subjectionis: *Vivat JESUS!* Occidat omnis vitiorum exercitus, omnis rebellium passionum turba, & inimici ejus terram lingant. Vivat JESUS, gratiosissimus Infans, Vivat Clementissimus Princeps, Vivat Optimus Maximus DEUS. Nos autem servuli ejus Vivemus ipsi; ut æternum vivamus & regnemus cum ipso.

DEIparæ Virgini, quæ meruit communem cum Patre æterno Filium, felicissimum inter summa gaudia partum gratulantes, applaudamus solemniùs; nunc cum Cognata ejus ingeminando: *Benedicta tu in mulieribus, & Benedictus fructus ventris tui*; nunc præcinenti Ecclesiæ accinendo: *Ecce MARIA genuit nobis Salvatorem* Gaudeamus! *Beata viscera MARIÆ Virginis, quæ portaverunt æterni Patris Filium; Et beata ubera, quæ lactaverunt Christum D.* Locuples tam tenuis opellæ pretium tulit quidam Cliens DEIparæ V. solitus simili formulâ beatificare viscera & ubera Mariana. Cùm enim in gravissimum incidisset morbum, acerbitate mali in propria membra desævijt, lingvamq; & labia morsibus ita dilaniavit; ut circumstantibus, non hominibus tantùm, sed Angelis etiam compassionem excusserit. Eorum enim unus, ad lectuli pedes visus, supplex interpellavit DEIparam: ne pateretur lingvam & labia, quæ ipsam tam frequenter Beatam dixerunt, tam fœdè lacerari. Audijt & exaudijt Virgo: lactisq; Virginei guttas aliquot infirmi ori infudit. Mox non lingvæ tantum et labijs sua redijt integritas, sed etiam menti & corpori plena sanitas. *Barry in Anno S.* 4. *Febr.* Sit igitur benedictus in æternum Pater Domini nostri JESU Christi. Vivant in cordibus omnium gratiosissimi Amores nostri JESUS & MARIA!

In Festo

De affectu DEI, Chriſti, & Matris ejus erga S. Stephanum.

1. **A**Dora DEUM. O. M. & conſidera: quantùm honoraverit Protomartyrem ſuum Stephanum. Replevit eum Act: 6. fide, gratia, fortitudine & Spiritu S. indidit vultui ejus majeſtatem Angelicam; ori eloquentiam, cui non poterant reſiſtere omnes adverſarij ejus; manibus virtutem ſignorum, & prodigiorum; obtulit ei cœlum patens, & conſpectum glorioſi Salvatoris ſui; Ducem fecit innumerarum legionum, ſangvine ſuo purpuratarum: corpus ejus indecenti loco ſepultum revelavit, & decentius haberi mandavit, multisq; miraculis illuſtravit præſertim in Inſula Minorica; ubi poſt reliquias ipſius illatas, omnes Judæi converſi ſunt ad Chriſtum. Tam profuſus eſt DEUS in ornandis & honorandis ſervis ſuis; quàm parci nos in obſequijs ei deferendis? Parce DEUS! Dabo operam; ne deinceps te mei pœniteat.

2. **A**Dora D. JESUM, & conſidera ipſum ut Imperatorem glorioſiſſimum, cui terreſtris militat, cœleſtis triumphat Eccleſia; quem cœlo patente vidit S. Stephanus in gloria Patris non jam faſcijs cinctum nec dextræ Patris aſſidentem; ſed ſtantem à dextris Virtutis DEI. avidumq; glorioſi certaminis militis ſui, promptum ad ferendam opem, & imponendam victori coronam. Quam lætus accepit heroicam illam lapidati vocem; *Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum?* Quám avidè ſimilem expectat á nobis? Non deſunt Inimici lapidantes, fervet ſpiritus vindictæ: audendum tamen; præſtò eſt Chriſtus cum gratia ſua, & coronâ de lapide pretioſo. Unus hujusmodi actus par eſſe poteſt martyrio. Amabiliſſime JESU, pro Inimicis tuis nate, ecce amore tui dimitto inimicis meis: dimitte & tu; & ne ſtatuas illis hoc peccatum.

3. **V**Enerare DEIparam V: & conſidera quo affectu acceperit & ipſa tam fortem S. Stephani pugnam, tam glorioſam victoriam. Quomodo gratulata eſt Filio talem militem, militi talem victoriam, & honorem Protomartyris? Suſpexit illum ut Levitam pijſſimum, diſpenſatorem Bonorum Eccleſiæ fideliſſimum, Scribam in regno DEI doctiſſimum, Teſtem Filij ſui diſertiſſimum; Victimam charitatis præclariſſimam. Excita, o Domina, & in me ſpiritum, quo plenus erat S. Protomartyr Stephanus; ut diſcam inimicos diligere; & ſi non licet pro Filio tuo ſangvinem fundere, ſaltem ejus & tui amore ſupprimam bilem omnem; quæ mihi bullit adverſus NN.

Propoſitum De condonandis, exemplo S. Stephani, injurijs nobis illatis, præſertim N.

LECTIO PRACTICA.

De Amore Inimicorum.

S. Stephanum Protomartyrem, eximijs DEI donis copiosissimè ornatum, nihil æquè admirabilem facit, ac heroica illa, & amore inimicorum suorum ardens, oratio: *Domine ne statuas illis hoc peccatum.* Nil commotus summa injuriâ, nil solicitus de vita, dissimulatis vulneribus & doloribus, causam inimicorum suorum agit apud Christum Judicem diligentiùs, quàm propriam. Pro se enim leni solùm voce, & stans orabat, *dicens: Domine JESV suscipe spiritum meum.* Act: 7. at pro lapidantibus, humiliore situ & gestu, *positis genibus*, voce totis viribus collecta, *clamavit voce magna*; non solùm non petens vindictam, sed humiliter & ardenter supplicans pro homicidis, imò excusans illorum facinus impijssimum; *Ne statuas illis hoc peccatum.* Didicerat enim: Christianæ professioni & charitati satis non esse, dissimulare injurias, nec reddere malum pro malo; sed ultro & liberaliter benefacere inimicis. Nec solùm prohibemur odisse inimicos, sed jubemur *diligere* illos. Matt. 5. 44. Incitant nos ad id, tum præstantia talis actûs, commendati diserto mandato, & illustri exemplo Domini, tum ipsa Natalis Dominici Solemnitas.

Præstantiam beneficæ Dilectionis inimicorum commendant nobis luculenter & difficultas interveniens in ejus exercitio, & magnitudo præmij propositi. Quam difficile sit ebullientem comprimere bilem, & in vindictâ non provolare: magis experientiâ scitur, quam verbis doceri possit. Unde Spiritui S. tam pretiosa visa est hujusmodi patientia: ut Proverb. 16. testatus sit: *Melior est patiens viro forti: & qui dominatur animo suo expugnatore urbium.* Ipse DEUS luculentiùs prodit potentiam suam, patienter ferendo peccatores, quam mundum ex nihilo condendo, & tribus veluti digitis sustinendo: prout notavit Apostolus Rom: 9. *Volens DEUS*, inquit, *ostendere, & notam facere potentiam suam* (quasi aliàs ignota adhuc, aut vix nota fuisset) *sustinuit in multa patientia vasa iræ.* Consentit Ecclesia orans: *DEUS, qui omnipotentiam tuam parcendo maximè & miserando manifestas &c.* Quò major enim vel copiosior est injuria, seu offensa eò difficilior redditur ejus condonatio, & tolerantia. Quodsi autem tantæ fortitudinis est, non odisse inimicos, & patienter ferre injurias: quantæ erit, inimicos diligere, atq; bonum pro malo ipsis reddere? S. Gregorius Nyssen. lib. de Orat: Domin: suspicit, & celebrat hujusmodi actum, ut *ipsum extremum punctum virtutis.* Non vocat apicem virtutis, sed apicis punctum supremum. Unde & Scriptura Divina extollit S. Stephanum, non solùm ut

Martyrem fortiſſimum, ſed *plenum fortitudine, & Spiritu S.* atq; Angelis beatis quàm hominibus ſimiliorem.

Tam heroicæ virtuti, imò heroicarum virtutum coronæ, condignum propoſuit Salvator noſter prœmium. Cùm enim Matt: 5. monuiſſet: *Diligite inimicos veſtros; benefacite his, qui oderunt vos; & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos:* ſubjunxit illico: *Ut ſitis Filij Patris veſtri, qui in cœlis eſt.* Quæ verba expendens S. Auguſtinus in ſerm: de Sanctis; Grandis, inquit, labor eſt, diligere inimicos, pro perſecutoribus ſupplicare? Nec nos negamus, Fratres. Nam parvus quidem labor eſt in hoc ſæculo, ſed grande erit prœmium in futuro. Per amorem enim hominis inimici efficeris amicus DEI: imò non ſolùm amicus, ſed etiam Filius. Si aliquem homo dives in hoc ſæculo vellet adoptivum filium facere, quomodo ſerviret? Et ſervorum, ejuſq; ſervitia duriſſima, & aliquoties etiam turpiſſima ſuſtineret convicia; ut ad caducam & fragilem ejus hæreditatem perveniret. Quod ergo ille ſuſtinet propter ſubſtantiam terrenam, tu ſuſtine propter vitam æternam. Convincimur enim certiſſima ratione: quia propter DEUM poſſumus quidem, ſed nolumus injurias ſuſtinere. Deniq; ſi nobis aliqua perſona potens injuriam facit, ſi nobis etiam in faciem maledicit; nec reſpondere aliquid aſperum, non dicam vicem reddere audemus. Quare hoc? Ne ab illa perſona potente adhuc majora, quàm pertulimus, patiamur. Quod à nobis extorquet hominis timor, deberet à nobis exigere Chriſti amor. Hæc Aug:

Cùm ergo nos incitat ſtimulatq; ardor vindictæ; cogitemus: quanti meriti ſit patienter ferre injurias, condonare offenſas, & benefacere inimicis. Quodſi igniculus aliquis liberalioris erga DEUM charitatis gliſcit in nobis, cogitemus: An DEUS dignus ſit, ut ejus amore condonemus injuriam, diligamus inimicum? An Salvator noſter Dominus JESUS meritus ſit infinita ſua erga nos, inimicos ſuos odibiliſſimos, charitate: ut hanc ei vicem reddamus. Quàm gratum ei ſit hujuſmodi munus, teſtatus eſt luculenter S. Joanni Gualberto: qui, homo militaris, cùm propter JESUM Crucifixum, cædem unici fratris ſui homicidæ condonaſſet, ac inſuper eundem in locum fratris recepiſſet; ingreſſus templum, & Crucifixi imaginem veneratus, vidit diſtinctè, eandem imaginem prono capite erga ſe inclinari, velut gratias agendo: Quo Chriſti affectu permotus mundum valere juſſit, & in ſanctum eximium evaſit. Unicus talis actus magis nobis conciliat & divincit Cor divinum, quàm plurimæ aliæ mortificationes & orationes: prout Chriſtus ipſe S. Eliſabeth, filiæ Regis Hungariæ, aperuit.

Eſto

Esto humilis & Pacificus: & erit tecum JESUS monet Kemp; l. 2. c. 8. de Imit:

Deniq; hoc facerrimo & gratiosissimo tempore, quo, nascente Salvatore planè melliflui facti sunt cœli, & etiamnum non solùm fidelium moventur corda, sed etiam infidelibus compunctio venit; ut notavit S. Bern: serm: 3. de Nativ. audiamus magni Leonis non tam leoninam, quàm agninam vocem: Serm. 6. de Nat: *Natalis Domini Natalis Pacis est. Ergo singuli fideles offerant Patri pacificorum Concordiam filiorum.*

IN FESTO S. IOANNIS EVANG:

DEI, JESU, & MARIÆ affectus erga S. Joannem.

1. ADora D. DEUM O. M. & considera eum; ut eximium castarum mentium Amatorem. Puris enim & virginibus animabus, tanquam sibi, Spiritui purissimo, similioribus, magis se, & secreta sua communicat: ut videre est in S. Joanne Evangelista; quem tum alijs eximijs prærogativis ornavit, & honoravit, ut Prophetæ, Apostoli, Evangelistæ; Martyris incruenti, Doctoris, Virginis; tum illo planè singulari munere; quòd ei arcanum mentis suæ conceptum; & VERBI, consubstantialis Patri, inenarrabilem generationem ac partum, ubertùs, quàm ulli alteri Prophetæ, Apostolo & Evangelistæ communicavit. Benedico, glorifico te, Purissime DEUS, in castissimo Joanne tuo. Et quia scio; neminem posse continentem esse; nisi tuo munere: da; quod amas; ut amem, quod caro perhorrescit.

2. ADora D. JESUM, & considera: quàm tenerè amârit & ipse S. Joannem. Argumenta singularis, & supra cœteros discipulos, dilectionis suæ dedit clarissima: quando eum adlegit inter triumviros sibi familiares; quando ei divinum pectus suum concessit in pulvillum; quando eum donavit elogio *Discipuli, quem diligebat JESUS*: & super omnia; quando ei Virginem Matrem suam dedit in Matrem: *Mulier ecce Filius tuus*: adeòq; eum substituit sibi in affectu & corde materno. Grandis amor! Ingens dignitas Joannis! Gratulor tibi tam raros favores Magne Evangelista; quorum ut aliquatenus particeps fiam; fac oro: ut mei amores sine fuligine ardeant soli JESU & MARIÆ.

3. VEnerare DEIparam V: & considera eam, ut Matrem specialissimo titulo S. Joannis. Est illa quidem omnium, divinæ gratiæ tesserâ insignitorum, Mater: at Joannis singulari quodam modo, & nemini alteri concesso. Verba enim illa Crucifixi & morientis JESU, quibus Joan-

nem sibi surrogavit in jus materni cordis & affectûs: *Ecce Mater tua, Et Ecce Filius tuus*; non fuerunt merè declaratoria; sed operativa & effectiva; ut verba Christi solebant; ideòq; impresserunt cordi Virgineo affectum in Joannem planè maternum; cordi autem Joannis affectum & specialem characterem Filij MARIÆ. Consequenter speciali quadam relatione, & nulli alteri concessa, factus est Joannes frater JESU; qui alias eo titulo gaudebat ob sangvinis nexum cum MARIA Matre ejus. O Beatissime Joannes, quàm gaudeo medullitus de hac felicissima sorte tua! Commendo me Matri tuæ divinæ: ut si Filius esse non mereor; saltem servi fidelis loco habear; serviam autem Amoribus tuis & meis, DEO J. &. M. corde puro & perfecto.

Propositum, per majus studium Castitatis devinciendi sibi anxiùs IESUM & MARIAM.

LECTIO PRACTICA.

De Amore & studio Castitatis.

Illicium, quo S. Joannes suavissimè sibi conciliavit, & tenerrimè devinxit Cor JESU & MARIÆ, indicat Ecclesia S. in ejusdem Officio. Resp. 5. *Diligebat autem*, (canit) *eum IESUS*; *quoniam specialis prærogativa Castitatis ampliori dilectione fecerat dignum. Quia Virgo electus ab ipso, Virgo in ævum permansit. In cruce deniquè moriturus, huic Matrem suam Virginem Virgini commendavit* Eâdem illecebrâ licebit & nobis capere & occupare corda JESU & MARIÆ: si hujus gratiosissimæ virtutis integritati & perfectioni studuerimus diligentiùs.

Est autem Castitas propriè sumpta, specialis virtus repugnans vitio libidinis seu luxuriæ: diciturq; à Castigatione concupiscentiæ delectationis venereæ; ut habet S. Thomas 2. 2. q. 151. art: 2. Sicut enim pueri qui recta ratione nondum reguntur, proni in illicita, vel maximè indigent castigatione; ita & concupiscentia illa, prout notavit Aristoteles 3. Eth. Quodsi studio castigandi seu coërcendi Concupiscentiam delectationis venereæ accedat *Propositum perpetuò abstinendi ab hujusmodi delectatione, etiam licita*; vocatur *Virginitas*, nomine ducto à virore. *Sicut enim illud dicitur virens, & in suo virore persistere: quod non est ex superabundantia caloris adustionem expertum: ita etiam virginitas hoc importat, quod personæ cui inest, immunis sit à concupiscentiæ adustione, quæ esse videtur in consummatione maximæ delectationis corporalis, qualis est venereorum delectatio.* Ita S. Tho: cit: q. 152. a. 1. *Et quia Castitati antonomasticè attribuitur decor* quidam eximius, quo homines casti specialiter gratiosi & amabiles præ cæteris redduntur: *ideo Virginitati per consequens attribuitur excellentissima Pulchritudo*: inquit idem S. Doctor art: 5. c.

appel.

appellaturq; passim *Angelica* virtus; homines verò Casti *Angeli incarnati*. Hinc in divinis literis & SS. Patribus videre est creberrima, & planè magnifica ornatissimaq; Castitatis & Castorum elogia.

Apostolus 1. Theff. 4. 3. Castitatem vocat *Sanctificationem* nostram. *Hæc est*, inquit *voluntas DEI Sanctificatio vestra; ut abstineatis vos à fornicatione: ut sciat unusquisquè vestrum vas suum possidere in sanctificatione & honore, non in passione desiderij*. Mens enim casta longè sanctiùs consecrat corpora, quàm legales olim purificationes; & velut Templa quædam dedicat inhabitationi Spiritus Sancti. Unde etiam specialis honor redundat in ipsa corpora: sicut ædes DEO dicatæ ampliùs honorari merentur, & honorantur, quàm regum Imperatorumq; palatia. *Vide*; monet Cassianus lib. 6. c. 15. *quibus eam*, Castitatem, *laudibus prosequatur: Honorem vasis, id est, corporis nostri & Sanctificationem eam appellans. Igitur è contrario, qui in passione desiderij est in ignominia & immunditia consistit, & alienus à sanctificatione versatur*. Ecclesiasticus nullum pretium huic virtuti par invenit inter omnia hujus mundi pretiosissima. *omnis ponderatio*, inquit c. 26. 20. *non est digna continentis animæ*. Nec mirum, nullis thesauris eam æquari, quæ cœleste donum est, & omnes naturæ facultates supergreditur; *Scivi quoniam aliter non possem esse continens, nisi DEUS det:* fatetur mortalium sapientissimus Sap. 8. 21. additq;: *Et hoc ipsum erat sapientia*, paucis concessa, *scire; cujus est hoc Donum*.

In hoc dono quantus lateat thesaurus, non obscurè indicant SS. Patres. *O Castitas, Mater dilectionis & Angelicæ vitæ ratio*! Exclamat S. Ephræm. *O Castitas, quæ mundo es corde, ac dulci gutture, hilariquè aspectu! O Castitas, quæ homines Angelis similes reddis*! S. Cyprianus de bono Pudic: *Pudicitia*, inquit, *est honor corporum, ornamentum morum, sanctitas sexuum vinculum pudoris, fons Castitatis, pax domus, concordiæ caput! Hæc nos commendat Domino, convertit Christo, Beata ipsa & beatos efficiens apud quoscunquè habitare dignatur: quam nunquam accusare possunt, nec qui eam non habent: Venerabilis etiam hostibus suis, dum illam multò magis mirantur, qui eam expugnare non possunt*. Cassianus lib. 6. Institut: monast: ait: *Nulla virtute tam propriè carnales homines spiritualibus Angelis imitatione conversationis æquantur: quàm merito & gratia castitatis, per quam adhuc in terra degentes habent secundùm Apostolum municipatum in cœlis*. S. Bernardus ep. 42. *Quid Castitate speciosius? quæ mundum de immundo conceptum semine, de hoste domesticum Angelum deniquè de homine facit. Differunt quidem inter se Homo pudicus & Angelus; sed felicitate non virtute. sed etsi illius Casti-*

tas felicior, hujus tamen fortior esse cognoscitur. Sola est Castitas: quæ in hoc mortalitatis & loco & tempore, statum quendam immortalis gloriæ repræsentat: ubi scilicet nec nubent nec nubentur sed omnes erunt sicut Angeli DEI, Matt. 22. 30.

Videant jam, quantum Bonum amiserunt; qui Divinum hoc donum prodegerunt, aut spreverunt. Videant qui illud adhuc possident, quantum thesaurum in quam fragili vase portent. Videant, quibus medijs, quibus Patronis illum conservent. Cùm animum pulsabit tentatio: juvabit, non solùm divina recolere Oracula, castis æterna gaudia, impuris æterna tormenta promittentia: sed illud etiam veteris Philosophi: *Major sum, & ad majora natus, quàm ut mancipium fiam corporis mei.* Et illud Christianæ Philosophiæ: *Momentaneum quod delectat; æternum quod cruciat.*

IN FESTO SS. INNOCENTIUM.

De Affectu DEI, J. & M. erga parvulos Bethlehemitas.

1. ADora DEUM O. M. & considera eum; ut liberalissimum coronarum cœlestium Dispensatorem. Ecce millia Bethlehemitarum Innocentum in possessionem regni cœlestis, non tam vocat, quam rapit: pretiosam Martyrum lauream a plurimis fortissimisq; multâ prece & pugnâ frustra appetitam, offert ijs; qui lac magis, quam sangvinem fuderunt; qui nec vincere sciverunt, nec pugnare voluerunt. Paucos enim cùm reperiret adultos, qui ascendere in montem Domini mererentur; turbam lactentium collegit, qui cœlestes repararent ruinas, & apostatarum Angelorum occuparent thronos. Quid non speret a te, liberalissime DEUS, validus multorumq; stipendiorum miles; qui sic coronas & evehis Infantes? Tibi labores, tibi sudores, tibi sangvinem, vitamq; offero omnem, de prœmio nihil solicitus.

2. ADora D. JESUM, & considera: quomodo Infans panniculis vinctus, in præsepi jacens, non solùm à cœlis, nova ignea lingva, enarrari voluit gloriam suam; sed etiam lactentium ore, vulnere magis, quàm lingva disertorum perfici laudem suam. Quod postea maturior dicturus erat verbo: *Sinite Parvulos ad me venire*; jam tunc prædicabat facto, ostenditq; nullam ætatem cœlo excludi; imò hanc innocentiæ suffragio magis esse idoneam, quàm canos populorum rectores. Hos enim disertè monuit: *Amen dico vobis; nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli; non intrabitis in regnum cœlorum.* Matt. 18. Non erubescam igitur Parvulorum amator tenerrime, accenseri parvulis; charosq; tibi impiger studebo adducere

cere ad Te.

3 VEnerare DEIparam V: & considera eam; ut Rachelem mœstissimam plorantem Filios suos, quia non sunt. Etiam ipsius Filij erant parvuli illi; tum quia ipsa potiore jure, quàm Eva, Mater est omniũ viventium, præsertim vitâ gratiæ supernaturalis; tum quia materno complectebatur affectu gentem suam, à DEO electam, ex qua carnem sumeret Filius DEI. Solabatur eam tamen in illo luctu: quòd hi Martyrum flores essent fructus Radicis Jesse (id est Filij sui) nuper in circumcisione proprio ejus sangvine rigatæ. O Mater de filiorum tuorum salute solicitissima, fac; ut etiam in me divinus sangvis Filij tui vitam operetur inprimis innocentem inter dignos fructus pœnitentiæ, deinde æternùm beatam & gloriosam.

Propositum de gerenda cura salutis & institutionis bonæ Parvulorum.

LECTIO PRACTICA.

Quàm diligenter Parvuli sunt instituendi.

In Parvulorum bonam educationem, rectamq; institutionem triplici potissimùm ex causa perquam diligenter est incumbendum: scilicet ipsorummet Parvulorum, boni publici, & DEI causa. Primo Parvuli *propter se ipsos* diligenter educandi & instituendi sunt; ut salventur animæ ipsorũ, pretioso Christi sangvine redemptæ. Quò enim ea ætas simplicior est, eò facilius seducitur, & amplectitur vias non bonas à quibus ægerrimè deinde, aut prorsus non reducitur; juxta illud Proverb. 22. 6. *Adolescens juxta viam suam, etiam cùm senuerit, non recedet ab ea.* Si assveverit à teneris terere viam virtutis; etiam cùm senuerit, non recedet ab ea: si autem abierit in vias pravas vitiorum, etiam cùm senuerit, non recedet ab eis. Imò faciliùs sæpiusq; evenit: ut qui puerum egit vel adolescentem ad omnem pietatem & virtutem compositum, Juvenis aut vir pervertatur, & præceps abeat in omnia scelera: quàm ut à via sua pessima recedat in juventute, virili ætate aut senio, puer nequam. *Difficulter eraditur, quod rudes anni perbiberunt. Lanarum conchylia quis in pristinum candorem revocet?* ait S.Hieronymus ep. 7. ad Lætam. Ratio hujus est varia. Intrinsecæ sunt: tum quod corrupta hominis natura per se pronior sit ad vitia, quàm virtutem, teste ipso DEO Genes. 8. *Sensus & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua:* tum quod tenerior ætas mollioribus & sensui blandientibus magis capiatur, quàm ijs quæ recta ratio suadet. Extrinsecæ causæ sunt, mala exempla parentum aliorumq; domesticorum & sociorum; atq; suggestiones & incitamenta diaboli graviora. Hic enim quatuor de

causis

causis parvulos & adolescentes maximè venatur. 1. Quia gestit DEO hunc ætatis florem, & primitias præripere. 2. Quia sic viam sternit ad sequentis vitæ peccata. 3. Quia facile falli, & difficulter se expedire possunt. 4. Quia dum peccare assvescunt, impotenter peccant. Dignissima igitur est ea ætas, cujus misereamur, & bonæ ejus institutioni operam demus.

Altera hujus causa est *Boni publici ratio.* Ex parvulis enim fient adolescentes, juvenes, viri, Ecclesiæ aut reip: gubernandæ admovendi; qui ad morum suorum normam facile component alios; & quod in pueritia biberunt, propinabunt illis. Unde in regnis & civitatibus bene ordinatis variis instituta sunt pro parvulis, adolescentibus & juvenibus honesta exercitia, literaria, civilia, & militaria, quibus distineantur, ne otio tabescant; & maturè formentur in viros, qualibus indigent Ecclesia & resp. Hine viri Apostolici, qui in id imprimis intenti sunt: ut pueros & adolescentes doctrina salutari imbuant, probisq; instruant moribus, futuros olim in colenda Christi vinea, vel novalibus excolendis successores suos; aut saltem ædificationi aliorum daturos Christianæ vitæ exempla. Quemadmodum in hortis tempestivè seruntur, & solicitè coluntur plantulæ, quæ annosis arboribus succedant: sic in Ecclesia & rep: prospicere maturè oportet; ne desint, qui cum spe opulenta succedant cedentibus operarijs & præsidibus. Unde providè SS. Concilij Trid: Decretis sancitum est: ut in omnibus Diœcesibus erigantur Seminaria pro adolescentibus in spem Apostolicorum laborum educandis; præivitq; illustri exemplo Gregorius XIII Pont: Max: fundatis per orbem universum compluribus hujusmodi seminarijs.

Tertio DEI causâ ponenda est diligens opera in institutione minoris ætatis: tum ne pereant animæ tantopere ipsi dilectæ; tum ut semper & ubiq; habeat probos sui cultores, qui ipsum adorent in spiritu & veritate; tum quia proprio ad id nos provocat exemplo, singularem erga parvulos contestando affectum & curam. Cùm Christo prædicationi intento offerrentur parvuli, *ut manus eis imponeret, & oraret:* discipuli autem eos arcerent: *Sinite*, inquit Christus Matt: 19. *parvulos, & nolite eos prohibere ad me venire: talium est enim regnum cœlorum.* Aliàs Matt: 18, statuens parvulum in medio discipulorum, admonuit: *Qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo, me suscipit. Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt; expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris.* Sapientia quoq; æterna Provb. 9. humillimè invitat ad se

ad se parvulos: *Si quis est parvulus, veniat ad me.* Quod quamvis potiùs intelligendum sit de morum simplicitate & innocentiâ, quàm de mole corporis: non propterea minùs pertinet ad parvulos ætate, in quibus communiter & simplicitas & innocentia major. Hinc Joannes Gerson part. 2. Tract: de Parvulis trahendis ad Christum, latè & solidè idem urget argumentum, & laboris hujus exaggerat meritum ac fructum, se ipsum proponens in exemplum. Ipse enim Parisiensis Academiæ agendo Cancellariū, licet plurimis gravissimisq; distractus negotijs pueris tamen erudiendis assiduè vacabat, teste Corn. à Lap. in cit: loc:

Prædictas ob causas quantum studij & laboris in erudienda minore ætate posuerunt tum alij Sancti, tum specialiter SS. Jgnatius & Xaverius! Jgnatius, etiam Præpositum agens Generalem universæ Societatis, à puerorum institutione non abstinebat: idemq; agendum præscripsit adjecto voto speciali omnibus qui publicam faciunt professionem, & qui munus regendi Collegia aggrediuntur. part: 4 Constit: c. 10. Et p. 5. c. 3. voluitq; Doctrinam Christianam tradi non solùm in Ecclesijs, sed scholis, plateis & compitis. Literarios quoq; in scholis labores Socijs imposuit: ut per eam occasionem juventuti opportuniùs instillari posset pietas. Xaverius, Gaspar Barzæus, & innumeri alij Viri Apostolici, quàm strenuè quàm feliciter desudarunt, & desudant in puerorum institutione! Non caret gravi molestiâ is labor: sed est quoq; grande operæ pretium. Ergo *Afferte Domino Filij DEI: afferte Domino filios arietum* Psal. 28.

QVINTA DIE INFRA OCTAVAM
NATIVITATIS DOMINI.
De Liberalitate DEI, J. & M. erga nos in Nativitate Christi.

1 ADora DEUM O. M. & considera admirandam ejus liberalitatem, erga genus humanum. Quia in Filio, & cum Filio nato nobis omnia donavit, teste Apostolo Rom: 8. *Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo nobis omnia donavit?* Donavit nobis omnia, quæ concernunt vocationem nostram ad fidem & vitam æternam; Omnia requisita ad plenam Redemptionem, omnia pertinentia ad Justificationem, omnia spectantia ad Glorificationem nostram, & Beatitudinem perfectam; omnia deniq; donavit in Filio: quia in ipso & per ipsum sunt omnia. Quid jam retribuemus Domino pro omnibus, quæ retribuit nobis? Si nos totos ei debemus pro Creatione; quid retribuemus pro tam liberali donatione?

2. ADora D. JESUM, & considera: quomodo seipsum totum nobis donarit. Quantus thesaurus CHRISTUS! & tamen totum cuivis possidere licet. Donavit enim nobis corpus suum totum, cum toto sangvine divino ad ultimam usq; guttam, pro lavacro animarum nostrarum. Donavit Animam suam cum omnibus potentijs suis, & Theandricis, seu divino-humanis, operationibus earum. Donavit totam vitam suam, in laboribus, ærumnis, periculis, & summis doloribus transigendam. Donavit nobis Divinitatem suam cum infinitis perfectionibus suis, nunc in via sumendam cum corpore suo, postea in patria fruendam per omnem æternitatem beatam. Quid potuit nobis dare JESUS, & non dedit? At nos quàm sumus tenaces nostri, & rerum nostrarum? Suscipe tandem me totum Domine.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: etiam ipsam totam esse nostram; non ea quidem communicatione, qua se nobis dedit Christus; sed nostra est tota animi propensione in nos, & bonum nostrum; ut nos in hac vita faciat probos & Sanctos, in altera æternum plenéq; beatos. Huc omnia ejus collimant studia, favores, providentia materna. Felices nos, qui tantòpere cordi sumus DEO, JESU, & MARIÆ! Perire non possumus: nisi ultrò salutem prodigere malimus. Averte á me eam insaniam Domina.

Propositum, tandem me totum tradendi DEO, J. & M.

LECTIO PRACTICA

Quomodo nos totos debeamus tradere DEO.

NImis parcus est, qui se adhuc negat DEO, tam liberali in se. Sunt, qui in bello capti se totos æternæ servituti victoris addicunt, libenter, modò vita donentur. Filij mortis, mortis æternæ, ac luctuosissimæ, fuimus omnes; DEUS, Pater misericordiarum, nos vita donavit, temporali & æterna, idq; Filium suum Unigenitum pro nobis tradendo in mortem: ut de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus ipsi: & adhuc audemus nos negare DEO? Sunt, qui vel fame vel alijs ærumnis adacti, aut exiguo alicujus pretij lucello illecti, vendunt libertatem suam, omni auro pretiosiorem, emuntq; sibi perpetuam servitutem, mancipando se totos quibusvis dominorum obsequijs, nullam pro ipsis reportaturi mercedem, copiosas gravesq; accepturi plagas, si per desidiam subinde se subtraxerint. Infinita & summa sunt, quæ nobis contulit DEUS, nec minora aut pauciora promisit in futurum: ut ipsi ultrò nos tradamus ei, non ut mancipia, sed ut amici & filij tractandi: & tamen perpauci reperiuntur,

siuntur, qui tam felicem apprehendunt fortem. Plerisq; idq; ijs, qui saniore sunt mente, satis est: si ita serviant Domino, ut non mereantur æterna supplicia. Quasi verò is esset fidelis servus, qui solùm curat, ne furcam mereatur, aut carceres perpetuos: de reliquo servit Domino, ut placet, & quantum sine incommodo suo potest.

Alij existimant: viventes extra claustra religiosa non teneri se totos impendere DEO & divinis. Id enim esse impossibile viventibus in mundo inter infinitam negotiorum & incommoditatum turbam. At numquid minùs pertinent ad DEUM? aut minore redempti sunt pretio? aut minoribus impensis, & non potiùs majoribus, aluntur à Domino, quam Religiosi? *Vir vanus in superbiam erigitur, & quasi pullum onagri, se liberum natum putat.* Job. 11. Ita magna ex parte se absolvunt à debito serviendi DEO Creatori & Domino suo se totis, & omnibus viribus suis: asserunt se in libertatem, & instar onagrorum excutiunt jugum. Onagri, sylvestres sunt asini: num per hoc, quòd in sylvis nati sint, & vivant, subjecti non sunt homini, aut ad quævis onera portanda cogi non possunt? Sint licet onagri, seu sylvestres asini: Asini tamen sunt, & servituti nati. Sic homo sive in mundo, sive extra mundum vivat: hac conditione natus est, & vivit; ut serviat DEO, & totum se permittat, atq; impendat DEO. Differentia in hoc puncto inter cives mundi & Ordinum religiosorum solùm esse potest penes diversitatem obsequiorum DEO O. M. præstandorum; quòd specialia quædam requirantur ab istis vi votorum & certæ Regulæ. Cæterùm sicut isti, ita illi tenentur in suo genere & statu, se totos impendere obsequio divino, ipsa sæcularia negotia ita tractando; ut non solùm non offendatur, sed magis honoretur DEUS, & voluntati ejus sese accomodent. Quemadmodum in Principum & Magnatum aulis variæ conditionis reperiuntur famuli, diversis Dominorum intenti obsequijs: hi in intimo conclavi præstò sunt ad liberaliora munia; alij præ foribus, excubant, alij culinam alij stabula curant: omnes tamen se totos impendere debent honori & commodis Domini. Quisquis ergo es, *Totum quod es, illi debes, à quo totum habes*: monet Bern: de quadrup: debito. Et S. Laurentius Justinianus lib. de Obed: c. 5. *Clamat*, inquit, *innata ratio: ut quisquè se illi subjiciat, à quo habet, ut sit.* Cùm igitur totum esse suum quisq; habeat à DEO, totum se ipsius obsequijs subjiciat, oportet, in quocunq; statu versetur.

Nonnulli persuadent sibi: se debito suo plenè satisfecisse; quod omnia sua & se ipsos perpetuo cultui divino consecraverint in statu religioso. Cer-

tum est: Ingressum in Religionem esse plenam quandam traditionem Domino DEO suo, si fiat cum debita resignatione. Tradit enim Religiosus DEO omnia exteriora bona sua, relinquendo ea propter ipsum, per votũ Paupertatis. Tradit corpus suum per votum perpetuæ Castitatis, ut habeat majorem libertatem & facultatem serviendi Domino soli. Tradit Animam suam; per Votum Obedientiæ subjiciendo regnatricem facultatem, Voluntatem, homini, sæpe se inferiori, propter DEUM. Tradit Vitam totam, perpetuò eam obligando cultui divino, mortificationi, studijs, vigilijs, laboribus &c: Superiorum nutu & regulæ præscripto imponendis. Deniq; ita procedit cum DEO: ac si apertè illi diceret cum Jsaia c. 26 (juxta Septuag:) *Possidc me.* Non amplius ero juris mei. Totus ero tuus: qui me totum infinitis titulis debeo tibi.

Porro quámvis hoc omnino ita sit: advertere tamen debet Religiosus; quòd, ut plena sit & perfecta traditio sui & rerum suarum DEO, non solùm se & sua tradere debeat quo ad substantiam; sed etiam quo ad Usum liberum, ita: ut neq; ulla potentiâ sua uti velit ad privatam gloriam suam, vel curiositatem; neq; ulla re ad meram commoditatem suam, etiam cum facultate superiorum: sed omnibus utatur ad Gloriam majorem DEI, ad bonum proximi, & solam necessitatem suam. Aliàs non erit plena & perfecta traditio sui totius & rerum suarum: vel certe interveniet retractatio quædam, aut iniqua usurpatio rei alienæ. Consequenter non poteris pleno ore, & perfecto corde dicere cum Isaia c. 44. *Domini ego sum.* DEO soli vivo.

Quidam se resignant, inquit Kemp: lib. 3. de Imit: c. 37. *sed cum aliqua exceptione. Non enim plenè DEO confidunt; ideo sibi providere satagunt. Quidam etiam primò totum offerunt, sed postea, tentatione pulsati ad priora redeunt; ideo minimè in virtute proficiunt. Da totum pro Toto: nil exquire, nil repete: sta purè & inhæsitanter in me:* ait Christus ibidem.

SEXTA DIE INFRA OCTAVAM NATIVITATIS DOMINI.

De Pace & Dilectione acquisita à DEO, JESU & MARIA per Nativitatem Christi.

1 ADora DEUM O. M. & considera: quomodo, Christo nato factus est nobis *DEUS pacis & dilectionis* 2. Cor: 13. De quo alias dictum: *Dominus Zelotes nomen ejus.* Exodi 34. Jam DEUS est pacis: siquidem quasi satur & pertæsus tricarum bellorumq; cum hominibus, Pacem

cem per Angelos promulgari solemniter curavit: *In terra pax hominibus.* Luc: 2. DEUS est dilectionis: quia charitatem nobis exhibuit, quam nec sperare, nec cogitatione assequi potuimus. Non solùm enim sua, ut semper; sed se dedit nobis; quando Filium dedit. O diffundatur, mi DEUS, *hæc* tanta charitas tua in corde meo, ut plenè liquescat amore tui! Fac me Filium pacis & dilectionis.

2. ADora D. JESUM, & considera eum Parvulum, ut summum generis humani Delicium. Est per se Infantilis ætas, gratiosa & amabilis: at DEUS Infans est delicatissimi amoris & argumentum, & incentivum maximum. Vides, ô Anima mea hunc Infantem? Dominus tuus est, DEUS tuus est, DEUS pacis & dilectionis. Quid elegantius natura formare potuit? quid gratiosius parere Gratia? Ergo illi totis viribus adhære, omni officiorum genere, & tenerrimis affectibus blandire illi, ac inter blandimenta tuas propone necessitates. Intelligit omnia Sapientissimus Parvulus; facilè annuet votis gratiosissimus Puer. Unicum peto, dulcissime JESU: Da, ut toto corde constanter amem te.

3. VEnerare DEIparam V: & considera: eam, ut *Matrem pulchræ dilectionis.* Plurimas reperies Matres vanæ dilectionis; non paucas Matres turpis & sordidæ dilectionis; quæ non nisi cœcos pariunt Cupidines: At *hæc est Mater* pulchræ, imò pulcherrimæ dilectionis. quia Filius ejus est amor purissimus, Amor oculatissimus, Amor divinus, seu Amans DEUS. Est & Mater pulchræ dilectionis generandæ in nobis: quia Mater Timoris. Eccli. 24. scilicet Timoris Divini. Non est stabilis & secura in nobis pulchra dilectio; nisi socium habeat DEI timorem. O Mater dulcissima, da utrumq;.

Propositum de puriore & solidiore Amore DEI, J. & M.

LECTIO PRACTICA

Quid faciendum: ut Pace & Dilectione per Christum natum pariè fruamur.

VT sol, quàmvis per universam terræ faciem spargat radios suos, non tamen omnes ejus partes afficit æqualiter, nec idem operatur in omnibus! sed secundùm diversas ejus affectiones diversos, & alicubi fere nullos præstat effectus: sic DEUS pacis & dilectionis, JESUS delicium generis humani, MARIA Mater pulchræ dilectionis, non omnia hominũ corda afficiunt æqualiter; sed juxta varias eorum dispositiones. Dilectio DEI, J. & M. erga genus humanum exarsit solitò vehementius in Christi Nativitate; nec est, qui se abscondat à calore ejus: Pax orbi universo non solùm oblata, sed per Angelicos choros inter ignes festivos, promul-

 gata

gata solemniter est: & tamen pauci incaluerunt & incalescunt divino illo igne; pauci fruuntur & gaudent opulentiâ & pulchritudine pacis illius. Quid ita? Quia plerorumq; corda occupat, inficit, & inquietat inordinatus Amor erga creaturas quasdam.

Quantùm Amor iste adversetur dilectioni divinæ erga nos, & Paci nostræ interiori: manifestum est ex ratione & experientia. DEUS enim non diligit hominem; (amore scilicet benevolentiæ, seu amicitiæ) nisi qualem ipse fecit, id est, *Rectum. Hoc solummodo inveni: quòd fecerit DEUS hominem rectum:* inquit Ecclesiastes c. 7. In hunc effundit thesauros Bonitatis & Charitatis suæ tam copiose: ut miretur Psalmographus: *Quàm bonus Israel DEUS, his qui recto sunt corde!* Psal. 72. Et Psal. 96. *Lux orta est justo: & rectis corde lætitia.* At recti corde non sunt, qui inordinatè amant, qui DEUM quasi in extremum cordis angulum, seu sinum, retrudunt, superiorem autem & capaciorem cordis partem concedunt creaturis. Hoc faciunt: qui, postquam DEO cor suum & se totos non semel insigni resolutione obtulerunt; postea cum varijs personis multas nimiasq; contrahunt familiaritates, aut unam aliquam, amore licèt non obscœno, depereunt: unde contingit multas diei, imò quasdam noctis, horas ejus conversationi, confabulationi, blandimentis, impendi. Ipso quoq; orationi divinoq; cultui dedicato tempore, plus illis negotij est cum hujusmodi personis, quàm cum DEO. Idem agunt, qui postquam DEO integra opulentaq; patrimonia consecrârunt; minutijs quibusdam tam tenaciter adhærent, ut illis carere non possint: quidquid DEUS queratur, hujusmodi quisquilijs inflci & oppleri cor sibi dicatum. Quid mirum igitur, quòd in tales non effundat divitias Bonitatis suæ, & delicias Dilectionis suæ: quod in oratione sint aridi, in amore frigidi; quod non detur illis gustare, quàm suavis sit Dominus; quòd parum ament, nec multùm amentur?

Nec plus de interiore Pace sua, quam de suavitate Dilectionis divinæ participant. Pax enim, quam, nascente Domino, Angeli promulgârunt, solis offertur hominibus *bonæ voluntatis.* Bona autem voluntas non est, quæ Divinæ voluntati conformis non est. Qui in gratia quidem divina vivunt, sed implicati inordinatis quarundam creaturarum amoribus, homines dici possunt Voluntatis *non malæ*; at non simpliciter *Bonæ*. Quomodo enim Bona sit, quæ Regulæ suæ non congruit? DEUS non solùm vult creaturas non amari suprà se, seu magis, quàm se; sed etiam vult illas non aliter amari, quàm propter se, & quantum conducunt ad amorem, obsequium, & honorem suum. Vult illas non amari cum detrimento cultus & amoris

sui.

sui. Qui igitur aliter amat: quid mirum si identidem stimulum sentit in conscientia; si loco pacis & gaudij, tædio, fastidio, & mœrore turbatur? Expertum id esse celebrem quendam Doctorem Cremonensem, Rolandum nomine, tradunt Annales S. Dominici. Hic postquam diem cum amicis in omni lætitiarum genere consumpsisset, noctu domum reversus, tantò cœpit agitari & premi animi dolore & fastidio, quanto per diem gaudio diffluxerat. Diu luctatus cum affectuum turba, ubi aliquid sereni affulsit; Ubi nunc (secum tacitus ajebat) ubi nunc eæ voluptates, quibus per diem liberaliter indulsi? ubi epulæ, ubi joci, ubi choreæ, ubi tam chara amicorum societas? Quò ista abiere, nec aliud mihi reliquerunt, nisi nauseam de usu, dolorem de transitu, & conscientiæ vulnus de tempore malè collocato? Hæc reflexio cùm altiùs in animum descendisset; non alijs opus fuit argumentis, quibus Rolando meliora suaderentur. Sine mora statuit cor à vanis creaturarum solatijs abstrahere, & integrum DEO consignare: quod illico fecit, Ordinem D. Dominici ingressus.

Opportune Kempensis lib. 3. de Imit: c. 27. inducit Christum fidelem animam monentem: Noli concupiscere, quod non licet habere: noli habere, quod te potest impedire, & libertate interiore privare. Mirum: quòd non ex toto fundo cordis te ipsum mihi committis cum omnibus, quæ desiderare potes, vel habere. Quare vano mœrore consumeris? Cur superfluis curis fatigaris? Sta ad beneplacitum meum, & nullum patieris detrimentum. Si quæris hoc vel illud, & volueris esse ibi vel ibi, propter tuum commodum, & proprium beneplacitum magis habendum: nunquam eris in quietudine, nec liber à solicitudine: quia in omni re reperietur aliquid defectûs, & in omni loco erit, qui adversetur. *Quid ergo per multa vagaris homuncio, quærendo bona animæ tuæ & corporis tui?* concludit S. Aug: de Spirit: & anima. c. 54. *Ama unum bonum, in quo sunt omnia bona, & sufficit.*

SEPTIMA DIE INFRA OCTAVAM
NATIVITATIS DOMINI.

De rationibus Anni transacti, quas à nobis requirunt DEUS, J. & M.

I. Adora DEUM O. M. & considera eum, ut illum *Antiquum dierum* Daniel. 7. coram quo ubi *judicium sedit*; assistentibus millenis millibus Angelorum, & libri *aperti sunt*; lata est sententia contra quasdam bestias; id est homines, non humanam agentes vitam; *& ablata est eis potestas, & tempora vitæ constituta, usquè ad tempus & tempus.* Cogita; etiã

tua

sua omnia per hunc, qui elabitur, annum, gesta, dicta, & cogitata divinis libris inscripta esse; nec defuturum severum judicium. Vide: ne ut bestia judiceris & residua vitæ tempora tibi, ut indigno abbrevientur. O justissime, simulq; misericors DEUS, doleo; promitto meliora; parce!

2. ADora D. JESUM; & considera eum, ut divitem illum hominem Luc: 16. evocantem villicum suum ad reddendam rationem villicationis suæ; prout annuatim facere solent Domini. Nonne & tu dissipasti bona Domini tui? Villicus es; non Dominus bonorum tibi commissorum. Quos fructus annuos repræsentare potes Domino ex anima tua; ex corpore, & bonis fortunæ? Erubesce: deprecare & consule tibi; ne opinione citiùs priveris villicatione.

3. VEnerare DEIparam V: & considera eam ut Magnam Matremfamilias in amplissima domo Christi, id est: Ecclesia: in qua non solùm; ut illa Mulier fortis Proverb. 31. distribuit prædam domesticis suis & cibaria ancillis suis; sed etiam accuratè *considerat semitas domûs suæ*; in quibus vijs ambulant domestici? quid inferunt vel efferunt &c? Erubesco, ô Domina. Servus vixi non solùm inutilis, sed nequam! Parce.

Propositum de satisfactione aliqua præstanda pro offensis & negligentijs elabentis anni.

LECTIO PRACTICA.

Quid agendum in fine Anni?

PRimum, quod agamus, suggerit, & ad agendum exemplo suo nos provocat sanctissimus Rex Ezechias. *Recogitabo tibi*, inquit, *Omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Isa. 38. Huic recogitationi quàmvis quodlibet tempus sit idoneum: tamen hoc, scilicet Finis anni currentis, est opportunissimum. Quibus præ cæteris curæ est status interioris hominis, pax cum DEO, & profectus in virtute: singulis annis seligunt sibi octo, decem, aut minimùm tres dies, quibus vacent interiori Recollectioni, & dispiciant; quo in statu sint res Animæ suæ? an eo anno profecerint, vel defecerint in virtutibus & vitijs? quanta apud DEUM contraxerint debita? quibus modis & medijs mature expungi possint? An res suas & rationes ita habeant compositas; ut evocati ad reddendam rationem, sine trepidatione & tergiversatione comparere possint? Utilissimam hanc recollectionem, seu recogitationem instituunt *in amaritudine animæ suæ*: ut, cùm admodum exiguam præstare possimus pro offensis & debitis satisfactionem, saltem cor contritum & humilitatum non despiciat misericors DEUS. Quodsi alio tempore hujusmodi Recollectionem non instituimus,

saltem

saltem hunc ei diem dare non gravemur: imò etsi antè id egimus, agamus iterum; nihil enim nobis utilius, quàm sæpiùs de placando DEO, & delendis offensis, cogitare? *Prope fatiæ judicium vestrum, dicit Dominus:* Isa. 15. Non differte de anno in annum.

Secundum est: Assumere mortificationes aliquas seu carnis macerationes ad satisfaciendum aliquatenus pro peccatis, & negligentijs in exercitijs pietatis, specialiter per elabentem annum. In quem finem etiam Eleemosyna, Abstinentia aliqua, potissimùm autem oblatio plurium, ubi copia est, Sacrificiorum Missæ, adhiberi possunt. *Pænitentia crimine non minor sit;* inquit S. Cyprianus serm. 5. de lapsis. *Qui culpam exaggeravit, exaggeret etiam pænitentiam:* monet S. Ambrosius lib. 1 de pœnit:

Tertium est: Inspicere Regestrum suum, seu Indiculum Exercitiorum Pietatis aliarumq; virtutum, & piorum propositorum (qualem habere solent, qui accuratiores sunt in negotio pietatis & spiritualis profectûs) quæ varijs anni temporibus concepisti: ut videas, an & qualis fuerit executio? Solent simile quid annuatim facere mercatores lucris suis intenti; atq; conferre damna cum lucris.

Quartum suppeditat Amasis, rex Ægypti, qui, edicto sanxit: ut omnes ejus subditi primò Anni novi die coram Judice comparerent, & de exacto anno rationem redderent. Deprehensi, tempus non bene collocasse, gravibus plagis vel exilio multabantur. Antequam crastina die coram Judice, Christi vicario, in tribunali pœnitentiæ compareas; hodie inspice & combina diligenter rationes conscientiæ tuæ, ut eam rite expies annua Generali Confessione, si eam paulò antè non absolvisti aut pauló post non es absoluturus. Benignior est Amasi DEUS noster: apud quem non manet judicio condemnandum, quod fuerit humili confessione purgatum. Est autem Generalis hujusmodi confessio plurimis in usu; tum ad majorē confusionem suam coram DEO, adeoq; ad majorem obtinendam gratiam; tum ad magis quietam & securiorem reddendam conscientiam; tum ad imminuendam temporalem pœnam, quæ etiam condonatis noxis manet; tum deniq; ut plenè cognitum sibi habeant conscientiæ suæ statum, & in repentino mortis periculo facile possint supremam instituere confessionem.

Quintò nonnulli, secuti exemplum S. Caroli Borromæi & aliorum, condunt hodie pium quoddam Testamentum, vel antea conditum recolunt & ratificant. Existimant enim, etiam ad se pertinere illud decretum divinū Isa: 38. *Dispone domui tuæ: quia morieris tu, & non vives.* De morte igitur cùm certi sint, & de imminente novo Anno incerti; prosper, an fata-

lis sibi futurus sit? prudenter præoccupant, ac maturè de rebus suis, & se ipsis disponunt, in favorem DEI, JESU & MARIÆ, cùm insigni lucro suo. Formulæ talis Testamenti videri possunt in vita S. Caroli Bor: in Theologia Tripartita Patris Arsdekin, in fine: ubi tradit Praxim assistendi moribundis: in Anno S. Patris Barry 30: Decemb. In Exercitijs spirit: P. Danielis Pawłowski Die 4. & alibi. Inchoari potest hac vel simili formâ: In nomine DEI Omnipotentis. Amen. Ego N.N. certus de morte oppetenda, incertus de hora ejus, sanus mente, deliberata voluntate, statui: maturè disponere de rebus & bonis meis ad majorem DEI O. M. gloriam, CHRISTI JESU Salvatoris mei & SS. Matris ejus, Divorumq; Cœlitum, ac specialiter S. Angeli mei Custodis, honorem atque salutem meam æternam, &c. &c. Hoc Testamentum inter alia id commodi adferre potest: quòd in extremo agone per ratificationem ejus, unico actu multos insignes actus in dicto Testamento comprehensos, elicere possimus. v. g. dicendo: Ratum gratumq; habeo, DEUS O. M. quod olim ad tuam gloriam, ex tua gratia, scripsi, Testamentum. Suscipe & peccatoris maximi miserere.

Sextò utilissimè fiet, quod DEIpara V. suasit S. Mechtildi, pro quadam persona oranti, ut habet P. Barry in Anno S. 26 Decemb. Suasit inquam, ut persona illa devote pronuntiaret Psalmum *Laudate Dominum omnes gentes* deinde acceptam in manus Infantis JESU effigiem attolleret in cœlum, offerendo Patri æterno Unigenitum suum cum omnibus meritis Infantiæ ejus, in remissionem peccatorum suorum, & compensationem omissorum bonorum præsertim in juventute. Tali munere, & corde contrito, non poterit non placari Pater æternus, & propitium se nobis exhibere: quin & gratiam largietur; ut cum anno vetere veterem hominem exuamus, & cum novo in novum transeamus. Nam, ut ait Kemp: lib. 2. c. 4. de Imit: *Sicut ferrum missum in ignem amittit rubiginem, & totum candens efficitur; sic homo integrè ad DEUM se convertens, à torpore exuitur, & in novum hominem transmutatur.*

Deniq; humiles & ferventes agendæ DEO gratiæ pro concesso immeritis, imò mortem sæpiùs meritis, Anno præsente, & beneficijs intra eundem innumeris maximisq;. Dum ad somnum nos componimus, recitetur, vel si commodum est, canatur Eucharisticus Hymnus: *Te DEUM laudamus* &c.

IN FESTO CIRCUMCISIONIS DOMINI
I. IANUARII.

De

De DEO Conditore Temporum, Christo Auspice Novi Anni, B. V. Protectrice vitæ nostræ.

1. ADora DEUM O. M. & considera eum, ut Temporum omnium Conditorem & Dispensatorem unicum: qui Genes: 1. dixit: *Fiant Luminaria in firmamento cœli; & dividant diem & noctem; & sint in signa & tempora; & dies & annos Et factum est ita.* Voluit nimirum; ut vitæ & actionum nostrarum, laboris & quietis certas haberemus mensuras motu cœlestium corporum designatas. Cæterum hæc mensura communis est vitæ hominum & brutorum. Propria vitæ humanæ mensura sunt actiones virtuosæ; quarum quò plures & excellentiores quis exercuit, eò diutius vixit, licet modico tempore vixit: *Consummatus in brevi: explevit tempora multa* Sap. 4. O DEUS? quàm parùm vixi! quot annos dilapidavi; qui nil boni egi!.

2. ADora D. JESUM, & considera eum, ut felicissimum novi anni Auspicem. Dies annorum nostrorum pauci sunt & mali: & non pauci ex his fatales. Non fortuito autem factum est; ut ipso novi anni initio primitias divini sangvinis funderet: & salutifero JESU Nomine insigniretur natus nobis Salvator. Ut nimirum disceremus: nec salutem haberi sine JESU; nec ullum anni diem fore malum favente JESU. Te igitur auspice, Gratiosissimè JESU, novum hunc ingredior annum: eumq; pleno jure dico, consecro, devoveo honori & amori tuo. Tibi vivā! Esto mihi JESUS.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: in manu ejus magna ex parte positum esse stamen vitæ nostræ. Quoties divina Justitia præscindere nobis voluit filum vitæ? *Anni impiorum breviabuntur.* Prov: 10 Inhibet ipsa deprecando. Inducias petit, & obtinet. Ad te igitur protectrix vitæ nostræ Clementissima, supplex confugio: etiām hoc anno save: & fove.

Propositum de certo vitio extirpando & certa virtute per hunc Annum comparanda, amore & ope DEI, J. & M.

LECTIO PRACTICA.

Quomodo novus Annus religiosè & feliciter auspicandus?

VT in alijs dimidium facti, qui bene cœpit, habet: ita non parum conferet momenti ad novum hunc Annum feliciter transigendum, si rite fuerit inchoatus. Proponam igitur industrias quasdam, ac veluti ritus à pijs observatos in exordio recentis Anni: ut cui privata non suffecerit pietas, hinc seligere possit, quæ addat.

I. Juvabit apprimè; ut expergefacti è somno, illico mentem convertamus

mus ad DEUM O. M. & immortales eidem agamus gratias pro ſingulari munere novi Anni, quem complures hominum milliones non attigerunt, mortui in peccatis ſuis; ardenti ſuſpirio dicendo: *Benedicta ſit S. Trinitas, & individua Unitas: quia fecit nobiscum miſericordiam ſuam! Benedic anima mea Domino: & noli oblivisci omnes retributiones ejus; qui redimit de interitu vitam tuam; qui coronat te in miſericordia & miſerationibus; qui replet in bonis deſiderium tuum: Renovetur ut aquilæ juventus tua: & cum Anno novo novū concipe fervorem in amore & obſequio ejus.* Ubi primùm licuerit, properandum erit ad ædem ſacram, & cum quodam jubilo cordis coram JESU Euchariſtico recitandus Euchariſticus SS. Ambroſij & Auguſtini Hymnus. Deinde cum oblatione noſtri, & rerum actionumq; omnium noſtrarum, ſupplicandum divinæ Bonitati, ut hic Annus cum maxima ejus gloria nobis decurrat, adhibendo hanc vel ſimilem formulam.

Æterne temporum omnium Conditor & Diſpenſator DEUS, qui de theſauris æternitatis tuæ novum hunc Annum eduxiſti, atq; ad eum, me inutile terræ pondus, pertingere gratiosè voluiſti: immortales tibi ſint laudes & gratiæ tum pro elapſis annis, tum pro novo hoc ætatis meæ incremento; quo amplior mihi facta eſt copia à Te, vivendi propter Te. Gaudeo animitus feliciſſima ſorte mea: ſed tunc demum gaudium meum plenum erit; ſi ſingula ætatis meæ momenta tuæ fuerint gloriæ incrementa. Vivere enim meum nihil eſt, imò mors eſt, ſi non vivam Tibi primævo vitæ meæ Parenti, primæ & ſummæ Majeſtati, primo & ſummo Bono, primo omnium Principio & Fini Ultimo. Ad Te igitur hoc ipſo momento, toto cordis & animæ affectu, in unione meritorum Filij tui dilectiſſimi, dirigo omnes totius anni, vitæ meæ, menſes, dies, horas, momenta. Ad Te converto omnia deſideria mea, omnes amores, omnes motus, omnem ſubſtantiam meam: ut in Te ſubſiſtam, qui es tuum, & omnium Eſſe; in Te vivam, qui es fons omnis vitæ; in Te, & ad Te movear, qui es omnium centrum, & quies ſempiterna. Tibi me, & Omnia mea, DEUS meus & Omnia!

2. Licebit cum B. Henrico Suſone Ord. Præd: ab Infante JESU Strenam petere, & eidem viciſſim munuſculum aliquod in ſtrenam offerre. Solebat pius ille Vir novum Annum hoc ritu auſpicari. Ante ſolis ortum adibat Imaginem quandam Virginis DEIparæ, coram qua flexis genibus, tacitâ, ſed dulci cordis modulatione decantabat pium aliquod carmen in ejus laudem, orans: ut ſibi à Filio Strenam in felix novi Anni auſpicium impetraret. Tum converſus ad Filiolum in ulnis matris V.

reſi-

residentem, quem *Sapientiæ æternæ* nomine colere consuevit, petebat id ipsum exquisitis blandissimisq; verbis, suspirijs, cantionibus, alijsq; quibus poterat, industrijs. Præsta id mihi, inquiebat, obsecro, Benignissima Sapientia, per divinam liberalitatem, per ingenitam bonitatem tuam: neq; me sinas hac ineuntis Anni prima die vacuum a Te recedere. Neq; enim id te decebit, suavissima dulcedo. Memineris, oro: quendam fidelem servum tuum de te testari; non inveniri apud te *Etiam* & *Non*: sed tantùm *Etiam* atq; *Etiam*. Age igitur cordis mei Dulcedo: liceat animæ meæ hac die, xenij seu strenæ loco, singularem quandam recipere gratiam; aut quidpiam novi luminis de gratissimis manibus tuis, ô Suavissima Sapientia! Testatur Surius in ejus Vita 25. Jan: Nunquam Henricum spe sua frustratum abscessisse.

3. Ut hujusmodi Infantis JESU solicitatio sit efficacior: juvabit, offerre ipsimet in strenam unum alterumq; firmum Propositum eo anno, ipsius & V. Matris ejus amore, exequendum. v. g. Certum aliquod vitium, in quod crebriùs incidimus, singulari curâ extirpandi, & oppositam illi virtutem procurandi. Non poterit Divinissimo Infanti non esse gratissimum tale munusculum: nec alia fere ab ipso petenda erit strena, quàm efficax Gratia ad exequendum hujusmodi propositum. Vix enim aliud quidpiam nobis utilius, aut necessarium magis, occurret: Citò perfecti essemus, inquit Kemp: si quolibet anno vitium unum plenè extirparemus.

4. Notabili commodo suo deligunt sibi hodie non pauci aliquem è Divis Cælitibus Patronum, cui se, & negotia sua anni totius devotè committunt, in rebus dubijs & periculosis ad eum fiducialiter accessuri. Viguit, & fortè natum est, hoc pietatis exercitium in aula Ducum Gandiæ, Majorum S. Francisci Borgiæ S. J. qui illud extendit tum ad plures Sanctos, in singulos menses pro Tutelaribus forte diligendos, tum ad universã Societatẽ nostrã, & Sodalitates MARIANAS ab ipsa administrari solitas.

5. Deniq; attendendum ad id, de quo monet Kempensis lib. 1. de Imit: c. 25. *Memento semper Finis ; & quia perditum non redit Tempus*. In exordio seu limine Anni novi constitisti: memento finis Anni, finis mundi, finis tui. Finis bonus coronat opus, annum, vitam. Quid si Annus hic tibi, & mihi, sit Ultimus? Memento: *quia perditum non redit tempus*. Non redit; ut iterum in illo vivamus: redibit, ut de illo judicemur.

II IANVARII.

Quomodo se habens DEVS, J. & M. ad hunc annum feliciter à nobis agendum.

1. ADora DEUM O. M. & considera eum, in manibus suis versantem sortes vitæ nostræ: Psal. 30. & quasi aleæ jactu, at non cœco, seu fortuito, distribuentem huic opes; illi paupertatem; huic honores, illi infamiam; huic morbos; illi sanitatem; huic vitam, illi mortem. Nos decet paratos esse ad quamlibet sortem: Vide; quæ tibi præ cæteris gravior accideret, & ad illam maturè obfirma animum. Paratum cor meum DEUS; paratum cor meum! Adjuva fragilitatem meam.

2. ADora D. JESUM; & considera eum, Patri æterno offerentem divinum sangvinem suum in circumcisione fusum: ut ejus intuitu, si non expedit à nobis hoc illudvè averti malum, detur nobis gratia, lucrum ex eo reportandi per patientiam. Plerumq; utilius nobis est, exerceri malis, quàm continuis frui bonis. O gratiosissime Salvator non mea sed tua fiat voluntas de me, in me, & circa me. Tu melius nôsti; quid expedit mihi, & plus mihi vis boni; quam ipse ego.

3. VEnerare DEIparam V: & considera eam ut Fortunam nostram; non cœcam, aut volubili globo insistentem, ut illam gentilium; sed oculatissimam in commoda nostra, & constantissimo affectu nobis addictam. Ipsa fortunare potest dies & actus nostros: ipsi licet mitigare rigorem Justitiæ divinæ, quem peccatis quotidianis meremur. Hunc igitur annum fortuna mihi, ô Gratiosissima. Quidquid sortitus fuero boni, Tibi deferam.

Propositum. De permittenda DEO, J. & M. libera de nobis & rebus nostris dispositione.

LECTIO PRACTICA

Quid agendum: ut novus hic Annus felix nobis fluat?

De constellationibus, tempestatibus, ecclipsibus, neomenijs &c. Annorum, suas condunt & venditant ephemerides Mathematici: at quis divinabit; qualis cuiq; in particulari fluet hic Annus? ater an candidus? felix an funestus? ultimus, an penultimus? cœlo vel orco nos tradet? Si mundum, in quo vivimus, & habitudinem corporum, animorumq; nostrorum respicimus: parum boni augurati licebit. *Omnes agedum circumspice mortales,* monet Seneca: *larga ubiquè flendi, & assidua materia.* Alium ambitio nunquam quietum solicitat; alium ad quotidianum opus laboriosa egestas vocat; alius divitias, quas optavit, metuit, & voto laborat suo; alium solicitudo, alium labor torquet; hic habere se liberos dolet, hic perdidisse. Lacrymæ nobis deerunt, antequam causæ dolendi. Nonne vides: qualem vitam nobis rerum natura permiserit, quæ primum nascentium homi-

hominum fletum voluit? Hoc principio edimur, huic omnis sequentium annorum ordo consentit. Sic vitam agimus. Nunc de capite, nunc de ventre, nunc de pectore aut faucibus querimur; aliàs nervi aliàs pedes, nos vexant; nunc destillatio; aliquando deest sangvis, aliquando superest. Hinc atq; illinc tentamur, & expellimur Vita supplicium est. Ita Stoicus aliàs querelarum parcus. Nec est, cur credamus: hunc Annum degeneraturum ab indole præteritorum.

At si oculos animosq; tollamus in cœlum: alia, eaq; lætiora, nobis præbebunt auguria, non volucres aut sidera cœli; sed DEUS, JESUS, & MARIA. DEUS est, id est infinita Bonitas, & Benignitas, in cujus manu sunt sortes nostræ, cujus nutu cuncta dispensantur & læta & tristia. Pater est noster, nostri amantissimus, de singulis singulorum capillis solicitus. Si nos, qui mali sumus, novimus bona data dare filijs nostris; quantò magis Pater noster, qui in cœlis est! Præstò sunt JESUS, & MARIA non solùm nomine SS. salutem & gratiam spirantes; sed è vulnerum & uberum inexhaustis fontibus eam propinantes. Quid ab his timeamus mali? quid non speremus boni? Quidquid triste, imò funestum, minentur astra, mundus, & orcus: sine nutu ipsorum non appropinquabit tabernaculo nostro. Vel avertent pro sua Benignitate, nec sinent nos tentari supra id, quod possumus: vel permittent ad majus bonum nostrum, & paratam offerent gratiam, ut non succumbamus, sed ex tentatione referamus proventum. *Salus tua ego sum, pax tua, & vita tua. Serva te apud me, & pacem invenies:* loquitur JESUS apud Kemp: lib. 3. c. 1. *In me gratia omnis vitæ & veritatis: in me omnis spes vitæ & virtutis*: inquit Sapientia æterna, & (per accomodationem) Mater ejus Eccle. 24.

Unum ex parte nostra requiritur necessariò, ad obtinendum annum pacificum, lætum & felicem: ut scilicet nosipsos plenè resignemus DEO, JESU, & MARIÆ; atq; ipsorum liberæ de nobis & circa nos dispositioni libenter acquiescamus; omnia, quæcunq; nobis evenerint, prospera vel adversa, promptè acceptando de manibus eorum, tanquam sapientissimæ providentiæ, & eximiæ erga nos charitatis, argumenta. Unica enim & fundamentalis causa, quòd tam facile & graviter turbemur & affligamur, dum aliquid occurrit, est: quod non volentibus, sed invitis accidat. Nam quæ ipsi volumus, ea potiùs grata, quàm molesta nobis sunt; quamvis non parum molestiæ adferant: ut patet in voluntarijs corporis castigationibus, & arduis negotijs, quæ alterius amore, vel studio lucri proprij, suscipimus ultro. Ad cruentos flagellorum ictus, quæ nobis sponte infligimus,

nec

nec ingemiſcimus; pulicis aculeo tacti, tanquam lancea icti, exſcandeſcimus, & nefas morte luere debet beſtiola: quia illud volentes, hoc patimur inviti.

At quomodo nobis perſuadebimus, & à nobis impetrabimus: ut omnia, quæ nobis evenient acerba & moleſta; velimus, rata & grata habeamus, & non patiamur inviti? Non poſſum diſſimulare difficultatem in hoc puncto. Eſt tamen ad manum argumentum, quo id feliciter evincamus. Certum eſt 1 ex fide: Omnia, exceptis peccatis, quæcunq; fiunt in mundo: fieri authore DEO, & ex Sapientiſſima ejus Providentia. Certum 2. DEUM in homines, præſertim timentes & amantes ipſum, propenſiſſimo, & plus quàm paterno, eſſe affectu: ideoq; etiam mala, ſeu adverſa, immittere in bonum ipſorum. Dum igitur aliquid ingruit adverſi; colligendus eſt animus, & cogitandum: DEUS id vult: conſequenter, JESUS & MARIA id volunt, & Volunt in magnum bonum meum: Ergo hanc eximiæ in me benevolentiæ teſſeram repudiabo? Non velim ego, quod volunt illi, tam magna, tam chara mihi Nomina? Cui tantum lucis reliquit effuſa paſſio, ut hæc cogitare poſſit: ſentiet ſine dubio, inclinari ſibi voluntatem, ut volens libensq; acquieſcat illorum diſpoſitioni. Et ſic non gravatus feret, quidquid evenerit; habebitq; dies & Annos, non minùs felices, quàm pius ille felixq; Mendicus apud Taulerum.

Huic cùm tranſiens quidam Theologus bonum manè precatus eſſet, atq; ut eum felicem fortunatumq; reddat DEUS: reſpondit Mendicus: ſe nunquam adverſum manè habuiſſe, nec unquam fuiſſe infelicem aut infortunatum: *Quando enim*, inquiebat, *fame premor, DEUM laudo; ſi frigus patior, ſi grando, ſi nix, ſi pluvia cadit, ſi aura ſerena eſt, vel turbulenta, DEUM laudo; ſi miſerſum atquè deſpectus, DEUM ſimiliter laudo; & ideo nunquam triſte manè mihi contigit. Infortunatus etiam nunquam fui: novi enim cum DEO vivere certusquè ſum: quidquid ille facit, non poſſe non eſſe optimum. Unde quidquid ipſe vel dabat, vel evenire mihi permittebat, ſive gratum id eſſet, ſive contrarium, dulce vel amarum; lætus id, tanquam optimum ab ipſo ſuſcepi: & ideo nunquam infortunatus fui. Neque infelicem fuiſſe contigit. Soli namquè voluntati divinæ inhærere ſtatui: in quam ſic integrè omnem meam transfudi voluntatem; ut quidquid ille vult, & ego velim; & meam ipſi voluntatem ex integro reſignârim.*

Quid videtur de hoc Mendico? Miſerum dicemus, an potiùs etiam ante fata beatum? At quomodo miſerum; qui omnia habuit quæ voluit; cui nihil evenit quod noluit? Et nobis (ſi ſapimus, & imitari non pigeat) tam felices agere dies annosq; procul dubio licebit.

De DEO ut Rege sæculorum; Christo Patre futuri sæculi; B. V. Matre Ætatis aureæ.

1. ADora DEUM O. M. & considera eum ut *Regem sæculorum immortalem* 1. Tim. 1. qui de thesauris æternitatis suæ etiam hunc annum novum eduxit: atq; ad eum te inutile terræ pondus gratiose perduxit: qui arbitrio suo dispensat sæcula, dies, & annos: constituitq; vitæ humanæ Terminos; qui præteriri non poterunt. Miseri Principes nostri; qui nec unum horæ quadrantem, imò ne unicum temporis momentum habent in potestate sua! At tu Rex sæculorum immortalis de sæculis disponis, & toti dominaris æternitati! Tibi Laus, amor, honor & gloria in sæcula sæculorum à me & tota Creaturarum vniversitate, Amen.

2. ADora D. JESUM & considera eum prædictum ab Isaia cap. 9. ut *Patrem futuri sæculi*, qui novissimis temporibus conditurus esset novum mundi statum: & sublato veteris legis jugo recturus orbem, non rigore Domini, sed indulgentia paterna, lenitate, mansuetudine, clementia summa: prout jam omnia, regit & gubernat levissima & suavissima lege Gratiæ. O Amabilissime novi sæculi Pater; quis tibi se non præbeat morigerum? Te colam humiliter ut filius. Da ut singula vitæ meæ momenta sint honoris & amoris tui incrementa.

3. VEnerare DEIparam V. & considera eam ut *Matrem ætatis aureæ.* Ipsa enim per Filium suum effecit; ut ubi abundavit iniquitas, abundaret & gratia; ut Justitia & pax osculatæ sint; ut longè lateq; regnet Charitas, ut plurimi vitam ducant, virtutum sinceritate, & morum Innocentia non inferiorem statui Innocentiæ. O Mater gratiosissima, fac; ut in aurea hac ætate non torpeam ut plumbum; non rigeam ut ferrum; sed ardeam ut aurum ignitum, & pretiosos in conspectu DEI & tuo vivam dies & Annos.

Propositum de Vita sic instituenda, ut multos & pretiosos vivamus annos.

LECTIO PRACTICA

Quid faciendum: ut diu vivamus?

OMnes cupiunt, pauci sciunt, diu vivere. Artem verbis tribus aperio: *Honestè pièquè vivendum.* Sic facile vitam agemus verè diuturnam. *Honestè* vivere, est vivere ut hominem decet: id est, juxta dictamen rectæ Rationis; sequendo nimirum in actionibus nostris non inclinationem vel imperium Appetitus concupiscibilis aut irascibilis (hæc enim vita brutorum est) sed dictamina, imperia, & consilia rectæ Rationis.

Dico, *Rectæ Rationis*: quæ scilicet depravata non est passione aliqua effervescente, vel mundi aut carnis principijs, sed conformis Legi DEI, Christi, & ejus Ecclesiæ. *Piè vivere est*, esse deditum cultui DEI, observationi mandatorum ejus, & virtutum, quas ipse commendat, exercitio.

Quod hæc vitæ ratio plurimum conferat ad ejus diuturnitatem: manifestum est 1. Ex quotidiana experientia, qua cernimus; moribus dissolutos, improbos, & indulgentes concupiscentijs suis alijsq; passionibus, passim morbidos, enerves, miseram trahere vitam, & immaturam oppetere mortem. Chorum inter hos ducunt gulosi, libidinosi & iracundi: illos ut vitulos saginatos & lascivos, jugulat mors, nec sinit in annosos crescere boves; isti se ipsos præcipitant non solùm in brevem insaniam, sed mortem ipsam per epilepsiam, aliosq; sonticos morbos. *Verè stultum* (hominem qui non regitur ratione, sed affectu rapitur) *interficit iracundia* Job. 5. *Zelus & iracundia minuunt dies*. Eccle. 30. Unde universim monet Ecclesiastes c. 7. *Ne impiè agas multùm: & noli esse stultus*, sequendo potiùs effrenes affectus, quàm rationem; *ne moriaris in tempore non tuo*. Quod de Viris sangvinum, & dolosis dicitur Psal. 54. *Non dimidiabunt dies suos* (id est; nec ad dimidium pervenient ejus ætatis, quam attigissent ob naturalem complexionem suam) frequenter in alios quoq; improbos cadit. Nam ut generatim ait Job c. 21. *Erunt sicut paleæ ante faciem venti; & sicut favilla, quam turbo dispergit. Quid enim ad eum* (scilicet ad impium) *pertinet de domo sua post se? & si numerus mensium ejus dimidietur?* Nec improrum solùm tam infelix est conditio, sed subinde etiam minùs piorum, & professioni suæ consentaneam vitam non agentium. Nota est fatalis illa mitissimi Salvatoris sententia Matt: 21. lata in ficulneam fructibus carentem: & Luc. 13. cùm vidisset ficulneam sterilem, mandavit hortulano: *Succide illam; ut quid etiam terram occupat?* Non tulit ficulnea illa spinas aut labruscas, aut ramos aridos: sed quia caruit optatis, & debitis fructibus, jussa est succidi. *Ut quid terram occupat; succide*: det meliori locum. Sic in securi & ascia dejiciuntur: qui non agunt vitam rationi & statui suo conformem. Vidi ipse viros sicut quercus Basan, eo corporis robore, ut sæcula ferre potuissent, nisi vel occulto DEI judicio succisi fuissent, vel intemperantiâ quadam concidissent.

At qui vitam suam ad omnem honestatem pietatemq; componunt, plerumq; & physicè & moraliter, vel saltem moraliter diu vivunt. *Physicè* diu vivunt; quia per annos multos evitant mortem tum industria propria, tum DEI munere. Hoc ipso enim, quod juxta dictamina rectæ ratio-

nis vivunt, & circumſpecti ſunt in uſu ciborum ac potus, in aſſumendis & protrahendis laboribus, curis, & negotijs, in fovendo & caſtigando corpore, in moderandis animi motibus & affectibus; conſervant primarum qualitatum, & primigeniorum humorum temperiem (in qua conſiſtit ſanitas animalis) ne vel ſangvis corrumpatur, vel bilis exæſtuet in febrim malignam, vel melancholia degeneret in hypochondriam, vel pituita exundet in hydropem; adeoq; nec humidi radicalis per multum temporis notabiliter patiuntur defectum, nec amicum naturæ calorem obrui ſinunt. Imo etiamſi nonnullis noverca natura non ſatis digeſſit, temperavitq; complexionem; ſuſtentant tamen diu ſatis prudentia & circumſpectione ſua imbecillam valetudinem, nec ſolùm eam morti acceleranti ſubducunt: ſed magnis & glorioſis laboribus parem faciunt, ut patet in SS. Hieronymo, Baſilio, Gregorio, & plurimis alijs, etiam ætate noſtra.

Non deeſt ſervorum ſuorum honeſtis curis in conſervanda valetudine ad obſequium & gloriam ſuam, Author & Arbiter vitæ DEUS: ſed confortat infirmos, adjuvat laborantes, recreat feſſos; quin & prodigio ſubinde, quos natura negat, adjicit liberaliter annos, prout Ezechiæ regi, Iſa: 38. adjecit quindecim, S. Poponi Abbati viginti, Guario Hibernorû Regi triginta (apud Bolland. tom. 2. Jan:) & plures alijs. Pro P. Thoma Saillio S. J. ſtrenuo in caſtris Belgicis Miſſionario, morti vicino viſa eſt DEIpara V. apud Chriſtum intercedere, & audita dicere: *Sine noſtrum hunc ſervulum etiamnum pauluſper vivere.* Annuit Chriſtus conceſſis Thomæ quindecim adhuc annis vitæ, atq; integræ ſemper valetudinis. *Sotbwellus in Biblioth. ſcript. S. J.* Stat promiſſis bonus DEUS. Pſal. 90. ubi homini probo & in ſe confidenti promittit: *Longitudine dierum replebo eum: & oſtendam illi ſalutare meum.* Cadunt à latere piorum mille impij, ebrioſi, iracundi, guloſi &c. ætate & viribus florentes; & decem millia à dextris eorum: ad ipſos autem ſerò, & non improviſa, mors appropinquat. Vel ſi quando præcipiti pede ingruit, DEO feſtinante ſuos educere de medio iniquitatum: non defunguntur præmatura morte, etiam in adoleſcentia; ſed poſt vitam *moraliter* diu actam. Nam non tam anni, quam merita, ſeu opera præclara, ſunt menſura propria vitæ humanæ, teſte ipſo DEO Sap. 4. *Senectus venerabilis eſt, non diuturna, neque annorû numero computata: cani autem ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis vita immaculata.* Proinde qui honeſtè pièq; vixit quàmvis paucos vitæ phyſicæ numeret annos, *Conſummatus in brevi, explevit tempora multa:* factis extendit ætatem. Senex improbus *non diu vixit, ſed diu fuit,* inquit Seneca. Vi-

vere enim hominis, est agere ut hominem decet.

Audiendus ergo Magnus Legislator Moyses Deuter. 30. *Diliges Dominum DEUM tuum; atquè obedias voci ejus, & illi adhæreas: ipse enim est Vita tua, & Longitudo dierum tuorum.*

IV IANVARII.

De SS. DEI, JESU & MARIÆ Nominibus.

1 ADora DEUM O. M. & considera eum, vel ipso nomine suo esse admirabilissimum. Non solùm essentia, & reliquæ perfectiones ipsius sunt omnino ineffabiles & incomprehensibiles quocunq; creato vel creabili intellectu: verùm & nomen ejus *Jehova* seu *Qui est*, est ineffabile, sanctum & terribile, gloriosum & admirabile in universa terra. O si homines nossent! quantum bonum, quantus Dominus, significatur brevi hoc nomine, DEUS! O DEUS, fac; ut auditum vel lectum hoc admirabile nomen tuum penetret intimas cordis mei medullas, & concipiam sensus te dignos.

2. ADora D. JESUM; & considera eum, sacrosancto nomine suo, *JESUS*, amabilissimum generi humano. Quid enim est *JESUS*, nisi *Salvator*? Salvator à peccatis, Salvator ab hostibus Tartareis, Salvator à damnatione æterna. Cùm audimus JESUM, homo nobis repræsentatur, qui simul est DEUS, adeoq; omne bonum; qui est delicium, gloria & corona generis nostri, Beatitudo nostra temporalis & æterna. O JESU amabilissime! o amor meus! aperi mihi thesauros hujus sanctissimi Nominis tui; Fac ut illud & vivens in opere, & moriens in ore habere merear.

3 VEnerare DEIparam V: & considera eam ipso venerabilissimo nomine suo, MARIA, dulcissimam. *O magna! ô pia! ô multùm laudabilis MARIA*; inquit Bernardus mellifluus! *Tu nec nominari potes, quin accendas; nec cogitari quidem, quin recrees affectus diligentium te. Tu nunquam sine dulcedine divinitus insita, piæ memoriæ portas ingrederis!* Ah tempera mihi; ô Amantissima, devota pronuntiatione dulcissimi Nominis tui amaritudines vitæ ac mortis meæ!

Propositum. de ijsdem SS. Nominibus amanter & reverenter enunciandis.

LECTIO PRACTICA

Quantum solatij & præsidij habeat vita nostra in SS. DEI, J. & M. Nominibus.

VIta nostra temporalis, cui speciali favore novum adjecit annum Di-

vina Bonitas, quot & quantis exposita sit periculis & calamitatibus: testantur, etiam felicissimorum in hoc mundo, querelæ & lamenta, nec paucorum funesti casus. Attamen non reliquit nos eadem Divina Bonitas omni præsidio & solatio destitutos: sed inter cætera, tria nobis proposuit Nomina, in quibus non minus solatij, quàm præsidij reperiremus; scilicet Nomen DEI O. M. admirabilissimum, Nomen Christi amabilissimum, & Nomen DEIparæ V. dulcissimum.

De Divino Nomine dicit Salomon Prov: 18. *Turris fortissima Nomen Domini. ad ipsum currit justus, & exaltabitur* Ly *Ad ipsum*, non solùm referri ad DEUM, sed etiam ad Nomen ejus, indicat textus Hebræus, qui sic habet: *Turris fortitudinis Nomen Jehova: in ipso, vel, in ipsum curret justus, & exaltabitur.* Sicut enim qui ad munitissimam aliquam turrim in periculis se recipiunt, eamq; conscendunt; non solùm eripiuntur hostibus ipsos persequentibus, sed ex alto derident eos tanquam victores: sic qui in periculis & ærumnis suis meminerunt DEI & Nomen ejus reverenter ac fiducialiter enunciant, v. g. *DEUS in adjutorium meum intende: Exurgat DEUS, & dissipentur inimici ejus: Quis ut DEUS?* &c. Superiores evadunt hostibus & tribulationibus suis. Subjungit deinde Salomon v. 11. & 12. *Substantia divitis urbs roboris ejus, & quasi murus validus circumdans eum;* prout divites hujus mundi opinari, & jactare solent, sed in vanum. Nã *antequam conteratur, exaltatur cor hominis; & antequam glorificetur humiliatur:* At eos, qui confidunt in DEI Nomine, vera excipit securitas, vera stabilisq; exaltat gloria. Patet in puero pastoritio Davide. qui solo DEI vivi Nomine armatus *Ego venio ad te in Nomine Domini Exercituum*, intrepidus processit contra Philisthæum, & carneam illam turrim uno ictu prostravit, pedibusq; suis subjecit: *Stetit super Philisthæum, præciditq; caput ejus.* 1. Reg. 17. quin super ipsum quoq; Saulem Regem exaltari meruit: *Percussit Saul mille, & David decem millia.* Non minus salutare fuit Hebræis Divinum Nomen, quando Alexandrum Magnum ipsis offensum, subitò, velut fulgure perstrictum, omni irá exarmavit. Jaddus enim Pontifex cùm, egressus urbe Pontificali amictu, & in tiara sua Sacrosanctum Nomen *JEhova* aureis literis expressum præferens, occurrisset Alexandro: Rex majestate Divini Nominis perculsus humi se prostravit, & adoravit, Josepho teste, nec quidquam noxæ intulit Judæis. Laudate ergo pueri, laudate senes Dominum: laudate Nomen Domini, & in ipso sperate. A solis ortu usq; ad occasum laudabile Nomen Domini. *In te Domine, inimicos nostros ventilabimus cornu: & in Nomine tuo spernemus insur-*

gentes in nobis. Psal. 43. *In Nomine DEI nostri magnificabimur.* Psal. 19. Non mirum proinde: quod S. P. N. Ignatius, audito hoc nomine, DEUS, totus extra se rapiebatur, & dulcibus liquescebat lacrymis. Illud mirum, quod passim tam irreverenter habeatur, etiam ab ijs, qui DEUM summum Bonum credunt. Quid laboris; si semper literis scribatur majusculis?

De Sacrosancto Nomine, JESUS, cùm sit verè & propriè DEI nomen, nimirum incarnati DEI: idem imprimis omnino tenendum, quod de Nomine Divino proximè dictum est, & dici potest. Illud insuper observandum speciale: Supremam illam & infinitam Majestatem, significatam nomine DEUS, vel Jehova; longè Amabiliorem & venerabiliorem nobis proponi per Nomen JESUS, quàm quovis alio nomine sive DEI, sive ipsius Christi. Nam & importat omnes illas perfectiones, quas quodvis aliud Divinum Nomen, & insuper explicitè repræsentat nobis summum divini Amoris erga nos & dignationis actum, quo propter nostram salutem voluit fieri non tantùm Homo per Incarnationem; sed factus est Opprobrium hominum & abjectio plebis, per ignominiosissimam & acerbissimam mortem Crucis. Propter quem actum dicit Apostolus ad Philipp. 2. 9. Exaltatum esse à DEO Christum, & donatum illi Nomen, *quod est super omne nomen*, non solùm creaturarum quarumvis & ipsius Christi, sed etiam DEI: prout cum Abulensi latè probat Cornelius à Lap. ibid. & colligitur ex eo, quod mox subdit Apostolus: *Ut in Nomine JESU omne genu flectatur cœlestium, terrestrium & infernorum*: quale decretum non legitur conditum de quocunq; alio Nomine divino. Unde etiam mansvit in fideles pia consuetudo; ut audito nomine, JESUS, caput aperiant vel inclinent, aut genu flectant, aliave edant venerationis singularis signa, quæ non adhibent audito quovis alio DEI, seu Christi, nomine. Et infert Abulensis in cap. 20. Exodi: *Majus peccatum esse, accipere nomen, JESUS, in vanum: quàm nomen, DEUS.* At qui illud devotè reverenterq; enunciant, experiuntur in illo singulare animæ suæ & præsidium & solatium; experiuntur ipsum esse ex cœlestibus apothecis *Oleum* quoddam longè latèq; *effusum* ad illuminandas mentes, ad condiendum panem doloris, ad præbendam ægris medicinam: prout notat, & egregiè declarat S. Bernardus serm. 15. in Cant.

De gloriosissimo & dulcissimo MARIÆ nomine non vacat hîc dicere aliud, quàm quod ad ipsammet loquitur Sapientissimus Idiota cap. 5. Contempl. *Dedit tibi*, inquit, *tota supersancta Trinitas Nomen, quod post Nomen superbenedicti Filij tui est super omne Nomen: ut in Nomine tuo omne genu*

flecta-

flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingva confiteatur hujus SS. Nominis gratiam, gloriam & virtutem Et rursus: *Non est, non est, in ullo alio nomine, post Nomen benedicti Filij tui, tam potens adjutorium: nec est ullum aliud nomen sub cœlo, post dulce Nomen JESU, ex quo tanta salus hominibus refundatur.*

Hoc ergo triplici Nomine, DEI, JESU, & MARIÆ, muniti, fidenter procedere possumus contra triadem infestissimorum hostium nostrorum, adversus dœmonem, mundum & carnem, & contra omnes, quos Annus hic obtrudet, casus & vicissitudines: modò morem geramus Apostolo monenti 2. Tim. 2. *Discedat ab iniquitate omnis, qui nominat nomen Domini.*

V IANVARII.

DEUS Magos Orientis vocat & ducit ad Christum natum: Christus turbat Herodem: B. V. compatitur neglecto Christo.

1. ADora DEUM O. M. & considera: quomodo Sanctos tres Reges ortu novæ stellæ, tanquam lingva igneâ vocavit ad Filium suum adorandum, eosq; ex remotissimis Orientis Regionibus in Judæam duxit, & mira providentia paternaq; cura protexit, tum in via, tum Hierosolymæ; ne ab Herode infestarentur, homine arrogantissimo & crudelissimo. Est DEUS solicitus de suis: est inexpugnabilis clypeus fidelium suorum: præstò illi sunt mille modi juvandi nos; modò nos non reddamus indignos. O Domine tu es illuminatio mea, & salus mea; quem timebo!

2. ADora D. JESUM, & considera: quomodo adhuc in cunis vagiens ligatus fascijs, neglectus ab omnibus, terruit tamen ac turbavit, nunciatâ per Magos nativitate sua Herodem & omnem Hierosolymam cum illo. Stultissima trepidatio! is timetur natus, qui à sæculis, millenis millibus votorum fuit desideratus! Meritò hic notat Augustinus: Quid erit tribunal judicantis, quando superbos Reges cunabula terrebant Infantis! Piè igitur timeamus ad Patris dextram jam sedentem; quem Rex impius timuit adhuc ubera Matris lambentem! Agamus strenuè pro DEO & Religione: est, qui terreat & coërceat adversantes.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: maternam ejus compassionem erga Filium ab omnibus, etiam vicinis Bethlehemitis, neglectum. Meminerat probè; quantum fuerat gaudium, quantus plausus per omnia montana Judææ, nato nuper Joanne: at audita Christi Nativitate per pastores, stellam novam, & tres Orientis Reges Hierosolymæ prædicata, ne unus pedem movit ad inquirendum, vel invisendum, nemo os a-

peruit ad congratulandum: Adeo torpemus in negotio salutis nostræ, & cultus divini: sic negligimus tempus vocationis & visitationis divinæ. O Amor incarnate adde alas torpenti. Non differam: Ecce venio.

Propositum parendi sine mora vocanti DEO.

LECTIO PRACTICA.

Quàm periculosum sit, vocanti DEO non statim parere.

Pridem occinuit mundo regius Psaltes solemne illud Psal. 94. *Hodie si vocem ejus audieritis nolite obdurare corda vestra.* Audierunt, imo viderunt, hanc Domini vocem in lingva ignea tres Orientis Principes; nec obdurarunt, sed pronissima dederunt corda sua. *Vidimus stellam, & venimus adorare.* Matt: 2. Nulla intercessit morula inter *Vidimus & Venimus.* Idem etiamnum repetitur quotidie, sed plerumq; vel surdis, vel procrastinantibus. Non cessat Divina Bonitas identidem vocare homines ad se, ad fidem, ad pœnitentiam, ad statum religiosum, ad perfectionem: sed quidam sicut aspides surdæ obturant aures suas; alij sicut lutum in sole, obdurantur magis; alij puerile illud apud Isaiam c. 28. regerunt: *Manda, remanda: expecta reexpecta: modicum ibi.* Et hic & ibi est, quod tantisper agamus, negotia nostra habemus, congerenda est arena, ædificandæ domus ex arena, hic pistrinum, ibi cellarium &c. construenda; postea equitandum in arundine, ducendum funus, celebrandæ nuptiæ, deliberandum de bello &c. quibus expeditis prompti sumus ad mandatum.

Non sunt majoris momenti quæ prætendimus ad excusandas moras nostras in obtemperando voci Domini: nec major est prudentia nostra, quam pueri illius, qui vocem matris invitantis iterum iterumq; ad cibum sumendum, contempsit, intentus suis. At ubi vidit domesticos alios mensæ accumbentes strenuò rem agere; monuit matrem ut adhuc semel se invitaret. Dissimulante illa, accessit ipse ultro, sed parum aut nihil reperit in patinis. Pater & mater est, qui nos vocat invitatq; ad salutaria & meliora: quid distinemur circa crepundia? Vocat, invitat, solicitat: quoties id facturus sit, quis divinabit! Ubi vocare cessarit; ibit, & transibit cum gratia sua excitante: nos nobis relicti, quomodo sequemur, ne dicam, assequemur? Hærebunt hujusmodi tergiversantes in arena vel luto suo; *Et erit eis verbum Domini illudentis: Manda remanda, manda remanda, expecta reexpecta: Modicum ibi; ut vadant, & cadant retrorsum, & conterantur, & illaqueentur & capiantur.* Isa. 28.

Imitandus potiùs puer Samuel, qui 1. Reg. 3. vocatus intempesta nocte à Domino, quamvis putaret se vocari ab Heli, illico proripuit se è strato, *& cucur-*

& Cucurrit, non lentè, ut somno graves solent, incessit, *ad Heli, & dixit: Ecce ego; vocasti enim me.* Nec segnior aut stomachosior fuit, vocatus secundò, tertiò & quartò, sed pari alacritate præstò fuit ad excipienda & exequenda jussa; meruitq; ea promptitudine dignitatem Prophetæ, summi Sacerdotis & Judicis in Israel. Imitandus & grandior natu Patriarcha Abraham: qui in medio somni audita voce Domini: *Abraham, Abraham!* confestim reposuit: *Adsum*; & jussus immolare filium super unum montium, non expectavit solis ortum, non contulit cum uxore, non hæsit deliberans, & combinans præsens imperium cum antecedentibus promissis divinis eidem quodammodo adversantibus: sed sine ulla mora, *de nocte consurgens, stravit asinum suum*, & cum filio itineri se commisit: tamq; promptus & fortis incubuit in executionem; ut Angelo impedituro ictum, necesse fuerit alta voce, & iterata nominis ingeminatione, inclamare: *Abraham, Abraham!* Nimirum, ut notavit S. Ambrosius ibid. *Repetivit vocem, tanquam veritus, ne præveniretur officio devotionis; & una vox impetum ferientis impedire non posset.* Numquid ad tam ardua nos vocat DEUS, dum ad pœnitentiam, ad statum religiosum, ad vitam perfectam nos vocat? Quid ergo hæremus, quid moras nectimus? Num diuturna opus est deliberatione, ut fœlices simus?

Est equidem vulgaris parœmia: *Diu delibera: & citò fac.* Sed hoc in rebus valde dubijs, & ubi nobis non constat de voluntate Divina. Hac autem cognita, insipientis, imò suspecti de fide, est, deliberare, & amicos consulere, prout mundi sapientia docet, an sit parendum? Præclarè S. Bernardus in illud, Ecce nos reliquimus omnia: *Quantos maledicta mundi sapientia supplantat, & conceptum in ijs extinguit spiritum, quem Dominus voluit vehementer accendi. Noli, inquit, præcipitanter agere, diu delibera; magnũ est, quod proponis. Experire, quid possis: amicos consule. Hæc est sapientia mundi, terrena, animalis, diabolica, salutis inimica, suffocatrix vitæ, mater tepiditatis, quæ DEO solet vomitum provocare; cùm à DEO verbum esse non dubites*: ut cum agitur de agenda seria pœnitentia, de accuratius servanda religiosa disciplina, de majore studio perfectionis; quæ constat DEUM velle, imò exigere à nobis. *Quid est opus deliberatione*, pergit Bernardus? *Vocat magni consilij Angelus; & quid aliena consilia præstolaris? quis fidelior illo, vel sapientior?* Unus Fabius cunctando restituit rem: innumeri perdiderunt. Loth cunctando vix non cum tota domo perijt. Herodes, cum Magis in Bethlehem proficisci, distulit: nec unquam Christum vidit, vel videbit, nisi Judicem in valle Josaphat.

Stupendum est, quàm stultè tergiversemur homines, dum ad saniora vocamur. Refert B. Petrus Damiani epist. ad Dominicum Loricatum: Usitatum, DEI voluntate, fuisse monti Vesuvio; ut ingentes flammas consueverit evomere, quando in vicinia reprobus aliquis dives moriebatur. Accidit autem; ut inter ejusmodi incendia Abbati Desiderio dœmones aliquando apparerent, plurimam materiam igni alendo convehentes in Vesuvium. Interrogati, quid agerent, responderunt: Præstolamur Principem Capuæ Pandulphum, & Joannem Magistrum militiæ Neapolitanæ. Misso nuntio, compertum est: dictum Principem eo tempore decessisse. Joannes autem Magister ab Abbate admonitus: *Nunc respondit, obviam ibo Imperatori* (Otho secundus erat) *porro post ejus adventum, spondeo me seculum deserturum.* Verùm ante Imperatoris adventum, 15. dies, deseruit miserum mundus & vita. Idem memorat; Salernitanum Principem, cùm vidisset Vesuvium exundantem, dixisse: *Sceleratum aliquem divitem procul dubio proximè moriturum, & ad infernum descensurum.* Dixit; nec sibi cavit; eadem nocte in scelere interceptus.

Hodie igitur si vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda vestra; nolite procrastinare. *Cras* corvina vox innumeros decepit. Periculum est in mora. Quod in negotio salutis & perfectionis differtur; plerumq; aufertur.

VI. IANVARII. IN FESTO EPIPHANIÆ D.

DEUS Christo nato subjicit gentes: Christus ut DEUS adoratur; B. V. ut Mater DEI honoratur.

1. ADora DEUM O. M. & considera: quomodo Sancti tres Reges in ejus laudem effusi sunt; ubi stella subsistente, adverterunt; se metâ votorum suorum potitos, invenisse Desideratum cunctis gentibus Principem supremum, & Salvatorem mundi. Vide quomodo misericors DEUS has Ecclesiæ ex gentibus colligendæ gloriosas primitias, tres Orientis Principes, & suaviter & fortiter attraxerit, ad deferendum Filio suo, à Judæis neglecto, homagium; atq; in ipsis gentes omnes ei subjecerit. O Pater misericordiarum! respice etiamnum reliquias gentium adhuc in tenebris Idololatriæ, & umbra mortis sedentium: ut quantocius Te cum Filio tuo adorent omnes tribus terræ.

2. ADora D. JESUM, & considera: quomodo Tres illi Reges primo ejus intuitu, velut fulgure quodam divinitatis, ex oculis Parvuli promicantis, perstricti, prociderunt coram illo in facies suas; & vi-

vacissimâ fide, profundissimâ submissione, adoraverunt, ut verum atq; unicum DEUM, quem Virgo Mater sinu gestabat Infantem; eiq; mysticas munerum species devoti & liberales obtulerunt. Gratulor tibi animitus, pretiosissime JESU, has honorum divinorum & munerum piorum primitias. O agnoscant, colant, ament, & serviant tibi omnes Reges terræ, ac imprimis ego servorum tuorum infimus; reverentiâ maximâ; amore intensissimo & liberalissimo, constantiâ perpetuâ.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: quomodo & ipsa specie suâ, & Maternitatis divinæ majestate rapuerit corda Regum illorum. Mirabantur pauperis puellæ sortem felicissimam, gratulabantur nunc Filio talem Matrem; nunc Matri talem Filium: hærebant attoniti nunc in hujus, nunc in illius vultu. Gaudeo his honoribus & amoribus tuis, o dignissima DEI Mater. O si liceret! omnium Regum Reginarumq; corda substernere plantis tuis, & Filij tui! Interim substerno meum: possidete totum ô Principes Maximi & Gratiosissimi.

Propositum de frequentandis actibus Adorationis, præsertim coram Venerabili Eucharistia, & Imagine Christi Crucifixi.

LECTIO PRACTICA.

De Actu Adorationis rite instituendo.

Adoratio sæpe, etiam in Sacris Literis, sumitur latiùs, scilicet pro quavis humili reverentia exhibita personæ alicujus dignitatis: quemadmodum Gen. 23. 7. dicitur: *Surrexit Abraham, & adoravit populum terræ, filios videlicet Heth.* Et Gen. 33. Jacob fratrem suum Esau à longè *adoravit pronus in terram septies*: & alibi sæpe. Ex communi jam usu Theologorum restringitur ad cultum supremum, soli DEO debitum, & consistit in *profundissima humiliatione nostri & plena subjectione exhibita DEO ob summam ejus Excellentiam.* Qui actus etsi propriè sit Voluntatis, pertinens ad virtutem Religionis: oritur tamen ab intellectu ex cognitione & summa æstimatione Divinæ Excellentiæ, nostræ autem infinitæ vilitatis respectu ejusdem. Quæ cognitio quó major est & plenior, eò perfectior oritur Divinæ Majestatis Adoratio.

Actus interni Adorationis sunt. 1. Exaltatio DEI super omnia, & depressio atq; subjectio nostri infima atq; plenissima, quo ad corpus & animam. 2. Timor quidam reverentialis, vi cujus nec comparere audemus in conspectu DEI, multò minus cum eo familiariter agere. Unde Patriarcha Abraham provocatus ab ipso DEO Gen. 18. ut cum ipso loqueretur, humilem illam præmisit præfationem: *Loquar ad Dominum meum*:

cùm sim (quamvis sim) *pulvis & cinis.* Deinde quoties pro Sodomitis intercessionem suam repetebat, reverentissimè præmittebat: *Ne quæso indigneris Domine, si loquar.* Et iterum: *Obsecro, ne irascaris Domine, si loquar adhuc semel.* 3. Usus nominum seu Titulorum divinorum, qui magis exprimunt summam ejus Excellentiam, Potentiam & Majestatem; ut *Regis Regum, Domini Dominantium, Judicis vivorum & mortuorum, Principij universalissimi, & omnium Creatoris, conservatoris atq; Gubernatoris &c.*

Actus externi Adorationis sunt, aperire & profundè inclinare caput, genua flectere, manus attollere supplices, totum corpus pronum dare, seu humi sternere, pretiosa offerre dona &c. Fit etiam exterior Adoratio lumina accendendo, thus adolendo, odores spargendo, & voce Excellentiam atq; gloriam DEI extollendo, nostram autem infirmitatem & utilitatem confitendo.

Est actus Adorationis ferè primus, quem Creatura rationalis debet Creatori ac Domino suo. Unde ipse Pater æternus, cum primum ejus Unigenitus factus est homo, jussit Heb. 1. 6. *ut adorarent eum omnes Angeli ejus.* DEIpara quoq; Virgo statim ac Christum edidit in lucem, *Quem genuit, adoravit!* ut canit Ecclesia. SS. tres Reges Orientis ut primùm venerunt in conspectum nati, licèt in stabulo, DEI, *procidentes adoraverunt eum.* Alijs quoq; Sanctis frequentissimus semper fuit usus Adorationis. S. Patritius Apostolus Hiberniæ ter centies per dies singulos flexis genibus DEUM adorabat. Ipse Salvator ac Dominus noster noctes à prædicatione liberas transigebat orando & adorando: nec in genua solùm sed in faciem quoq; procidebat coram Patre.

Formulam adorandi facile suggeret suus cuiq; affectus. Coram divina Majestate dici poterit cum Psalmographo: *Omnis terra adoret te, & psallat tibi: psalmum dicat Nomini tuo.* Psal. 65. Coram Ven: Eucharistia illud D. Thomæ Aquin: *Adoro te devotè latens Deitas.* Coram Imagine Crucifixi illud Ecclesiæ: *Adoramus te Christe & benedicimus tibi: quia per S. Crucem redemisti mundum.* Vel si placuerit (quod expedit) etiam acerbissimæ agoniæ mentionem facere. *Adoramus te Christe, & benedicimus tibi: quia per S. Crucem & acerbissimam agoniam redemisti mundum.* Pro hodierna die, imò & alijs, usui esse poterunt Actus sequentes Adorationis & Venerationis DEI, J. & M.

Optime M: DEUS, semper & ubiq; supremam ac infinitam Majestatem tuam infinita submissione, vilis turba, homines, veneremur oportet. At dum totam Divinitatis tuæ majestatem in angustias infantilium membro-

rum,

rum, amore nostri, coactam advertimus; quò descendamus adoraturi, non reperimus. Si enim Magni tantò fiunt majores & honorabiliores, quantò profundiùs amore subditorum descenderint: quantus jam nobis es DEUS noster, qui de summis cœlorum in vallem miseriarum nostrarum, imò in abyssum nihili nostri, Te demisisti: nec homo tantùm, sed parvulus, imbellis, nudus, abjectus homo, fieri dignatus es? Tanta demissione infinitè creverit, oportet, alias incrementi nescia, dignitas tua infinita. Quo ergo demissionis genere Te, magnum in cœlis, sed jam majorem in cunabulis, venerabor? Si in ipsum terræ cor descendero; profundiore dignus es reverentiâ. Si in nativum nihil meum revolvar; adhuc demissiore dignus es cultu. Ergo me in chaos abstrusissimum peccatorum meorum recipio (nihil enim à Te magis distat) atq; inde pronissima cervice & mente, exemplo & spiritu Regum Orientis, perfectissimo latriæ actu, Te veneror, & adoro DEUM ac Dominum meum, Opt: Max: maximus peccatorum. Cor contritum & humiliatum non despicias DEUS, qui humilia respicis, & alta à longè cognoscis.

Rex meus, & DEUS meus, Gratiosissime JESU, hoc Theophaniæ tuæ die à Regibus adorate, á Joanne baptizate, à Patre commendate, cum Matre ad nuptias invitate, ac ibi prodigiosa aquæ in vinum conversione admirande; gaudeo, exulto, triumpho, dum hanc tuam gloriam recolo. At media gaudij luctus occupat; dum adverto: Te à paucis alienigenis adoratum, in populo autem tuo inventum non esse, qui daret gloriã Tibi, DEO suo, & meo. Procumbo ipse, meo, illorum, & aliorum te nescientium vel negligentium loco, non in terram solùm, sed in abyssum vilitatis meæ, & Sacrosanctum infinitæ Majestatis tuæ Numen, infinita mei depressione, infinita tui exaltatione veneror & adoro. Obsecro insuper per eum, quem tunc passus es, contemptum; exorere gratiosus, ô Sol meus, ô Lumen ad revelationem gentium! Illuminare his, qui in tenebris gentilitatis, & umbra mortis sedent: ut universi reges terræ, & omnes gentes serviant tibi, ac inprimis ipse ego, reverentiâ maxima, amore intensissimo, constantiâ perpetuâ.

Augustissima mundi Imperatrix, Gratiosissima DEI Mater & Virgo: gratulor animitus Majestati tuæ honorem, quem hoc die Orientis reges Filio tuo, & Tibi congrua submissione & devotione detulerunt. O si unus de famulitio illorum fuissem: quam reverenter adrepsissem; ut oram fasciæ Filij tui, & fimbriam vestimentorum tuorum fronti meæ venerabundus imponerem, & deoscularer suavissimè. Quod tunc non licuit,

suppleo nunc: & Te Reginarum Maximam, Matrum felicissimam, affectu regum Orientalium, & infimâ, infra omnia mancipia tua, submissione veneror humillimè. Quia verò memoriæ recurrit, quod olim S. Franciscæ, contemplanti Adorationem Parvuli JESU à triade illa regia, dixisti: *Fac; ut intelligas Amorem DEI:* id ipsum supplex oro; Fac, Domina: ut intelligam inexplicabile mysterium incarnati Amoris, & in mutuum exardescam Amorem.

VII. IANUARII.

De Affectu DEI, Christi, & DEIparæ V. erga SS. tres Reges.

1. ADora DEUM O. M. & considera: quo gustu & voluptate Divini cordis acceperit illam Orientalium Regum submissionem & liberalitatem erga Christum. Quos sensus, quæ lumina, quos motus pios illis infuderit; quomodo in eorum absentia ditiones ipsorum protexerit, ipsosq; toto Oriente, & jam toto orbe, gloriosos reddiderit juxta illud 1. Regum 2. *Qui glorificaverit me; glorificabo eum: qui autem contemnunt me; erunt ignobiles.* O magne DEUS! quis non serviat tibi, etiam gratis, quando sic remuneraris tenuia obsequia & munuscula nostra?

2. ADora D. JESUM, & considera: quomodo intimè gavisus sit, se sub Parvuli specie summis; iisq; divinis, coli honoribus. Cogita: quàm liberaliter remuneratus sit munera à Magis oblata sibi. Pro auro reddidit illis aurum Sapientiæ, quâ arcana Divinitatis cognoscerent, præsertim circa Incarnationis mysterium; pro thure thus insignis devotionis & internæ consolationis: pro myrrha gaudium in tribulatione & incorruptionem animi, confirmando eos in gratia ut pie credi potest. O & mihi hæc munera Domine! Offero tibi, quantùmvis modicum, Aurum charitatis meæ erga te, thus devotionis, & myrrham adversitatum. Suscipe gratiosè, & munerare copiosè.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: quàm dulci colloquio detinuerit hospites illos Orientales: quomodo illos edocuerit de gestis circa Conceptionem & Nativitatem Filij sui: quomodo animârit ad constantem cultum & prædicationem nati Salvatoris, in terris suis: quàm sapienter interpretata sit mysticas oblatorum munerum species, & liberalissimam appromiserit remunerationem. In me quæso suscita, Domina liberalem animum; ut Charitate ardente, devotione fervente, patientia constante, Te colam cum Filio tuo.

Propositum de conciliando nobis uberiore benevolentia DEI, J. & M.

per

per pia quadam munuscula, v. g. N.

LECTIO PRACTICA

Quid: & quomodo DEO offerendum.

Nec Charitati, nec Necessitati urgenti suggerere oportet, quid offerant. Amor non minus liberalis, quàm ingeniosus est: facile invenit quod largiatur. Si cætera desint: Cor, cathedram & coronam suam promptus exhibebit, cum infinitis desiderijs largiendi, quidquid mundus cœlestis & terrestris habent: se deniq; pedibus divinis suppedaneum dabit mancipium. Similiter qui gravi quadam necessitate premuntur, ut subsidium & præsidium cœlitus impetrent; de paupere penu sua protrahunt, quidquid possunt: cùm non ignorent, muneribus placari homínesq; Deosq; notumq; sit, quod DEUS Exod. 23. præcepit: *Non apparebis in conspectu meo vacuus.* Cui præcepto cumulatè satisfecerunt Sancti Reges Orientales, quando *apertis thesauris suis obtulerunt* DEO nato munera, *Aurum, Thus, & Myrrham*, pari liberalitate & submissione:

In particulari definiri non potest, quid quisq; offerat. Tria universim recta ratio imperat. 1. Ut, quod DEO offerimus, sit DEO dignum. 2. Ut offeratur à persona grata. 3. Offeratur liberali affectu. Dignum inprimis DEO sit, quod offerimus: non quod pretium muneris nostri æquare debeat, vel possit, dignitatem & excellentiam Divinam; sed ut ex bonis nostris seligamus optimum, & facultatibus nostris proportionatum. Hoc est, de quo nos monet Ecclesiasticus cap. 14. 11. *Fili, DEO dignas oblationes offer.* Et Psalmographus Psal. 19. *Holocaustum tuum pingue fiat.*

Graviter impegit in hoc puncto Cain Gen. 4. negligendo hunc delectum, & obvia quæq; de fructibus terræ parca manu offerendo. Multam autem apud Dominum gratiam sibi conciliavit Abel, offerens de primogenitis suis, & de adipibus eorum. Non satis illi fuit, cavere: ne quid mutilum, claudum, maculosum aut macilentum offerret: sed ex omni grege elegit optima, ex non vetulis primogenita, ex non macilentis pingvissima: prout notavit S. Chrysostomus hom. 18. in Genes. Unde ibidem dicitur: *Respexit DEUS ad Abel, & ad munera ejus: ad Cain verò, & ad munera ejus non respexit.* Et nos egregiè à nobis DEO litatum esse existimamus: si precatiunculas quasdam raptim deproperavimus, si Sacrificio Missæ solo corpore interfuimus, si crustulam panis, aut obolos aliquot tremula manu pauperi largiti sumus. Non desunt, qui parcitatem suam excusare non erubescunt. Sæculares queruntur de temporum iniquitate, de inopia sua, de multis expensis in varia negotia, lites, familiam, subsi-

subsidium reip. &c. Religiosi prætendunt bonorum suorum abdicationem & DEO devotam paupertatem. At tam his, quàm illis, cujuscunq; sint conditionis, non desunt, qui offerantur, thesauri. Nemo est tam pauper, ut non possit esse dives & largus in DEUM, si velit. Si non suppetunt res multi valoris: non desunt reculæ quædam, tenaci affectu in imo cordis reconditæ, velut spolium Achan, Josve 7. defossum in tabernaculo: vel saltem non caremus desiderijs habendi hæc illave, necessitatis pallio vestitis. Hos thesauros erui, & aperiri Domino oportet: eritq; munus nostrum pretiosum in conspectu ejus.

Quodsi imitari placeat SS. Orientis Reges, sed non sit ad manum aurum, aliaq; pretiosa dona, quæ DEI causâ erogentur in pauperes, Ecclesias, vel sacra asceteria: præstò esse possunt munera mystica, non minùs, vel magis, DEO grata. *Aurum offerimus*, inquit S. Gregorius hom. 10. *si Sapientiæ* (cœlestis) *lumine splendemus. Thus, si orationum studio redoleamus. Myrrham, si carnis vitia mortificamus.* Vel Auri loco offerenda quævis Eleemosyna sive pecuniaria, sive spiritualis: Thuris loco vita exemplaris & fervens Oratio: Myrrham supplebit Jejunium, & Abstinentia ab illicitis & licitis quibusdam voluptatibus. Vel pro Auro proferatur insignis actus Amoris divini; pro Thure actus humillimæ Adorationis, pro Myrrha Patientia molestæ alicujus adversitatis. Religiosis licebit insuper offerre pro auro pretiosam voluntariam Paupertatem, cum subtractione alicujus, etiã necessariæ commoditatis: pro thure, fragrantiam perfectæ Obedientiæ; proprium judicium & liberam voluntatem Amore Divino, velut vivis carbonibus, cremando in odorem suavissimum Domino: pro Myrrha integritatem illibatæ Castitatis, jugi corporis mortificatione servandæ.

Hæc & similia ut omni ex parte grata veniant in conspectum Domini; necesse imprimis est: ut à persona DEÒ grata offerantur. Sicut enim non est speciosa laus DEI in ore peccatoris (Eccle: 15.) sic nec pretiosa veniunt illi dona de manu iniqui. Sit licèt tenue; gratum est, quod venit ab amica manu: hostium dona suspecta sunt, vel infecta. Non fortuitus est ordo, qui in sacro textu ponitur Gen. 4. dum dicitur *Respexisse Dominus ad Abel, & munera ejus.* Primò & primariò respexit ad Abel: deinde ad munera ejus.

Deniq; commendanda sunt munera nostra liberali affectu. Non tam quid, quàm quo affectu aliquid offertur, attendunt DEUS & homines. Magnitudine devoti affectus sublevanda & attollẽda est tenuitas munerũ nostrorum: ut illa gratioso oculo respiciat Magnus DEUS. *Magis siquidem DEUS pensat, ex quanto quis agit, quàm opus, quod facit:* ait Kemp. lib. 1. de Imit: c. 15.

VIII. JA-

De DEO novarum stellarum conditore: Christo stella ex Jacob: DEIpara V. Stella matutina.

1. ADora DEUM O. M. & considera, eum, præter sidera initio mundi condita, quorum adhuc nullum extinctum est, solere subinde novas accendere stellas; prænuncias jam imminentium aliquarum calamitatum, jam instantis funeris magni alicujus Principis. At nati in Bethlehem Filij sui ipsum natalem placuit novâ illustrare stella, quæ & enarraret gloriam ejus, & monstraret eundem humilem & sublimem, vilem in pannis, pretiosum in stellis. O magne siderum conditor! accende & in parvo hoc mundo, in intellectu meo, novam divini luminis tui stellam, ut clariùs cognoscam, & amem ardentiùs Te cum Filio tuo, Domino meo.

2. ADora D. JESUM, & considera eum; ut *Stellam*, juxta prædictionem Balaam Num. 24. *oriam ex Jacob* radiantem non solum innumeris dotibus ornatissimæ Humanitatis, sed totâ plenitudine infinitæ Divinitatis. Infinities dignior hæc, quam adorent non tantùm undecim stellæ cum sole & luna, ut polymitum illum Salvatorem mundi Josephum, sed omnia omnino astra matutina, omnes tribus terræ, & omnes Principes cœli. Ah vel unicum oculorum tuorum, sole splendidiorum, radium vibra in me, JESU Gratiosissime! ut noverim te, noverim me: contemnam me, æstimem te super omnia, Omnia!

3. VEnerare DEIparam V. & considera eam, *ut stellam Matutinam* micantem meritis, illustrantem exemplis, & gratijs. Ipsam sequentes non deviamus, ut monet S. Bernardus; ipsam cogitantes non erramus, ipsâ protegente non metuimus; ipsa propitia ad portum pervenimus. Illuminate ergo tenebras meas, ô Maxima orbis sidera; ut clariùs noverim vos, noverim me: atq; sic rectè tramite tendam ad Patrem luminum.

Propositum v. g. de elicienda DEI cognitione & æstimatione ex Creaturis.

LECTIO PRACTICA.

Quomodo DEUS ex Creaturis cognoscendus, & super ipsas extollendus.

QUot per continuas generationes producuntur, & sub aspectum nostrum veniunt Creaturæ: tot nobis novas accendit stellas DEUS, quæ ipsummet, & summam ejus perfectionem nobis monstrent, atq; commendent. Teste namq; Apostolo Rom. 1. *Invisibilia ejus à Creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoq; ejus virtus & Divinitas.* Patentq; hæc tam clarè in creaturis, & ex creaturis: *ut sint*

inexcusabiles, qui vel DEUM Verum sufficienter non cognoscunt; vel non ut DEUM, debito cultu glorificant. Unde sicut Isaias cap. 40. monet: *Levate in excelsum oculos vestros, & videte: Quis creavit hæc?* ita excitare omne genus hominum possumus: Conjicite in profundum maris & in viscera terræ oculos vestros, *& videte: Quis creavit hæc?* Lustrate curiosiùs superficiem terræ & omnem ornatum, omnesq; fructus ejus, *& videte: Quis creavit hæc?* Quis conservat, & gubernat hæc? Non sunt à se ipsis: in nullo enim horum, nec in omnibus simul, est virtus sufficiens ad emergendum è nihilo suo. Quis est ergo, qualis, & quantus, qui produxit, & producit hæc? Cui omnia debent existentiam & omnes absolutè dotes suas, ipse nemini?

Quid dicis homo? urget Chrysostomus hom. 3. in Gen *Cùm videris cœlum, admiraris ejus formositatem, astrorum varietatem, claritatis eminentiam? Ne ibi subsistas: sed ad Opificem ipsum extende mentem. Obstupescere te facit solis lux, & admiraris ejus multiplicem usum: & quia vides radios illustrantes tuos oculos, admiraris elementi pulchritudinem? Sed neq; hìc subsistas. Quia si factura tam admirabilis est, & supra omnem opinionem & intellectum: Quantus est, qui ipsa solo verbo & præcepto produxit?* Quantæ, necesse est, ipsum esse excellentiæ, sapientiæ, potentiæ, & perfectionis in omni genere consummatissimæ! Quas enim dotes in creaturas omnes dispersit; oportet ipsum continere in se, idq; modo longè eminentiore, & copiâ infinitè majore. Unde fit: ut quamvis Spiritus ille sublimissimus lucem habitet inaccessibilem, & infinitè transcendat aciem non solùm oculorum, sed etiam mentium creatarum: ex creaturarum tamen existentia, & perfectionibus innotescat nobis, admodum obscurè quidem, certò tamen & infallibilissimè.

Duplicem porro modum assignant Theologi & Ascetæ ex D. Dionysio cap. 3. de Myst: Theol: & c. 7. de Divin: Nom: concipiendi, & aliquatenus exprimendi, seu potiùs adumbrandi, DEUM (dum perfectior per lumen gloriæ nobis non communicatur) scilicet jam per Affirmationes, jam per Negationes. Priore modo attribuimus DEO perfectiones positivas, quas in creaturis cernimus, & plures alias; sed in gradu eminentissimo & omnino depuratas ab omni imperfectione. Ut si cum S. Augustino lib. 1. Conf: c. 4 describamus DEUM: quod sit Spiritus summus, optimus, maximus, potentissimus, sempiternus, benignissimus, misericordissimus & justissimus, secretissimus & præsentissimus, fortissimus & pulcherrimus, simplicissimus & perfectissimus &c Vel cum S. Bernardo lib. 5. c. 11. de Consid: ad Eugen: Quid est DEUS? Voluptas omnipo-

tens,

tens, benignissima virtus, lumen æternum, incommutabilis ratio, summa beatitudo &c. Quo concipiendi & exprimendi modo, imitamur artem pictoriam, qua pictor eleganter format imaginem per additionem, seu appositionem, variorum colorum, ad venustatem & perfectionem conceptæ imaginis conducentium.

Alter concipiendi DEUM modus imitatur artem Statuariam, qua artifex insignem è lapide vel ligno elaboraturus statuam, scalpro alijsq; instumentis tollit partes inconvenientes, exhibetq; tandem opus proprio decore consummatum. Idem facimus, dum de DEO negamus omnes imperfectiones creaturarum, imò & perfectiones imperfectionibus laborantes; solùmq; asserimus: ipsum esse aliquid incomparabiliter melius in eo genere. Utitur egregie hoc modo S. Augustinus in soliloq. dum solicite, inter sensuum objecta non repertum, quærit DEUM. Non enim speciem corporis, inquit, non decus temporis, non candorem lucis, non colorem, non dulcium melodiarum cantus, non florum & ungventorum. vel aromatum odores, non mella vel manna gustui delectabilia, non cætera ad amplectendum amabilia, non omnia alia sensibus his subjecta quæro, cum DEUM meum quæro. Absit, ut ista crediderim DEUM meum, quæ etiam brutorum sensibus comprehenduntur. Et tamen cùm DEUM meum quæro, quæro nihilominus quandam Lucem super omnem lucem, quam non capit oculus; quandam Vocem super omnem vocem, quam non capit auris; quendam odorem super omnem odorem, quem non capit naris; quendam amplexum super omnem amplexum, quem non capit tactus. Ista quidem lux fulget, ubi locus non capit; ista vox sonat, ubi spiritus non rapit; odor iste redolet, ubi flatus non spargit; sapor iste sapit, ubi non est edacitas; amplexus iste tangitur, ubi non divellitur. Hic est DEUS meus, & non æstimabitur alius ad illum. Hoc quæro, dum DEUM meum quæro. Istud amo, cum DEUM meum amo. Ita Aug.

Potest etiam modus uterq; permisceri: affirmando scilicet positivam aliquam perfectionem de DEO, simulq; expresse negando imperfectionem, qualis adhæret creaturis. v. g. Tu, DEUS meus, es Magnitudo sine quantitate, Bonitas sine qualitate, Pulchritudo sine figura, Duratio sine tempore, Extensio sine loco, Substantia sine accidente, Forma sine subjecto, Omnia sine numero, Principium sine fine. Quidquid es, sine nævo es, purissima Puritas, perfectissima Perfectio.

Modi prædicti concipiendi & extollendi DEUM, possunt etiam accomodari Christo D. & Matri ejus: ut consideranti facile patebit. *Usus* hujus

Exercitij esse potest. 1. Ad evitandum fastidium, si semper eodem modo de dictis personis agamus. 2. Ad concipiendam de ipsis æstimationem dignam ipsis; qua nimirum appretietur, atq; extollatur DEUS & Christus *super omnia*, quæ non sunt DEUS, DEIpara V. autem super omnes cæteras creaturas. 3. Ad concipiendos varios, ipsis congruos affectus: v. g. Admirationis & Gaudij de tam eminente excellentia ipsorum: Desiderij ut ab omnibus, super omnia, sine fine amentur, & honorentur &c. 4. Ut vilescant nobis bona creata: siquidem infinitè meliora habemus in DEO, J. & M. 5. Ut ex creaturis, propter nos à DEO conditis, hunc ipsi quasi vectigalem deferamus fructum: quod ex ipsis occasionem sumamus dignè æstimandi, extollendi, & amandi DEUM; adeòq; illas ad proprium suum & nostrum Finem ultimum convertamus.

IX. IANVARII.

De DEO J. & M. exaltandis ob beneficium Christi nati & manifestati.

1. ADora DEUM O. M. & considera eum, *ut Magnum Dominum*: cujus magnitudinis non est finis; cujus gloria inenarrabilis, potentia insuperabilis, opulentia indefectibilis, majestas incomprehensibilis: cujus mancipia sunt omnes Reges terræ; Satellites, omnes tenebrarum potestates; aulici, omnes Principes cœli. Magnus omninò Dominus, & laudabilis nimis! Benedicentes igitur Dominum exaltate illum, quantùm potestis: major enim est omni laude. Exaltantes eum: replemini virtute; ne laboretis; non enim comprehendetis. Eccle: 43. Eja viles terrigenæ! quin superbimus tali Domino? quin curamus illi in amoribus esse?

2. ADora D. JESUM & considera eum, ut parvum, imò parvulum Dominum: nec tripalmares cunas implet, pro aula illi est pecudum caula, stipatores bos & asinus, thronus præsepe: thesauri paupertas. Quomodo tantus decrevit gigas! quis tantas deprædatus est opes? quis tantam subegit potentiam? quis sic exinanivit, & contemptui objecit magnum illum Dominum, & laudabilem nimis? Amoris hoc facinus est, & amoris erga me servum nequam. O verè parvus Dominus & amabilis nimis! Quantò pro me vilior: tantò mihi charior!

3. VEnerare DEIparam V. & considera eam, *ut universi Dominam* titulo maternitatis Divinæ: sed *humillimam*, quæ cœli terræq; Regem paritura, non ingessit se Principum aulis aut Magnatum domibus, sed in graveolens & malè sartum stabulum se recepit. At numquid inde vilior? imo inæstimabiliter venerabilior. Propter quod & DEUS exal-

tavit

tavit illam, ut omne genu, quod curvatur Filio, curvetur & Matri. En tres Orientis Reges plantis ejus affusos! O humillima Augusta; & meam pedibus tuis arrogantem subiterno cervicem: dignare illam victorioso calcaneo tuo, ut nunquam amplius assurgat tumida.

Propositum v. g. de colendis DEO, J. & M. cultu quàm humillimo; v. g. N.

LECTIO PRACTICA.

Quomodo DEUS cognoscendus & exaltandus ex mysterio Christi nati, & manifestati.

Non solùm DEUS se nobis manifestavit & manifestat per productionem creaturarum tam variarum tamq; speciosarum: sed insuper per continua beneficia, & benignissimam ordinationem illarum in usus nostros. Unde Apostolus Act: 14. prædicans Lystris, dixit: *Non sine testimonio semetipsum reliquit* (DEUS) *benefaciens de cælo, dans pluvias & tempora fructifera, implens cibo & lætitiâ corda nostra.* Tam luculenta, benigna, universalis, perpetuaq; providentia & beneficentia, quid aliud clamat & testatur? quàm præesse magnæ huic domui Maximum quendam Optimumq; Patremfamilias & Principem, qui in tempore opportuno aperit manum suam, & implet omne animal benedictione; cui nec potestas, nec voluntas benefaciendi omnibus & singulis, deest; cujus promptuaria nec deficere, nec exhauriri unquam possunt; qui largissima liberalitate non solùm necessitati, sed etiam honestæ voluptati & jucunditati subditorum prospicere, amat.

Sed præstò est longè luculentius & locupletius testimonium aliud Divinæ Magnitudinis, Bonitatis, & omnigenæ Excellentiæ. Infans JESUS, nuper Virgine Matre natus, Angelorum lingvis prædicatus, novi sideris lumine manifestatus, longè disertiùs testatur, quantus sit in inenarrabilibus perfectionibus suis DEUS. Prædicat Bonitatem & Charitatem ejus omnino infinitam. Si enim finita esset; tam malos, ac sunt homines, amare, & sic amare non potuisset. Extollit Clementiam ejus infinitam. Si enim finita esset; tam graves, & numerosas sui offensas condonare non potuisset; & præter condonationem, Filium in pignus plenæ reconciliationis non donâsset. Celebrat Sapientiam ejus infinitam, qua Justitiam suam cum Misericordia conciliavit; & infinitam vilitatem nostram cum infinita Majestate sua hypostaticè in corpore suo infantili copulavit. Inculcat rigorem Justitiæ ejus, quæ pro humano delicto satisfactionem non admittit, nisi ab Homine-DEO. Sed magis commendat, & superexaltat infinitam Misericordiam ejus, qua pro servorum ex infinita miseria redemptione, Filium

Unigenitum tradidit in mortem. Exhibet Omnipotentiam, qua Virginem, Viri nesciam, fœcundavit; prolem, salvo Virginitatis signaculo, in lucem emisit; stellam novam, DEI nati præconem, in Oriente accendit. Secretissimum Divinæ Trinitatis aperit arcanum, dum cernitur Unigenitus æterni Patris, ante sæcula genitus sine Matre, natus in fine sæculorum, virtute Spiritus Sancti, ex Virgine Matre.

Alia quoq; Attributa & perfectiones divinæ tam mirabili specie elucent in hoc Infante: ut oculos mentis prorsus obruerent, nisi altiore Fidei lumine roborarentur. Nam ut notavit S. Bernardus hom: 2. super Missus: *Ibi agnoscitur longitudo brevis, latitudo angusta, altitudo subdita, profunditas plana. Ibi agnoscitur lux non lucens, Verbum infans, aqua sitiens, panis esuriens. Videas, si attendas; potentiam regi, sapientiam instrui, virtutem sustentari, DEUM deniq; lactentem, sed Angelos reficientem; vagientem, sed miseros consolantem. Videas, si attendas, tristari lætitiam, pavere fiduciam salutem pati, vitam mori, fortitudinem infirmari. Sed quod non minus mirandum est: ipsa ibi cernitur tristitia lætificans, pavor confortans, passio salvans, mors vivificans, infirmitas roborans.* Profectò Magnus est in parvo JESU DEUS!

Præterea in Christo nato apparet clarissimè: quantopere DEUS oderit peccatum; siquidem ad illud tollendum, & objiciendum odio hominum implacabili, Filium suum innumeris gravissimisq; ærumnis & morti subjecit crudelissimæ. Elucet, quantopere amet virtutes, præsertim ignotas, vel non æstimatas & neglectas à mundo, Humilitatem, voluntariam Paupertatem, Virginalem Castitatem; heroicam Obedientiam, assiduam sui Mortificationem & Abnegationem &c: quarum splendidissimam ideam non solùm proposuit in Christo, sed ipsum Christum, ut validissimum proposuit argumentum, ad persuadendum nobis earum amorem, & frequens exercitium. Unde intelligimus, quod Apostolus Hebr. 1: dixit: *Multifariam, multisq; modis olim DEUS loquens patribus in Prophetis: novissimè diebus istis locutus est nobis in Filio.* Nam non tantùm *per Filium* prædicantem locutus est, sed etiam *in Filio*; siquidem secundum totam substantiam suam est *Verbum* Patris, & Divinitate & Humanitate sua, omnibusq; suis perfectionibus docens nos: Quis, Qualis & Quantus est DEUS, quantove dignus cultu, amore, & timore. Quod quia Christus, etiam Infans, facit disertissimè & luculentissimè: non solùm ab Apostolo, & alibi, appellatur Verbum; sed etiam *Sermo*. De ipso enim Patres, & Interpretes passim, intelligunt illud Heb. 4. 12. *Vivus est enim Sermo DEI & efficax.* Accedit; quòd non solùm sit Verbum & Sermo Patris Christus; sed etiam viva, & abso-

& absolutissima ejus *Imago* 2. Cor. 4. 4. idq; tam ut DEUS, quàm ut Homo.

Ex his colligimus: quibus oculis à nobis aspici oporteat sive Imagines Infantis Christi, sive Species Eucharisticas: quibusve auribus accipi SS. Christi, seu JESU, nomen. Grande enim repræsentant objectum; in quo, admirando compendio, totus relucet Infinitus DEUS. O si oculos haberemus utriusq; Francisci, Seraphici & Borgiæ: quàm Magnum & Mirabilem in parvulo Infante suspiceremus DEUM! O si aures haberemus Bernardi & Bernardini: quod nectar, quos thesauros, quas mentis illecebras, quæ cordis gaudia nobis sonaret JESUS! Cæterùm quantis quantis possumus viribus, magnificemus, exaltemus & superexaltemus Magnum in parvulo Filio DEUM. Magnus Dominus: & Laudabilis nimis! Parvus Dominus: & Amabilis nimis!

X. JANUARII.

De DEO ut Patre luminum, Christo ut Luce mundi, DEIp. V. ut Aurora lucis Divinæ.

1. ADora DEUM O. M. & considera eum, *ut Patrem luminum* Jacob: 1. tam eorum, quæ fulgent in cœlis, quàm quæ micant in terris, radiant in mentibus; quibus fides illustratur, spes roboratur, charitas fovetur, beatitudo æterna obtinetur, DEUS ipse possidetur. Quis non palpet etiam in meridie, nisi ab eo illustretur? quis non Ægyptiam patiatur noctem, nisi super nos Lumen vultus ejus signetur? Non Conditor solùm, sed *Pater* luminum dicitur: quia paterna, id est Liberalissimâ, manu ea spargit. Ah ampliùs, ampliùs illumina nos Domine, filios tenebrarum. Non uno opus est lumine, quia multæ contexerunt nos Tenebræ variorum errorum.

2. ADora D. JESUM, & considera eum, ut admirabile *Lumen ad revelationem gentium exortum.* Luc. 2. quo nimirum illis, in profunda nocte idololatriæ constitutis, revelaretur verus DEUS, & mysteria à sæculis abscondita. Ipse est, ante annos 700. per Isaiam cap: 42. promissus in fœdus populi, *& in Lucem gentium ut aperires oculos cæcorum; & educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris.* Exorere; Exorere! etiamnum ô lux mea; & noli tardare, illumina faciem tuam super gentes, quæ te adhuc non noverunt!

3. VEnerare DEIparam V. & considera eam, ut optatissimam & pulcherrimam *divinæ Lucis Auroram.* Longâ complurium sæculorum

nocte luctabatur quodammodò cum homine DEUS, ut olim cum Jacob Gene: 32. & contra Omnipotentem roborabatur homo, pervicaci animo non cedens internis & externis impressionibus illius: at ubi Aurora hæc ascendit usq; ad dignitatem Matris DEI, quasi victus DEUS benedixit homini in benedictionibus suis: & largissima luce miserationum suarum perfudit totum genus nostrum. O Aurora desideratissima, quid tandem fiet de latè iterum offusa nocte hæreseos & Ethnicæ superstitionis? Quando plenum paries diem divinæ lucis, ut certiùs cognoscamus omnes, & fidelius faciamus in omnibus Voluntatem Domini?

Propositum v. g. de sæpiùs petendo cœlesti lumine: præsertim tempore N.

LECTIO PRACTICA.

De duplici Lumine nobis inprimus necessario.

Ut illuminando Mundo majore duplicem condidit Ignem Creator DEUS, Elementarem & Sidereum: ita perfectè illustrando mundo minore, Homine, duplex providit Lumen, Naturale & Supernaturale. Naturale congenitum sibi habet Intellectus noster, ejusq; veluti radios spargit prima quædam principia, aliaq; dictamina, quibus in operando dirigimur. Supernaturale descendit à Patre luminum DEO, & Filio ejus, illuminante nos, opportuno tempore, specialibus illustrationibus & inspirationibus; sine quibus cæcutit intellectus noster etiam in meridie luminis naturalis. Lunæ igitur Mens hominis similior est, quàm soli, Quàmvis enim nativa quadam gaudeat luce, ea tamen tam est tenuis, & debilis; ut illustrandæ nocti hujus vitæ nullatenus sufficiat, sed altiore majoris luminaris egeat lumine, quo perficiatur.

Duplici porro vel maximè indigemus lumine, cœlitus nobis affundendo; quorum altero illustremur ad cognoscendum, ut par est, DEUM; altero illuminemur ad cognoscendos nos ipsos. Defectus alterutrius harum cognitionum fatalis est: quò autem perfectiores fuerint, eò plus participabimus de solida & cœlesti sapientia, minusq; in via offendent pedes nostri. Unde illuminati Doctoris, S. Augustini in soliloq. c. 1. frequens & ardens votum fuit, atq; precatio: *DEUS semper idem, Noverim te, Noverim me.* S. Franciscus Seraphicus apud Rodriq: p. 2. tr. 2 c. 9. perdius & pernox hac occupabatur cogitatione: *Domine, quis sum ego, & quis tu?* S. Catharinæ Senensi (apud Surium in Vita) dixit Christus: *Filia: si noveris, Quis ego sum, & quæ tu sis, beata eris. Ego sum, qui sum: tu es, quæ non es. Hac cognitione freta, facilè conteres omnes laqueos inimici.* Opportunè monuit & S. Bernardus serm: 37. in Cant: *Noveris te, ut DEUM*

timeas;

timeat. Noveris & ipsum, ut æquè (prout æquitas exigit) *ipsum diligas. In altero initiaris ad sapientiam, in altero consummaris. Quia initium sapientiæ timor Domini est: plenitudo legis est Charitas. Tam ergo utra ; ignorantia* (& DEI, & tui) *cavenda tibi; quàm sine timore & amore DEi salus esse non potest.*

Est equidem aliqua DEI notitia cum ipsa mente, seu natura rationali, nobis insita: & cum ipsa rationalis animæ infusione. signatum est super nos lumen vultus divini, ut ignorari non possit; ea tamen notitia admodum imperfecta est, & insufficiens ad excitandum salutarem DEI timorem amoremq;. Quidquid enim nobis conducat ad dignum DEO exhibendum cultum, & obtinendam vitam æternam; non solius naturæ nostræ partus esse debet, sed primariò Gratiæ divinæ, qua intellectus & voluntas eleventur, illuminentur, moveantur ad operationem tam sublimi fini proportionatam. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis*; docet Apostolus 2. Cor. 3. (quod scilicet nobis prosit ad salutem, & DEUM moveat ad præmium) *sed sufficientia nostra ex DEO est.* Ipsius solius est, illuminare tenebras nostras, & dissipare crassissimam noctem, tum originali culpa, tum actualibus peccatis inductam animæ nostræ. Solius est, mentem assiduo creaturarum occursu distractam, cor terrenis curis & negotijs occupatum, per immissam cœlitus lucem sibi vindicare, atq; ad se contemplandum amandumq; convertere.

Latissima est differentia inter Naturalem & Supernaturalem DEI notitiam. Illa se habet ut lumen candelæ: modicum adfert lucis, nihil caloris, vel specialis operationis: hæc ut radius meridiani solis, & illuminans, & calefaciens, & accendens, & mira operans in intimis usq; & frigidissimis visceribus terræ. Illa instructi fuerunt gentiles Philosophi, & etiamnum non carent Acatholici, & degeneres Catholici; sed cum cognovissent DEUM, non sicut DEUM glorificaverunt. Rom 1. hac illustrati persecutor Saulus, publicanus Matthæus, peccatrix Magdalena, patibularius latro, innumeriq; alij, non solùm DEUM agnoverunt JESUM; sed ipsius honori & amori sese per omnem vitam impenderunt, & superimpenderunt. Non ergo lumen naturæ, sed *Dominus illuminatio mea* ad salutem. Ab ipso petendum instanter: ut *illuminet vultum suum super nos*, largoq; nos lumine perfundat; non quo arcana Divinitatis, aut naturæ abdita scrutemur curiosi, sed quo ducamur in religiosiorem ejus cultum, timorem & amorem. Noscamus ipsum ut germani filij amantissimum Patrem, ut obsequentissimi servuli benignissimum Dominum, ut subjectissimæ creaturæ

DEUM nostrum & Omnia.

Cognitio nostri ipsorum quàm nobis necessaria est: tam necessarium est ad ipsam speciale Lumen Divinum. Necessitatem talis cognitionis multis proponunt, non solùm SS. Patres & Ascetæ, sed gentiles etiam Ethici. *Frustra cordis oculum erigit ad videndum DEUM, qui nondum idoneus est ad videndum se ipsum. Præcipuum & principale speculum ad videndum DEUM, est animus rationalis intuens se ipsum:* inquit Hugo lib. 3. de anima. *Scio neminem absq; sui cognitione salvari: de qua nimirum mater salutis Humilitas oritur, & Timor Domini: qui & ipse sicut initium sapientiæ, ita salutis est:* ait S. Bern: serm: 37. in Cant: *Nunquam eris devotus & internus: nisi de alienis silueris, & ad te ipsum specialiter respexeris:* monet Kemp: l. 2. c. 5. S. Franciscus Xaverius dicere solebat (l. 4. Vitæ c. 21.) *eos, qui in virtutibus sincerè proficere cupiunt: in sui cognitione diu multùmq; versari, oportere.* Plato in Philæbo, Ignorantiam sui vocabat genus improbitatis universæ: nosse autem se ipsum, esse absolutè sapere; ab eo omnem vitæ sapientiam justitiamq; pendere. Xenophon affirmabat eum, qui se ipsum ignorat, neq; ad regimen sui, neq; ad familiæ & reip: gubernationem aptum esse. Seneca ep. 83. Hoc nos pessimos facit: quòd nemo vitam suam respicit.

Ad tam necessariam nostri Cognitionem necessarium omnino esse Lumen Divinum, docet meritò S. Gregorius l. 31. Moral. *Cognoscere,* inquit, *se non potest Anima, quæ tota apud se non est* (effusa nimirum ad externa negotia) *nisi etiam divinæ luci appropinquet.* S. Basilius in Hexam. lib. 9. fatetur disertè: *Revera omnium causarum difficillimum est, se ipsum cognoscere. Non enim solùs oculus, ea, quæ extrinsecus habentur, inspiciens, se ipsum non valet intueri: sed etiam mens ipsa, satis acutè aliena delicta contemplans, tardior est erga suorum cognitionem.* Ratio est: tum quia, ut ait Jeremias c. 17. 9. *Pravum est cor hominis & inscrutabile: quis cognoscet illud?* tum quia ad aliena gesta & gerenda accuratè notanda libentiùs convertimur: tum quia ad alia negotia effusi, nec temporis aliquid nec laboris impendere volumus cognitioni propriæ; quàmvis *Omnium disciplinarum pulcherrima & maxima sit, Nosse se ipsum:* teste Clemente Alex: lib. 3. Pædag. tum deniq; quia Amor proprius facile nobis fucum facit, & dicta factaq; propria, inclinationes quoq; & intentiones nostras passim nobis exhibet specie probitatis vestitas. Sed erit: quando larvam nobis & actibus nostris detrahet DEUS. *Arguam te, & statuam contra faciem tuam.* Psal. 49. S. Hieronymus legit: *Proponam te ante oculos tuos.* Antè vilitatem tuam non agnoscebas, & superbijsti: carnis fœditatem non advertebas, & eam fovisti &c.

Statum

Statuam te ante faciem tuam; proponam te ante oculos tuos: ut videas te lenonem turpissimum, hypocritam insignem, monstrum informe, diabolo, una solùm noxâ fœdato, pejus &c.

O Domine, nunc, nunc Noverim Te, noverim Me: ut diligam te, oderim me. Da gratiæ tuæ lumen uberius, sine quo non æstimo Te, extollo me; ut lapsu graviore ruam.

XI. IANVARII.

De DEO, Christo & DEIp. V. ut Luminibus ad revelationem Gentium.

1. ADora DEUM O. M. & considera eum, ut novorum trium Patriarcharum DEUM: Melchioris, Gasparis, & Balthassaris: sicut olim, præsertim Exod: 3. amabat dici, *DEUS Abraham, DEUS Isaac; DEUS Jacob.* Ex omni natione, quæ sub sole est, elegit Triumviros illos Orientales, & vocavit ex gentibus primos in admirabile Lumen suum; ut non solùm per fidem sed oculis Corporis viderent salutare DEI, & fierent Patres multarum gentium, imò omnium ex gentibus credentium. Gaudeo toto corde, mi DEUS, & immortales tibi ago gratias pro tam splendida & efficaci vocatione horum Patrum nostrorum. At tum demum gaudium meum plenum erit, ubi ad te venerit plenitudo gentium, ut magnificeris ab omnibus, & in omnibus solus DEUS.

2. ADora D. JESUM, & considera eum, *ut Regum Magistrum* adhuc in cunis. Iam tunc cumulatè implevit, quòd de ipso dictũ fuerat: Isaiæ: 55. *Ecce testem populis dedi eũm, ducem, & Præceptorem gentibus.* Docebat autem non ore diserto, sed facundo vagitu, lachrymis, vilibus panniculis, membris infantilibus, fœno, præsepi, Amorem DEI erga homines; hominum vanissimum fastum, meram omnis mundanæ gloriæ vanitatem, alia DEI, alia hominum esse judicia &c. Gratulor tibi Sapientissime Infans istos quam illustres, tam dociles discipulos, Regum Triadem. Loquere nobis & nunc ex cathedra præsepis tui verba salutis ut omnis pompa mundi vanescat in nihilum. Doce etiamnum gentes per viros Apostolicos, & da voci eorum Vocem Virtutis.

3. VEnerare DEIparam V. & considera eam, ut *Primam gentium Prædicatricem.* Ipsa enim Sanctis illis Regibus prima prædicavit Evangelium; quod Pastoribus Hebræis, nuper prædicarant Angeli, evangelizantes illis gaudium magnum ob natum Salvatorem. Ipsa illos pleniùs instruxit de Stella oritura ex Jacob, juxta Vaticinium celeberrimum Balaam Num: 24. de non auferendo sceptro ex Juda, donec veniret, qui

mittendus erat &c. Et erat mirabilis svavitas in labijs, virtus in verbis; quæ illuminaret mentes, accenderet corda. Gratias tibi immortales, ô Gratiosissima, pro illa Patriarcharum nostrorum instructione. Instrue etiamnum & expedi idoneos Evangelij Prædicatores, præsertim in terra SS. illorum trium Regum, in quibus sordidissimus regnat Mahomet.

Propositum v. g. de strenua cooperatione ad conversionem Infidelium, præsertim per medium N.

LECTIO PRACTICA

Incumbendum omnibus in conversionem Gentium, aliorumq; Infidelium.

Quod de se ipso scripsit Apostolus Rom. 1. 14. *Græcis ac barbaris, sapientibus & insipientibus debitor sum* (ut scilicet me impendam ipsorum conversioni ad Christum) id ad se quoq; quodammodo pertinere, fidelium quilibet existimet. Falluntur, qui censent; hanc curam & laborem solis incumbere Personis Ecclesiasticis aut Religiosis: sæcularibus autem sufficere, si propriarum animarum saluti prospiciant. Audiant, quæ prædicat Ecclesiasticus c. 17. 12. *Mandavit illis*, DEUS hominibus, *Unicuiq; de proximo suo.* Quid porro mandavit? Inprimis id, quod continet secunda Tabula Decalogi: ne aliquam proximo inferamus injuriam sive circa personam, sive circa res ipsius. Insuper id, quod præceperat Levit: 19. 18. & renovavit Christus Matt: 22. *Diliges proximum tuum sicut Te ipsum.* Formam, normam, & mensuram dilectionis proximi non aliam voluit, quàm Amorem erga nos ipsos.

Quomodo autem diligit proximum, sicut se ipsum: qui de propria duntaxat salute solicitus est, de aliena ne cogitat quidem? Quomodo diligit proximum sicut se ipsum: qui mavult omnia amittere, quàm temporalis vitæ suæ jacturam facere; sinit autem incurius tot centena infidelium millia æternùm perire; nec subvenit, cùm facilè possit? Quomodo implet præceptum, simile præcepto primo & maximo in utraq; lege: imò quomodo implet ipsum primum & maximum præceptum de diligendo DEO ex toto corde, totâ animâ, totis viribus: cui cura nulla est de Animabus sic DEO dilectis; ut Filium suum in pretium redemptionis tradiderit pro ipsis? *Quomodo quis potest dicere*, inquit S. Bonaventura in Pharetra Divini Amoris p. 2. c. 1. *se diligere DEUM, & ejus amorem appetere; quî ejus imaginem videt in sterquilinio jacere, & non curat?* Aut qui pretiosissimum ejus opus, unicè ipsi dilectum, videt jam jam injici in rogum ardentem; & non eripit, cùm facile possit? Suspectus est; imò nullus est Amor DEI, qui non habet individuum socium Amorem proximi.

Hoc argumento S. Julianum Acacius, Eusebium Ammianus extraxerunt ex eremo ad animarum conversionem, teste Theodoreto in Relig. hist: c. 2. & 4. Dic mihi Pater, inquiebat Acacius ad S. Julianum: quanam de causa totum hunc laborem & ærumnas toleras? Cum is respondisset: Amore DEI super omnia mihi dilecti. Si DEUM tantopere diligis: reposuit Acacius: faciendum tibi est, quod Christus demandavit Petro, iterum iterumq; contestanti suum erga eum amorem; *Pasce oves meas*; *Pasce Agnos meos*. Est enim proprium amantium, illa facere, quæ dilecto sunt grata. Periculum autem est præsens: ne oves, Christo tenerrimè amatæ intereant à lupis, ni accurras ad arcendos. Similiter Eusebio magni nominis eremicolæ, profitenti se amore DEI & salutis suæ ærumnosam eam vitam agere, reposuit Ammianus. Næ tu reus eris nimij in te amoris, & exiguæ in DEUM Charitatis: qui non satisfacis Legi, jubenti Proximum amare, ut te ipsum.

Premuntur miseræ barbararum gentium Animæ gravissimo jugo diaboli, versantur in extremo damnationis æternæ periculo: vel hominem non habent, qui Verbum salutis ipsis prædicet, & in viam vitæ deducat; vel tam obtuso sunt intellectu, ut ægerrimè divina capiant; vel moribus ita sunt depravatæ in illa barbarie, ut feris magis, quàm hominibus sint similes. Miseret nos captivorum compluribus annis in obscurissimo carcere squalentium; miseret paralyticorum in grabato suo putrescentium, nec hominem, qui erigat, habentium; miseret cæcorum jam hic, jam ibi impingentium, & mox inter præcipitia periturorum. Incomparabiliter pejor est conditio nationum, vera fide destitutarum: & non miserebimur? Ut olim Act: 16. Vir Macedo solicitavit Apostolum: Transiens in Macedoniam, adjuva nos: ita Pater Joannes de Attienca S. J. inter ardentiùs orandum Vallisoleti, Indum suis humeris insidentem sentire sibi visus est, & audire dicentem: *Veni, & juva me. Veni, & juva me.* Ivit impiger in Peruviam, & juvit strenuè. Si auscultamus: audiemus subinde & nos miserabiles hujusmodi voces; utinam exaudiremus, & juvaremus pro modulo nostro!

Dicent non pauci: Se quidem intima commiseratione tangi; sed modum non videre, tales animas juvandi. Prætendunt enim alij conjugalem statum, aut sexum aut valetudinem debiliorem; alij alligationem ad certa beneficia Ecclesiastica, vel claustra religiosa &c. Respondeo omnibus: Volenti non deerunt modi juvandi. Varij enim sunt & paratiores modi juvandi proximum in spiritualibus, quàm si ju-

vandus esset in temporalibus. Si alia media non adsunt: *Manent tria hec*, inquit S. Bernardus ep. 201. *Verbum, Exemplum, Oratio. Major autem his est Oratio:* quia & voci, & exemplo gratiam impetrat & efficaciã. Quodsi nec verbo prædicationis, nec exemplo probæ conversationis juvare possis animas sive ob locorum distantiam, sive ob alias causas: nunquam deesse potest Orationis copia; semper erumpere licet in ardentia desideria & suspiria ad DEUM pro impetrando ipsis cœlesti lumine, & idoneis prædicatoribus: semper & cuivis licet offerre in hunc finem divina sacrificia, mortificationes varias, labores, aliaq; bona opera.

Insigni exemplo est trias Sanctarum Virginum, Christina dicta Mirabilis, Theresia & Maria Magdalena de Pazzis. *Christina*, ut habet Surius in vita 23. Junij, pro peccatorum conversione acerbissimas suscipiebat pœnas & tormenta. Præter jejunia, corporis castigationes, morborum gravissimorum tolerantiam, volutabat se in spinis, conjiciebat se nunc in nives & glaciem, nunc in ardentes clibanos, nunc in rotas molendinorum &c. suffragante ipsi divinâ Omnipotentia: ut & pateretur acerbissimè, & novis tormentis maneret superstes.

S. Theresia tenerioris adhuc ætatis puella Evangelium Mauris prædicatura, clam domo aufugiens trajecit in Africam; ubi vitam pro animarum salute & Christo profunderet. Sed retracta á suis, impedimentum sexûs alijs pijs operibus & industrijs largè compensavit. Graves pro infidelibus alijsq; peccatoribus suscipiebat corporis cruciatus, ardentes fundebat preces, & domesticis omnibus hoc studium prolixè commendabat. Eos vel maximè æstimabat DEI servos & amabat; imò quodammodo ipsis invidebat: qui in juvandis proximorum animabus occupabantur. Si aliquis talium ægrotaret: peculiariter pro eo supplicabat, ut quantocyus convalesceret. Si quem virum Apostolicum obijsse, audiret: etsi non esset ad planctus fœminarum proprios proclivis, tamen magno sensu doloris multas fundebat lachrymas ob ejus jacturam; quæ audita Fratris sui morte ne unâ lachrymulâ ei parentavit. *Jepesius in ejus vita l. 3. c. 25.*

S. Maria Magdalena de Pazzis in hoc genere vix parem habuit. Peculiari devotione prosequebatur eos Ordines Religiosos, qui ex particulari instituto dediti sunt procurandæ animarum saluti. Cùm audiret legi vitam S. Francisci Xaverij S. J. & literas Japonicas infidelium conversionem recensentes: videbatur deficere præ desiderio manendi in illis regionibus, & cooperandi, etiam cum sangvinis profusione, prædicatoribus Evangelij. Invidebat aviculis, quæ possent volare, quò vellent. Etiam dormi-

eas somniabat & loquebatur de conversione infidelium. Ut autem non sterilis esset hic zelus: offerebat identidem pro ipsis sangvinem Christi, applicabat opera Religionis, preces, Communiones, & multas afflictivas pœnitentias. Hoc ipsum commendabat Monialibus, præsertim suæ curæ commissis. Ideo sæpè manè, dum eas congregaret ad labores, vel alia exercitia Monasterij, dicebat: Offeramus DEO pro conversione animarum omne id, quod hodie faciemus. Vel: Petamus à DEO tot animas, quot passus faciemus per monasterium. Vel: Rogemus, ut tot DEUS animas convertat, quot verba proferemus recitando Divinum Officium. Dum acu laborarent: Petamus tot animas, quoties acu filum traducemus. Dum abluerent vestimenta linea, exhortabatur ad petendas tot animas, quoties manus aquæ immergerent. Nec ulla hora transibat, quin aliquo verbo vel facto ostenderet continuum hoc desiderium salutis animarum, quo planè consumebatur, nec ullo exercitio ab ejus memoria distrahebatur. Ex eodem desiderio petebat à DEO infirmitates, tribulationes, & omnia mala pœnalia, quæ peccatores merebantur: optabat mori millies, totiesq; redire ad vitam & rursus eam profundere pro salute animarum: obtulitq; se DEO etiam ad inferni pœnas sustinendas pro animabus, si id DEO placeret. Exaudiebat illam subinde DEUS aliquatenus, immittendo gravissimas infirmitates & dolores acutissimos per aliquot hebdomadas & menses. Ipsa autem dicebat: hoc pati esse sibi solatio, & vocabat *Pœnam gloriosam*: nihil autem pati pro conversione animarum esse sibi gravius quibusvis tormentis. *Lancicius tom. 2. Opusc. 13. l. 3. n. 341. ex Vita Sanctæ.*

Nonne hic Apostolicus est spiritus? Non poterunt Viri, quod præstiterunt fœmellæ? O quot animarum conversiones pertinebunt potiùs ad hujusmodi devotos, vel devotas; quàm ad prædicatores, catechistas, & Confessores: quemadmodum victoria Israelitarum de Amalecitis, magis pertinebat ad Moysen orantem, quàm exercitum prælìantem. Exod. 17. *Cùm enim negotium animarum convertendarum supernaturale sit: orationibus, lacrymis, gemitibus magis ipsum consequimur, & peragimus, quàm verbis & vocibus*: inquit Rodriquez noster tom. 3. tr. 1. c. 9.

XII. IANVARII.

De Affectu DEI, J. & M. erga Primitias gentium, SS. 3. Reges abeuntes.

I. ADora DEUM O. M. & considera paternam ejus curam circa adoratores Filij sui SS. Magos. Ne enim Hierosolymam reversi,

paterentur aliquid incommodi, ab Herode, Tyranno ambitiosissimo, monstratâ eis in somno aliâ, per quam redirent, viâ, Angelis comitibus profecti sunt in pace, feliciterq; redierunt ad propria. Præstò est DEUS sincerè quærentibus se, eosq; sub tegmine alarum suarum ducit ac reducit. O Domine! & meas vias in salutis tuæ prosperitate dispone, ut inter omnes viæ ac vitæ hujus varietates, tuo semper protegi merear auxilio.

2. ADora D. JESUM & considera quibus affectibus abeuntes hospites suos sit prosecutus; quibus & quam copiosis donaverit gratijs, impleverit solatijs. Lingvæ officium præstabant ocelli, è quibus promicantes radij clare monstrabant; quid ipsis vellet Parvulus Emmanuel, quam propitiùs ipsis semper esset futurus. At illi his illecebris illecti aut potiùs absorpti penitus, ægrè sibi imperabant; ut pedem efferrent. Quis enim cùm invenerit, facile relinquat tantum bonum? Et mihi adhærere tibi bonum est, ô Parvule gratiosissime? & quò ibo à te?

3. VEnerare DEIparam V. & considera; quibus verbis & affectibus illi dixerint Vale, SS Reges; quibus ipsa responderit vicissim valedicentibus. Ægerrimè avulsi à Filio (si tamen avulsi) & ecce in alijs se se deprehendunt vinculis, injectis nimirum à Matre gratiosissima: e quibus cùm expedire se non possent (nec expediebat) cum ipsis dimissi sunt in pace, JESU & MARIÆ cum tota ditione sua æternùm obstricti. O Amor! Amor! en manus, pedes, & cor ipsum; liga, adstringe æternùm JESU & MARIÆ?

Propositum v. g. de Infidelium aliorumq; peccatorum, conversione pro viribus promovenda, præsertim per medium N.

LECTIO PRACTICA.

Quàm gratum sit DEO studium convertendi Infideles aliosq; peccatores.

AFfectus, quo DEUS, JESUS & MARIA primitias gentium, tres Reges Orientales, exceperunt advenientes, & prosecuti sunt abeuntes; non obscurè indicat; quàm grata illi sit conversio gentium; quam chari, qui illam pro viribus promovent. Non desunt & plura alia argumenta, dilucidè testantia: quàm gratum sit superis hoc studium.

De S. Francisco scribit S. Bonaventura in ejus Vita c. 12. quòd cùm dubitaret: an Orationi potiùs, quàm prædicationi sibi vacandum esset; Fratrum sententias exquisierit. Siquidem ego, inquiebat, simplex & imperitus sermone, majorem orandi accepi gratiam, quàm loquendi: videtur etiam in oratione lucrum, & cumulatio gratiarum: in prædicatione distributio donorum cœlitus acceptorum: in oratione etiam purificatio inte-

interiorum affectuum, & unitio ad unum summum & verum bonum cum vigoratione virtutis: in prædicatione spiritualium pulverizatio pedum, distractio multa & relaxatio disciplinæ. Tandem in oratione DEUM alloquimur, & audimus, & quasi vitam Angelicam agentes inter Angelos conversamur: in prædicatione multa oportet uti condescensione ad homines; & humane inter eos vivendo humana cogitare, videre, dicere, & audire. Sed unum videtur præponderare his omnibus ante DEUM: quòd Unigenitus DEI Filius propter animarum salutem de sinu Patris descendit; ut suo mundum informans exemplo, verbum salutis hominibus loqueretur. Et ideo videtur magis DEO placitum, quòd intermissa quiete, foras egrediar ad laborem. Ita ratiocinabatur Franciscus in corona Fratrum suorum. Sed cum auditis sententijs, nihil certi statuere potuisset: confugit ad preces S. Claræ, aliorumq; sui Ordinis, sanctitatis nomine celebrium: à quibus cùm rescivisset; DEI voluntatem esse, ut prædicationi potius se impenderet: continuò succinxit se, & cum tanto fervore iter ingressus est, quasi facta manu DEI super eum, novam induisset virtutem è cœlo.

P. Thomæ Darbisphiro S. J. Anglo, cùm post carceres causâ fidei toleratos, nutaret inter Carthusiam, & Societatem JESU amplectendam, remq; DEO per orationem commendaret: adfuit vir, clausis januis ingressus, dixitq;: Tu quidem Carthusianus si eris, saluti tuæ consules; sed ubi futurus est proximus? Sic ille Societatem inijt, atq; in ea strenuò animarum salutem promovit. *Nadasi in Anno dier. Mem: S. J. 6. April.*

De quodam ex Ord. S. Francisci Religioso (P. Alphonso de Roza) scribit Rodriquez noster in Exerc. Perfect. tom. 3. tr. 1. c. 6. eum post multos annos in conversione Judorum laboriosè actos, in Hispaniam remigrasse; ut magis recollectus se ad mortem, quàm gravior ætas vicinam indicabat, disponeret. Verùm quoties orationi insisteret, videre sibi videbatur Christum JESUM in cruce fixum, & blanda quadam expostulatione dicentem: *Cur me in hac cruce reliquisti; tuamq; jam quietem & consolationem sectaris?* Qua voce & visione permotus, redijt sine mora in Indias ad animarum conversionem & culturam. Optima ad mortem dispositio est constans pro DEO & animabus labor: pretiosa mors talium operariorum. Nostro quoq; P. Didaco Martinez inter orandum Crucifixus JESUS salutem Indorum commendavit: quam Didacus multis magnisq; laboribus egregiè promovit, admirandis solatijs inter colloquia cum SS. Trinitate, DEIpara V. & Angelis, recreari solitus. *Nadasi in Anno*

Dier. Mem: Societatis JESU. 2. April.

In eundem finem, ſcilicet ad lucrandas animas, Benigniſſimus DEUS non ſolùm quavis ætate mundi ſervos ſuos, qui infideles cæterosq; peccatores reducerent ad ipſum: ſed noviſſimè ipſum Unigenitum ſuum expedivit in mundum; quàmvis non neſciret, quàm male accipiendus eſſet ab ipſo. Curam & ſolicitudinem Patris ſui variis parabolis expreſſit Chriſtus: jam parabolâ patrisfamilias Matt. 20. à primo manè uſq; ad veſperû mittentis operarios in vineam ſuam excolendam; jam ſub ſchemate alterius patrisfamilias, Matt: 21. qui poſt trucidatos á vinitoribus ſervos, miſit ad ipſos Filium ſuum: ut eo mediatore in gratiam redirent.

Ipſe Chriſtus tot lingvis, quot vulneribus commendat nobis ſuam erga animas hominum curam & charitatem. *Quid enim aliud ille voluit*, inquit, S. Carolus Borromæus in Actis Eccl. Mediolan. lib. 3. c. 2. *cùm è cælo deſcendit, laborioſiſſimam vitam in terris duxit, acerbiſſimam deniq; mortem ſubijt: quàm hominum animas ab æterno periculo & morte liberare? Hic certè laborum omnium ſuſceptorum ſcopus, hic ſangvinis effuſi, hic crucis & mortis fructus fuit.* Imò jam glorioſus, non ſemel, nec uni teſtatus eſt: ſe paratiſſimum, ad mortem crucis iterum iterumq; pro quavis anima oppetendam, ſi id requireretur. S. Carpo id revelatum fuiſſe ſub illuſtri ſchemate, tradit S. Dionyſius Areop. ep. 8. ad Demophilum. S. Brigittæ id ſæpiùs manifeſtavit Dominus ipſe: ut habetur lib. 1. Revel. c. 1. & 30, & 58. & lib. 7. c. 19. ubi ait: *Si adhuc poſſibile eſſet* (nam ſecundùm præſentia Decreta divina, Chriſtus ſemel pro peccatis noſtris mortuus, jam non moritur. Rom. 6.) *quòd ego toties morerer, quot ſunt animæ in inferno, ita: quòd pro qualibet earum talem mortem iterum ſuſtinerem, qualem tunc pro omnibus ſuſtinuit adhuc corpus meum paratum eſſet ſubire hæc omnia cum libenti voluntate & perfectiſſima charitate.*

Tanto igitur affectu cùm feratur in animas Dominus; fixumq; ſit ſapientiæ æternæ decreto: ut homines per homines perducantur in viam ſalutis & gloriam æternam: non poteſt non eſſe ipſi gratiſſimum, ſi qui in hoc opere ſeſe ipſi offerant miniſtros & adjutores ſtrenuos. *Nullum Omnipotenti DEO tale eſt Sacrificium, quale eſt zelus animarum*: inquit S. Gregorius hom: 12 in Ezech. Et Chryſoſtomus hom: 2. & 40. in Geneſ. *Nihil ita gratum eſt DEO, & ita curæ: ut animarum ſalus.* Hom. 3. in 1. Corinth: *Etſi*, inquit, *immenſas pecunias pauperibus eroges: plus tamen effeceris, ſi unam converteris animam.* Hom: verò 25. ibid. poſt multa concludit: *Tu igitur, mi frater, quàmvis fame conficiaris, quàmvis cinerem comedas,*

quàmvis

quàmvis semper lacrymis madeas; & nihil cuiquam proficias: nihil magnum facis. Si attendimus, audiemus Christum intus nos compellantem illo Genes. 14. *Da mihi Animas; cætera tolle tibi.* Quidquid aliud dederis minus est: *Da mihi Animas.* Si non tua tantùm, sed te dederis; non sufficit: *Da mihi insuper Animas.*

Opportunè ergo monet S. Gregorius hom. 6. in Evang: In quantum vos profecisse pensatis, etiam vobiscum alios trahite: in via Domini socios habere desiderate. Si ad DEUM tenditis: curate, ne ad DEUM soli veniatis. Hinc in Apocal. c. 22. scriptum est. *Qui audit, dicat, Veni:* ut qui jam in corde vocem superni amoris acceperit, foras etiam proximis vocem exhortationis reddat. Et fortasse panem, ut indigenti porrigat, non habet: sed majus est, quod tribuere valeat, qui lingvam habet. Plus enim est verbi pabulo victuram in perpetuum mentem reficere, quàm ventrem morituræ carnis terreno pane satiare. *Ita Gregorius.*

XIII. IANVARII.

DEUS Herodi illudit: Christus furentem ridet: B. V. luget cæcitatem populi sui.

1. ADora DEUM O. M. & considera: quàm dextrè subvertit tectas Herodis machinas? quàm falsè illusit ipsius & aulæ ejus consilijs, quando Magos per aliam viam reduxit in regionem suam, & non permisit, ut proderetur Christus: vel sinistri aliquid paterentur illi. Non est consilium adversùs Dominum. Fremant & meditentur, quidquid volunt, Principes & populi: *Meditati sunt inania. Qui habitat in cælis, irridebit eos.* Psal. 2. Notatâ ergo aliquâ dispositione seu molitione æmulorum contra nos, vel contra sensum nostrum, dicamus cum Regio Vate: *Venite adoremus & procidamus ante DEUM.* Psal. 94: ipse salvabit nos.

2. ADora D. JESUM, & considera eum, ut destinatum in victimam fastui & arrogantiæ Herodis, non patientis consortem regni, etiã DEUM. Tam impotentis animi sumus miseri terrigenæ. Modò stet Monarcha honor noster; cadat æmulus omnis, vel ipse DEUS, & secum in ruinam trahat millia, quantumvis innocentum. At quid profecit tantum nefas? Evasit, risit, triumphavit natus DEUS Tyrannum; vivus in escam vermibus traditus est Herodes. Hoc lucrantur, qui adversùs DEUM & Christos ejus roborantur.

3. VEnerare DEIparam V. & considera teneritudinem cordis ejus Virginei, qua compatiebatur palpabili cæcitati populi sui, eli-

gentis servire potius Tyranno alienigenæ, quam inquirere vindicem libertatis suæ, Ducem de fœmore Jacob; cujus nativitatem optatissimam prædicabant jam pastores & Angeli, Reges & Prophetæ. Quam frequenter & ardenter ingeminabat illud: Isai: 60. *Surge illuminare Hierusalem! quia venit Lumen tuum?* Excita me, ô Illuminatrix cordium! ut totam cordis mei fiduciam reponam in Domino, eum quæram, & inveniam fortem adjutorem contra omnes adversantes mihi sine causa.

Propositum v. g. succurrendi impigrè indigentibus operâ nostrâ spirituali; præsertim N.

LECTIO PRACTICA.

Lugere debemus, quos corrigere non possumus.

Inter præcipuos actus Zeli divinæ gloriæ & animarum, est Dolor & Luctus de cumulatis & aggravatis offensis DEI, peccatorum verò cæcitate, obstinatione & incorrigibilitate. Zelus enim est ardor quidam ferventis charitatis, quo amans incitatur ad tollendum id, quod adversatur amato: si autem tollere non possit, ingemiscit, dolet ac luget. Nam ut docet S. Thomas 1. 2. q. 28. a. 4. c. *Amor amicitiæ quærit bonum amici. Unde quando est intensus, facit hominem moveri contra omne illud, quod repugnat bono amici.* Citatq; glossam ex S. Augustino in c. 2. Joan: dicentem. *Quod bono zelo comeditur, qui quælibet prava, quæ viderit, corrigere satagit: si nequit, tolerat, & gemit.* Hinc Sancti videntes, quæ in mundo fiunt contra DEUM summè sibi dilectum, pro viribus ea prohibere, impedire, & corrigere conantur, peccatorum malitiam & damna exponendo, peccatores ad pœnitentiam vocando, & urgendo &c. Si efficaciter id præstare non possint; intimo scinduntur dolore, gemunt, lugent, & justo zelo viscera depascente tabescunt.

Sic David testatur de se Psal. 118. *Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam. Exitus aquarum deduxerunt oculi mei: quia non custodierunt legem tuam. Tabescere me fecit zelus meus: quia obliti sunt verba tua inimici mei. Vidi prævaricantes & tabescebam: quia eloquia tua non custodierunt.* Apostolus quoq; 2. Cor. 11. 29. scribit: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non uror?* Quo loco glossa habet: *Quis infirmatur in fide, vel in aliqua virtute, & ego non infirmor? id est, non doleo de eo, sicut de me ipso? Quis scandalizatur in aliqua molestia, & ego non uror igne compassionis?* Ibidem c. 2. v. 4. scripserat: *Ex multa tribulatione, & angustia cordis scripsi vobis per multas lacrymas: non ut contristemini: sed ut sciatis*

sciatis, quam charitatem habeam abundantiùs in vobis. Ad Romanos autem cap. 9. scribit: *Veritatem dico in Christo; non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu S. quoniam tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis:* quos nimirum obstinatissimos vidit in errore suo, & surdos ad prædicationem Evangelij.

S. Maria Magdalena de Pazzis sæpe noctu proripiebat se è lecto, & ante Ven: Sacramentum prostrata amare deflebat DEI offensas, petebatq; peccatoribus gratiam pœnitendi. Quod maximè agebat Bacchanaliorum tempore, quo magis cumulari solent offensæ divinæ; augebatq; pœnitentias & preces; aliasq; Moniales ad hæc excitabat. Idem factitabat diebus Quadragesimæ, quando jubentur meretrices audire verbum DEI. Visa autem divinitus peccati turpitudine & malitia, adeò ingentibus cruciabatur doloribus, ut in raptu exclamârit Latinè: *Circumdederunt me dolores mortis; dolores inferni circumdederunt me; comedit me dolor inferni pro multitudine iniquitatum nostrarum.* Satisfecit nimirum aliquatenus DEUS frequentibus & ferventibus ejus desiderijs, quibus se offerebat ad pœnas inferni tolerandas pro animarum salute. *Lancicius tom. 2. Opusc. 13. n.* 341.

Hic dolor est indicium sinceri amoris erga DEUM & proximum. Ideoq; qui nosse vult; quantus sit suus amor, imò an sincerus sit: videat an visis vel auditis gravibus offensis DEI, aut cognito periculo & interitu tot animarum, incremento hæreticorum, Catholicorum detrimentis, tangatur dolore cordis intrinsecus: vel hæc videat, audiatq; tanquam non pertinentia ad se. Veræ enim & sinceræ charitatis est, gaudere cum gaudentibus, dolere cum dolentibus, & lugere interitum pereuntium. Numquid dici possumus, amare proximum sicut nos ipsos: si levissimo tacti malo, fere exanimamur dolore; ad tot millium autem & millionum funestissimam & irreparabilem cladem insensibiles simus? In quam tristes erupit threnos Jeremias, ob temporalem calamitatem populi sui! *Quomodo sedet sola civitas plena populo &c.* Thren. 1. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, & plorabo dies ac noctes interfectos filiæ populi mei?* Jerem. 6. David quanto luctu prosecutus est funera Saulis, Jonathæ, atq; Abner? Animas autem divino sangvine redemptas, in sortem filiorum DEI vocatas, sinimus rapi ad æterna supplicia; nec ingemiscimus, aut frigidè ingemiscimus!

Cæterùm solicitè curandum: ne dolor, si quem ob tam tristem tot animarum sortem concipimus, sterilis sit; sed stimulet nos ad solicitandos Superos

peros, si aliter prodesse non possumus, ut miseris necessariam ferant, quàm possunt, opem. De nullius salute, dum halitus in ipso est, desperandum. *Diabolus & angeli ejus in scripturis S. manifestati sunt nobis, quòd ad ignem æternùm sunt destinati: ipsorum tantùm desperanda est correctio*; inquit, S. Augustinus in Psal. 54.

XIV. IANUARII.

DEUS honoris Filij sui studiosissimus. Christus & B. V. se ab hominibus ignorari patiuntur.

1. ADora DEUM O. M & considera: quàm studiosus fuerit honoris Filij sui recenter nati. Quamvis enim obscuro loco eum nasci voluerit, non tamen omninò ignotum, & neglectum voluit. Unde mox Ministros & Musicos illi præsto esse voluit Angelorum numerosos exercitus, jussitq́; *ut adorent eum omnes Angeli ejus*. Hebr. 1. Insuper turbam pastorum, & Orientalium Regum Triadem, ad ejus Venerationem adduxit, bruta quoq́; ipsa curvare genua docuit. Et nos pigebit nobis dato, nobis nato, nobisq́; magis cognito, cultum summum & infima deferre obsequia? O magnum in parvo corpusculo Numen; te veneror & adoro infinita mei depressione, infinita tua super omnia exaltatione.

2 ADora D. JESUM & considera. quomodo in sinum gaudebat; se adoratum ab Angelis & Regibus alienigenis, negligi a popularibus suis. Sciebat enim, se à Patre missum, ut esset *Novissimus virorum & Abjectio plebis*. Nullum verò epulum erat ei jucundiùs: quàm facere voluntatem Patris sui. Gaudebat proinde: se maturè redigi in ordinem sibi à Patre assignatum. At nos, quàm ægrè, quàm intemperanter ferimus hujusmodi neglectus, ne dicam expressos contemptus? O Censor morum & status nostri æquissime, redige nos in ordinem tibi placitum, nobis salutarem; velimus, nolimus. Numquid servus erit major Domino suo?

3. VEnerare DEIparam V. & considera eam, ut compositissimam ad normam Filij, & exultantem spiritu; non solùm, quando in DEI Matrem electa, sed etiam quando à suis omninò neglecta fuit. Dolebat de Filij, gaudebat intimè de sui neglectu, non ignara, æquissimo divinæ Sapientiæ consilio cautum esse: ut in hac mortali vita Primi novissimi essent. Et quis ordinem hunc turbare præsumat? Non turbabo: sequar fidus te, Filiumq́; tuum, Domina, servorum infimus ac ultimus.

Propositum v. g. de fugienda ostentatione & jactantia, præsertim in N.

LECTIO

LECTIO PRACTICA.

Quomodo retundenda sit vana nostri Ostentatio.

Admiranda res est: quomodo homines, etiam satis parcè á natura dotati, imò vitijs non paucis scatentes, lucem tamen amamus, videri volumus, quavis datâ captâq; occasione, importunè nos ostentamus, digito monstrari ambimus, *& dicier, Hic est*. Corniculæ sumus alienis plumis vestitæ (*Quid habes, quod non accepisti*. 1. Cor. 4.) imò noctuæ & ranunculi deformes: & tamen quasi soles essemus, per quamlibet rimam nos in oculos insinuamus, & spectari volumus. Ecce Filius DEI, Lumen de lumine, natus in lucem mundi universi: Ecce Virgo Mater ejus pulchra ut luna, electa ut sol: Ecce JESUS & MARIA serenissimi supremiq; mundi Principes, ignorari se á suis patiuntur, imò gaudent: nos vivere non possumus, nisi videamur: non solùm in extremos pedum digitos assurgimus; sed turres & montes, licet nani & pigmæi, ridiculè conscendimus. Ad retundendam hanc impudentiam, juvabunt nos potissimùm divinæ Literæ, & verè Magnorum Exempla.

Quatuor porro sunt capita, quæ passim exerimus, & ostentamus, ut inde æstimemur; scilicet Genus non plebeium & Opes, Officia & dignitates, Scientiam & gradus literarios, Virtutes, & si quid boni agimus. Sed contra primum inclamat Isaias c. 40. *Omnis caro*, nobilis & ignobilis, *fœnum, & omnis gloria ejus quasi flos fœni. Hodie flores, cras in clibanum mittitur*. Matt. 6. Contra secundùm vocem extollit Ecclesiastes cap. 1. *Vanitas Vanitatum, & omnia Vanitas*. Contra tertium arguit Jeremias c. 9. *Non glorietur sapiens in sapientia sua*. Et Christus non semel *Væ!* inclamavit amantibus primas cathedras. Contra quartum monet Christus Matt. 6. *Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis: alioqui mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cœlis est*. Omnia capita prædicta, & totam ostentationis nostræ pompam retundit & confundit Asceta Kempensis lib. 1. de Imit: c. 7. *Non glorieris in divitijs, si adsunt nec in amicis, quia potentes sunt: sed in DEO, qui omnia præstat, & se ipsum super omnia dare desiderat. Non te extollas de magnitudine vel pulchritudine corporis, quæ modica infirmitate corrumpitur, & defœdatur. Non placeas tibi ipsi de habilitate & ingenio tuo: ne displiceas DEO, cujus totum est, quidquid naturaliter habueris. Non te reputes alijs meliorem: ne fortè coram DEO deterior habearis, qui scit, quid est in homine. Non superbias de operibus bonis: quia aliter sunt judicia DEI, quàm hominum; cui sæpe displicet, quod hominibus placet.* Saluberrimum & brevissimum dat consilium è Clara valle Asceta alter serm. 3. in Na-

in Natali D. *Ama nesciri.* Sic enim tua in integro conservabis, lividos æmulorum oculos evitabis, alta pace gaudebis, & Magnus eris atq; gloriosus coram Domino. Suadet hunc amorem, & latendi studium, incarnata sapientia, quæ Nativitati suæ elegit tempus Nocturnū. Expostulat hic citatus Bernardus: *Ubi sunt, qui tam impudenter ostentare gestiunt semetipsos? Christus elegit, quod salubrius judicat: vos eligitis, quod reprobat ille. Quis prudentior è duobus? Deniq; tacet Christus; non se extollit non magnificat, non prædicat. Et tu ergo, qui Christum sequeris, Ama nesciri.* Suadent idem illustrissima exempla Sanctorum.

Genus & opes suas quàm studiosè occultârunt Romanorum nobilissimi Alexius & Joannes Calybita! S. Franciscus Borgia, postquam Ducem, Marchionem & Proregem exuit, & pauperis JESU Socium induit: nunquam auditus est aliquam generis & pristini status sui mentionem fecisse, factam ab alijs ferebat ægerrimè, & fugiebat. Eâ solùm occasione se prodi permittebat, quando aliter copiam faciendi ad aram impetrare non poterat. Tunc innuebat socio, adesse tempus, aliquid de pristino Ducis fumo memorandi.

Officia & Dignitates suas quàm alto silentio sepelierunt SS. Paulinus Nolæ Episcopus, & Franciscus Xaverius Jndiarum Apostolus! Ille pro captivo viduæ filio pretium redemptionis factus, olitoris personam & munus apud barbaros per annos complures, non minore patientia quàm humilitate sustinuit. Quando se Amandi Episcopi precibus commendabat, rogabat simul: ne inter orandum nomen *Paulini* pronuntiaret; alioqui eodem, tanquam hominis pessimi, os ita inquinaturus; ut expiatorio carbone opus haberet. Xaverius cum Officio & Potestate Nuncij Apostolici ad Indias missus, constanter personam Nuncij dissimulavit, sorte pauperis Missionarij Societatis JESU contentus. Quam primùm appulit in Indias, diploma Pontificium ad pedes Archiepiscopi Goani deposuit, non aliter, quam arbitrio ipsius usurus potestate concessa; nec alium, quàm Religiosum Clericum acturus.

Scientiam & Gradum literarium egregiè data opportunitate dissimulârunt Theologiæ lumina S. Thomas Aquinas, & Franciscus Suarez S. J. Thomam in Conventu Bononiensi forte deambulantem convenit Frater quidam laicus, cui ille adhuc ignotus erat, exposuitq;: Priorem sibi mandasse; ut in quem primùm incideret, eum assumeret in socium, pro negotijs quibusdam tractandis in civitate: neminem autem ante ipsum sibi occurrisse. Non latuit Virum Sanctum, quæ fuerit mens Prioris: nihilominus nulla facta

facta exceptione, vel explicatione, caput modestè inclinans, secutus est fratrem, non sine molestia; quòd nimis properantem assequi non posset. Stupuit civitas, quòd tantus Doctor laicum sequeretur: nec desuerunt, qui hunc monerent de qualitate socij sui. Erubuit simplex, veniam supplex petijt, facilemq; ab humillimo obtinuit.

Simillimus error similem Ven: P. Francisci Suarez promptitudinem humilitatemq; demonstravit. Vallisoletana è cathedra ad Romanam evocatus, in itinere sub noctem ad quoddam Societatis Domicilium deflexit. Dato cœnandi signo, casu contigit; neminem adesse in culina, qui pro more vasa elueret. A Tyrone, petens quem rei cura erat, admonitus Minister; in quemcunq; ex domesticis primum incideret, eum ut suo nomine ad id munus acciret, præcepit. Res ita tulit: ut Tyroni primus occurreret Suarius; qui audito, quid alter in mandatis haberet, etsi fessus de via, & jurium hospitalitatis non ignarus, promptissimè vili operi manus applicuit. Totam interea domum anxie perlustrabat Minister: ut hospitem ad cœnam deduceret. Cùm ecce tandem fortuitò culinam ingressus, ubi advertit Franciscum culinaria vasa seriò versantem: stupere, erubescere, excusare factum tyronis, & veniam sibi ac ipsi orare. At ille serena fronte, nihil sibi præter professionem suam contigisse, reposuit: suitq; Ministro serio certandum, ut hospitem culinæ avelleret. *Rogaccius in Vita cap.* 8. Nonne hæc utriusq; Doctoris dissimulatio personæ & scientiæ suæ digna cœlesti laurea?

Virtutum suarum, & præclarè gestorum decora, qui studiosè occultârit, neminem opus est producere: cùm id communissimum omnium Sanctorum studium sit, & sine illo Sanctus esset nemo. Quisquis ergo Divinis oraculis, & Sanctorum vestigijs insistere cupis: Fuge putidam ostentationem: *Ama nesciri.*

XV. IANVARII.

DEUS, JESUS natus & V. Mater ejus, commendant nobis voluntariam Paupertatem.

I. ADora DEUM O. M. & considera mirabile ejus consilium, quòd divitias Regni sui non aliter in nos erogare voluerit, quàm per pauperem, imò pauperrimum Filium suum: Ipsam ejus paupertatem voluit esse thesaurum, seu fontem divitiarum nostrarum cœlestium: *Scitis gratiam Domini nostri JESU Christi*, monet Apostolus 2. Corinth. 8. *quoniam propter vos egenus factus est, cùm esset dives; ut illius inopiâ vos divites essetis* atq;

ita abundaremus gratijs & donis divinis in omne opus bonum. Ergo DEI Filius tantò nobis debet esse pretiosior, quantò pro nobis factus est pauperior. Ergo & nostræ nobis divitiæ utiles non sunt ad salutem, nisi in quantum per rectam erogationem abijciuntur.

2. ADora D. JESUM & considera eum, ut voluntariæ paupertatis Authorem & Ideam. Antequam ipse in terris appareret, in nullo pretio. imò passim odio erat paupertas: at eam verbo & exemplo continuò prædicavit in Nativitate, tota vita, & morte sua: Jamq; fide tenemus, quòd sint *Beati pauperes Spiritu, quoniam ipsorum est Regnum cœlorum*; jam divitiæ terrestres pro stercoribus reputantur, pro diaboli laqueo habentur: *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli* 1. Tim. 9. Pauperrime JESU, vilescat, oro, mihi, quidquid mundo pretiosum est: sit pretiosum, quod tibi charum est.

3. VEnerare DEIparam V. & considera eam, ut studiosissimam paupertatis Filij sui Imitatricem: cujus amore & studio, etiam acceptâ à Regum Orientalium liberali manu (Siquidem *apertis thesauris suis obtulerunt munera, aurum, thus & myrrham*) distribuit in pauperes, valdè modico necessitatibus relicto, non ignara voluntatis Filij sui. At nos quàm avidi sumus munerum, quàm tenaces nummi? Fac, Domina, ut cœlo natus, non serviam terræ.

Propositum v. g. de contemnendis bonis temporalibus, præsertim N.

LECTIO PRACTICA.

Quàm pretiosa & appetibilis sit Voluntaria Paupertas,

POstquam proscriptis ex horto voluptatis hominibus, gleba vilior data est in culturam & usum: ita terrenis bonis cor non solùm apposuerunt, sed planè immerserunt; ut nullus sit finis vel modus congerendi aurum, argentum, numerosos greges, amplissima latifundia &c. beatusq; dictus sit populus, cui hæc sunt. Psal. 14. 3. Sed bene advertit Jeremias eos, qui felicitatem suam in terrenis hisce bonis posuerunt, turpiter fuisse deceptos. *Verè*, inquit cap. 16. 19. *mendacium possederunt patres nostri: vanitatem, quæ eis non profuit.* Psalmographus quoq; *Beatum* prædicat *Virum* Psal. 39. 5. *qui non respexit in vanitates, & insanias falsas.* Bona terrena merentur omninò nomen Mendacij: quia promittunt cordi nostro satietatem, quàm præstare non possunt. Merentur nomen Vanitatis: quia nihil habent soliditatis & stabilitatis, transeunt continuò a possessore ad possessorem; & cùm dormierint viri divitiarum, nihil invenient in manibus suis. Merentur etiam nomen Insaniæ

Insaniæ. quia insano amore plerumq; amantur. Negliguntur enim studio illorum bona cœlestia & æterna, violantur mandata divina, graves injuriæ inferuntur proximo, Animæ salus æterna prostituitur: deniq; quæ major esse potest insania, quàm collocare felicitatem suam in ijs bonis, quæ in maxima mala convertenda sunt, quorum inordinatus amor æterna infert supplicia?

Tam gravi deceptione & errore ut homines liberaret bonus DEUS; admonuit per Isaiam Prophetam c. 44. ut in ipsum & doctrinam ejus animos & corda converterent: *Ego Dominus DEUS tuus docens te Utilia.* Mundus, caro, dæmon, amor proprius, docent futilia, falsa, vana, insanaa: Ego Dominus DEUS tuus, docens te *Utilia:* quàmvis carni, & amori proprio, cœco & pravo, adversentur. Docuit semper per prædicatores externos, & internas inspirationes: demum ut etiam proprijs, ijsq; manifestus, doceret exemplis, humanam assumpsit naturam, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. *Ego ipse, qui loquebar, ecce adsum.* Isa. 52. Quod promiserat per eundem Prophetam cap. 30. *Erunt oculi tui videntes præceptorem tuum*, jam implevit in Filio. Ad ipsum ergo dociles convertamur discipuli: & attenti audiamus Doctorem, non solum per vicos & plateas, in templó & cathedra crucis; sed etiam in stabulo, ex præsepi Bethlehemitico docentem. Quæ verò ejus est doctrina?

Quemadmodum docens in monte Matt. 5. exorsus est à commendatione Paupertatis: *Beati pauperes spiritu; quoniam ipsorum est regnum cœlorum:* ita docentis in stabulo prima Lectio est de voluntaria Paupertate. Nam sicut, teste Apostolo 1. Tim. 6. *Omnium malorum radix est cupiditas*: ita bonorum omnium radix & mater est Paupertas spiritus. *Ut rerum facultates instrumenta sunt omnium vitiorum*; cui enim pecuniæ copia suppetit, is in promptu habet modos & vias patrandi omne nefas: *sic harum abnegatio generatrix est, nutrixq; omnium virtutum:* inquit S: Ambrosius apud Rodriq. in Exerc. Perf. tom. 3. tr. 3. c. 1. Hanc ut efficaciùs æstimationi amoriq; nostro commendaret DEI Filius: omnes opulentissimi regni sui reliquit divitias, & Voluntariam Paupertatem quæsivit, elegit, sibiq; ut pretiosissimam margaritam comparavit.

Eleganter Bernardus in Vigil. Nativ. D. serm. 1. notavit: *In sinistra ejus*, regnantis in cœlo, *divitiæ & gloria*; *in dextera longiturnitas vitæ*. Prov. 3. *Horum omnium æterna in cœlo affluentia suppetebat: sed Paupertas non inveniebatur in eis. Porro in terra abundabat, & superabundabat, hæc species; & nesciebat homo pretium ejus. Hanc itaq; DEI Filius concupiscens, descendit; ut*

eam eligat sibi: & nobis quoq; sua æstimatione faciat pretiosam. Quàm pretiosam, & appetibilem præ omnibus mundi bonis, fecerit: declarant inprimis complures Grandes in hoc sæculo, Principes & Reges, qui relictis omnibus, nudi secuti sunt Christum, & paupertatem sanctam pretiosiorem habuerunt omnibus mundi opibus & delicijs: ut Lotharius & Hugo Imperatores Romani, Ramirus rex Aragoniæ, Veremundus rex Castellæ, Bamba rex Hispaniæ, Rachisius rex Longobardorum, Sigisbertus rex Nortumbriæ in Anglia, Carolomanus rex Austrasiæ & Sueviæ, Trebellius rex Bulgariæ, Henricus rex Cypri, & plures alij, quos, præter regij sangvinis numerosos Principes, dat Platus lib. 2. de Bono relig. c. 26.

Quo in pretio apud SS. Patres, Spiritu DEI plenos fuerit semper voluntaria Paupertas. à Christo omnibus mundi thesauris prælata, testantur prolixa ipsi dicta scriptaq; encomia. Unus & alter sit pro multis. S. Chrysostomus: *Si intueri volueris,* inquit, hom: 47. in Matt: *animam hominis aurum amantis: invenies eam, ut vestimentum à decem millibus vermium corrosam; ita eam perforatam undiq; à solicitudinibus, & à peccatis putrefactam, & ærugine plenam. Verùm haud talis est anima voluntarij pauperis: sed potiùs fulget ut aurum, splendet ut gemma, efflorescit ut rosa. Non est illic tinea, neq; fur, neq; sollicitudo negotiorum hujus vitæ; sed sicut Angelus, ita conversatur. At non habet equos, & currum? Quid verò his opus est ei, qui super nube vehi debet & esse cum Christo?* Accedit S. Leo serm: 4. de Quadr. *Semper dives est,* ait, *Christiana Paupertas: nec pavet in isto mundo indigentiâ laborare, cui donatum est, in omnium rerum Domino omnia possidere.*

His, & pluribus pensatis, concludit S. Bernardus serm: de Omnibus SS. Veritas loquitur, quæ nec falli, nec fallere potest; & ipsa est, quæ dicit: quoniam Beati pauperes spiritu. Sic vos insensati filij Adam divitias quæritis, divitias desideratis usq; adhuc: cùm jam beatitudo pauperum divinitus commendata, prædicata mundo, credita sit ab hominibus? Quærat eas paganus, qui sine DEO vivit. Quærat Judæus, qui terrenas promissiones accepit. Sed qua fronte magis, aut qua mente Christianus divitias quærit, postquam Christus, beatos esse pauperes, prædicavit? *Ita Bernardus.* S. Simeon Stylites è cathedra columnæ suæ quotidiè bis prædicans ad affluentem turbam, non aliud concionabatur: quàm *Contemnite terrestria; amate & ambite cœlestia: quæ sola vos beabunt.*

XVI IANVARII.

DEUS, JESUS natus, & DEIpara V, docent nos contemptum Mundi.

1. ADora DEUM O. M. & considera: quomodo multifariam, multisq; modis jam olim per Prophetarum prædicationem, & varios casus tragicos, studuerit homines avocare ab amore mundi; ne scilicet DEO postposito adhærerent rebus creatis: & studio virtutum neglecto, toti inhiarent divitijs, honoribus & voluptatibus. At cùm parum profecisset; novissimè voluit nobis idem argumentum clariùs, disertiùs & efficaciùs proponere per ipsam Infinitam Sapientiam & ineffabilem Veritatem suam incarnatam, cui nec fides negari posset propter summam authoritatem, nec subtrahi amor propter infinitam amabilitatem. O quantis opus est machinis ad avellenda corda nostra à mundo immundo, mundo defectibili, mundo fallaci!

2. ADora D. JESUM & considera, quàm disertè, quàm ferventer & potenter vel in ipsa Infantia sua nobis inculcavit exemplo, quod postea per dilectum discipulum prædicavit verbo: *Nolite diligere mundum.* 1. Joan. 2. Dominus erat universorum, habere poterat, quas vellet, commoditates, delicias, divitias, honores, & quidquid mundus habet in sinu vel visceribus suis pretiosum & jucundum. At ille elegit (nota, *elegit*) carere his omnibus, nasci nudus, pauperrimus, ignotus, contemptus, atq; in hunc modum totam transigere vitam. Quid hoc mysterij? vel DEUS errat, vel nos fallimur? Quod ille spernit, nos magni facimus: quæ ille reijcit, nos captamus. At errare Sapientia Infinita & summa Veritas non potest. Ergo filij hujus mundi mendaces sumus in stateris, non ponderando, seu æstimando res; ut sunt in se, & ut conducunt nobis. Magne æternarum veritatum Magister, parve JESU! da ut capiam hanc lectionem & electionem tuam.

3. VEnerare DEIparam V. & considera ipsam quoq; & graviter quidem, inculcare nobis contemptum mundi, utpotè tam ingrati erga Filium suum jam ætate maturum, tam inhumani erga Infantem, tam iniqui erga domum David, ut pro sceptro vix securim & asciam ei reliquerit; tam fluxum & caducum cum omni pompa sua, ut mera sit vanitas. Et tamen o Domina, quàm dulcis & pretiosus est mihi vel ipse fumus mundi! Illumina, corrige errantem.

Propositum v. g. abstrahendi cor à rebus mundanis, præsertim N.

LECTIO PRACTICA

Quàm inconveniens sit Christiano, nedum Religioso, magni facere & amare Mundum.

MUndus variè accipitur. *Primò* pro Universitate rerum à DEO cre-

atarum in rationabilem usum hominum, & ad gloriam suam. Et sic non odio sed amore dignus est mundus. *Vidit enim DEUS cuncta, quæ fecerat; & erant valde bona.* Gen: 1. Secundò pro Universitate hominum pravorum, non secundùm lumen rectæ rationis & præscriptum divinæ voluntatis viventium, sed secundùm desideria cordis sui. Et sic manifestum est, non licere mundum diligere. *Si quis diligit mundum, non est Charitas Patris in eo!* Joan. 2. & Rom: 2. *Nolite conformari huic sæculo; sed reformamini in novitate sensûs vestri.* Tertiò accipitur mundus pro illecebris sensuum nostrorum, & amoris proprij: juxta illud 1. Joan. 2. *Omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* Quod etiam sic acceptus mundus non possit licitè amari à Christianis, nedum Religiosis: facilè demonstratur. Nam

1. Nulla creatura licite amari potest merè propter se, aut quòd blandiatur sensibus nostris, serviatq; amori nostro proprio: sed semper amari debet cum respectu ad DEUM, & ordinari ultimò ad amorem & gloriam ejus; ut ostensum *sup. Lect.* 6. Eleganter Hugo Victorinus inducit mundum homines compellantem, & admonentem: *Vide homo, dicit mundus; quomodo amavit te, qui propter te fecit me. Servio tibi, quia factus sum propter te; ut servias illi, qui fecit me, & te: me propter te, te propter se. Si sensis beneficium; redde debitum: si accipis benignitatem, redde charitatem.* Magna igitur, & injuriosa DEO, inordinatio est: bona mundi amare; quia nobis aliquam adferunt voluptatem, vel decorem: & non propter obsequium & gloriam DEI.

2. Christiani, potissimùm Religiosi, quo ad mentem & appetitum suum, elevati sunt ad altiorem sortem: quàm ut magni faciant, & suum cor mancipent rebus mundanis, in quibus nihil nisi *vanitas, & afflictio Spiritus,* teste hominum Sapientissimo & opulentissimo. Eccle. 1. & 2. ubi post exaggeratam pompam, opes & delicias suas, subdit: *Omnia, quæ desideraverunt oculi mei, non negavi eis: nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur, & oblectaret se in his, quæ paraveram. Cùmq; me convertissem ad universa opera, quæ fecerant manus meæ, & ad labores, in quibus frustra sudaveram: vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi, & nihil permanere sub sole.* Serò, & magno suo malo, id didicit Salomon: nos pridem & verbo & exemplo suo docuit Sapientia incarnata Christus. Prætérquam enim, quòd per Apostolum suum Coloss. 3. disertè monuerit: *Quæ sursum sunt, quærite: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram:* in ipsa Nativitate sua, & omni vita, luculentissimè ostendit; quàm contemptibilis,

& im

& in judicio suo erroneus sit mundus; quandoquidem, Rex æternæ gloriæ, & infinitæ Majestatis, non in principum aula, sed in stabulo nasci, in præsepio reclinari, in cruce mori voluit.

Stupet hic Bernardus: & *Nonne ipse est*, inquit serm. 3. in Nat: D. qui dicit Psal. 49. *Meus est orbis terræ & plenitudo ejus?* Quid ergo stabulum elegit? Planè ut reprobet gloriam mundi, damnet sæculi vanitatem. Necdum loquitur lingva & quæcunq; de eo sunt, clamant, prædicant, evangelizant. Ipsa quoq; infantilia membra non silent. In omnibus mundi judicium arguitur, subvertitur, confutatur. Quis enim hominum, si daretur optio, nōn magis eligeret robustum corpus, & ætatem intelligibilem, quàm infantilem! O Sapientia, quæ de occultis traheris! O verè incarnata Sapientia! Et tamen fratres ipse est promissus olim per Isaiam Parvulus, sciens reprobare malum, & eligerè bonum. Malum ergo voluptas corporis, bonum verò afflictio est: siquidem & hanc elegit, & illam reprobat puer sapiens, Verbum Infans. *Ita Bernardus.*

DEI-Hominis secuti doctrinam & exemplum, quàm altos assumpserint spiritus homines in contemnendo mundo cum omni pompa & voluptate sua: docent innumeri, quibus Dominus revelavit auriculam, & illuminavit oculum. Instruantur mensæ duæ; *inquit Chrysostomus in ep.* 1. *ad Coloss.* Una pauperibus omnis generis repleatur, divitibus altera. Illic argenti nihil, nec vini multum; sed quod tamen ad hilaritatem sufficiat: hic vasa aurea, & argentea, ministri multi, atq; splendidi, & sumptuosa fercula. In utra estis accubituri? In hac vestrum, opinor, plurimi: Ego ad illam propero. Hæc homines, illa Christum; servos hæc, illa Dominum habet recumbentem. Itaq; sic etiam major illius, quàm hujus voluptas; quantò jucundiùs cum rege, quàm cum famulis accumbere. In illa ego, quiq; mecum jam elegerint, multa cum libertate, animiq; delectatione, & loquemur, & audiemus omnia: vos autem in hac trementes & timidi, simulq; discumbentes subveritiq;, manum quidem protendere audebitis, quasi ad pœdagogium, non ad prandium ingressi; & coram molestis ac sævis dominis trementes, & servorum more, eâdem cum heris mensâ communicantium, abjectè loquemini: nos verò non ita. Duplici ergo nomine vos superamus: libertate scilicet & honore: quibus, quod ad voluptatem attinet, nihil conferendum. Ego quippe malim cum libertate, amicitiâ, gratiâ panem & olera: quám cum servitute & inimicitia vitulum saginatum, & mille fercula. *Hæc Chrysostomus, planè aurea.* Didicit ea à familiari suo, gentium Doctore: qui omnia mundi, quantumvis speciosa & pretiosa

tiosa, arbitratus est ut stercora. *Philip.* 3.

Parem prodidit animum P. Antonius Brignole, relictâ nobilissima & opulentissima domo in rep. Genuensi, Societatem nostram ingressus, ætate jam maturiore. Rogatus enim à Magnatum quopiam: an religiosa sorte contentus viveret? respondit: *Si totum mundum, uni ovo inclusum, haberem in manu; ovum illud unà cum omni mundi gloria terræ allidérem.* Per omnem vitam acri dolore se perurgeri sensit: quòd tam serò mundum calcâsset; qui *totus in maligno positus.* 1. Joan. 2. tribulationem habet veram, jucunditatem falsam; certum dolorem, incertam voluptatem, durum laborem, timidam quietem; rem plenam miseriis, spem beatitudinis inanem.

Meritò igitur monet discipulus JESU dilectus 1. Joan. 2. *Nolite diligere mundum: neq; ea, quæ in mundo sunt.* Et S. Ambrosius lib. de Virg. *Discite in hoc mundo supra mundum esse: etsi corpus geritis, volitet in vobis ales interior;* animus altior mundo.

XVII. JANUARII.

DEUS, JESUS natus, & MARIA docent nos Obedientiam.

1. ADora DEUM O. M. & considera, quanto studio primis illis sæculis curaverit homines, libertate suá insolentes, cicurare, & ferendo jugo legum suarum assvefacere. At illi continuò ruperunt vincula, fugerunt jugum, & obstinati uná voce inclamarunt: Jerem: 2. *Non serviam.* Novissimis igitur temporibus misit Filium suum, qui præiret exemplo, & recalcitrantes traheret post se, factus forma gregis. Insani homines, qui malumus trahere plaustra iniquitatum, quam cervicem submittere suavi Jugo Domini, *cujus mandata gravia non sunt.* 1. Joan. 5.!

2. ADora D. JESUM, & considera eum, ut absolutissimum exemplar omnigenæ Obedientiæ etiam in Infantia sua. Ipsius est promptissima illa contestatio in ipsa Nativitate vel momento Conceptionis facta: *In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam; DEUS meus, volui, & legem tuam in medio cordis mei!* Psal. 39. Nec promptiùs dixit; quàm fecit. Nascitur in ipso exercitio obedientiæ Cæsaris edicto præstitæ, totum se permittit Matri sive ulnis gestandum, sive in præsepi reclinandum, sive ligandum fasciis, sive solvendum, sive in stabulo, sive domo materna educandum. Submittit se duræ legi circumcisionis promptus exulat patriâ, præstò est ad omnem Patris, Matris, & Nutritij nutum, futurus obediens etiam lictoribus & crucifixoribus

sibus suis. At nobis quàm dura cervix? JESU obedientissime, edoma effrenem hanc voluntatem, ut tandem discat parere, cui parendum.

3. VEnerare DEIparam V, & considera, quàm accurata fuerit in observandis legibus divinis, etiam se non obligantibus, ut lege Circumcisionis Filij, & Purificationis suæ? Quàm prompta paruit edicto Cæsaris, licèt partui proxima? Quàm observans omnis nutus Sponsi sui? Humillima, obedientissima Ancilla, non Domini solùm, verùm & servorum Domini, propter Dominum. Quid jam recalcitrem vilis servus, quando sic ad omnem obedientiam componuntur Dominus & Domina mea?

Propositum promptè & fortiter obediendi Superioribus, præsertim in occasione N.

LECTIO PRACTICA.

Quàm necessaria sit omnibus Obedientia voluntaria.

Si oculos animosq; advertimus; videbimus: in omni prudenter collecto & ordinato cœtu reperiri subordinationem quandam, qua unius imperio multi pareant. Sic in exercitu, quantumvis copioso, semper generalis aliquis præest Imperator, quem omnes audiant, & sequantur. In singulis navibus adest præfectus seu navarchus, à cujus nutu pendet iter, & omnis nautica turba: imò in quavis rustica familia datur herus, seu paterfamilias, cujus supercilium observant domestici omnes. Imò & bruta suum habent ducem, apes reginam, grues ductorem &c. Nimirum, *ut in aurea sua Epistola de Obedientia notat S. Patriarcha noster*, hoc modo Providentia illa divina disponit omnia suaviter, infima per media, media per summa, suos ad fines cuncta perducens. Hinc illa in Angelis unius Hierarchiæ ad aliam subordinata series: hinc & cœlestium, & aliorum omniũ; quæ cientur, corporum certis locis & sedibus inter se se apta connexio; quorum conversiones ac motus ab uno movente supremo gradatim omnes usq; ad infimos rite proveniunt. Idem in terris, cùm in omni civitate bonis instituta legibus, tum verò in Hierarchia Ecclesiastica cernitur; cujus omnia membra & functiones ab uno generali Christi Domini nostri Vicario derivantur. Et quò accuratiùs hæc dispositio & collocatio custoditur: eò rectior est gubernatio & melior. Contrà verò hujus ordinis negligentia, quàm gravia incommoda multis hominum Societatibus importentur: nemo non videt. *Ita S. P. N.* Quisquis igitur Summus non est, ad obediendum se se componat, oportet: si ut turbator chori, & harmoniæ á Sapientia divina in mundo institutæ, plecti non vult.

Accedunt graviſſima mandata Divina, quibus ad obediendum non ſolùm Supremæ Majeſtati & præceptis ipſius DEI, ſed etiam humanæ legitimæ Poteſtati, compellimur. Quod Deuter. 11. 26. dixit DEUS per Moyſen ad Filios Iſrael; pertinet ad omnes omnino etiam Chriſtianos. *En, inquit, propono in conſpectu veſtro hodie benedictionem & maledictionem. Benedictionem: ſi obedieritis mandatis DEI veſtri: Maledictionem; ſi non audieritis.* Et 1. Reg. 15. *Numquid vult Dominus holocauſta & victimas: & non potiùs, ut obediatur nomini Domini?* Et rurſus Deuter. 17. 22. *Qui ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino DEO tuo, & decreto Judicis: morietur homo ille.* Quod in Lege Gratiæ exempti non ſimus ab Obedientia præſtanda Dominis, alijsq; legitimis Superioribus: teſtatur Apoſtolus præcipiens Epheſ. 6. 5. *Servi obedite Dominis veſtris carnalibus cum timore & tremore, & in ſimplicitate cordis veſtri, ſicut Chriſto.* Extendit hoc præceptum Rom. 13. 1. *Omnis anima,* ſive ſervilis ſive libera, *Poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Non enim eſt poteſtas, niſi à DEO. Quæ autem ſunt poteſtates, à DEO ordinatæ ſunt. Itaq; qui reſiſtunt poteſtati, DEI ordinationi reſiſtunt: ipſi ſibi damnationem acquirunt.* 1. Pet. 2. 13. concludit Apoſtolorum Princeps: *Subjecti igitur eſtote omni humanæ creaturæ propter DEUM, ſive Regi, quaſi præcellenti; ſive Ducibus, tanquam ab eo miſſis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum.*

Religioſis inſuper neceſſaria eſt Obedientia ex ſpeciali ratione Voti, quo propter DEUM, & regnum cœlorum, quaſi vendiderunt Libertatem ſuam, & Superioribus pro tempore exiſtentibus ſe ſe ſubjecerunt. Unde monet S. Bonaventura Tr. de inter: hom: c. 2. *Te Prælato dediſti propter Dominum, & regnum cælorum: & jam non es Tuus, ſed ejus, cui te vendidiſti. Et ideo nihil tibi licet agere de te ſine ejus voluntate. Ipſe enim eſt Dominus voluntatis tuæ: & contrectatio rei alienæ invito Domino furtum eſt; fur autem cœlo non appropiat.*

Univerſalis autem & fundamentalis ratio neceſſitatis Obedientiæ, etiam hominibus præſtandæ, ab omnibus, ſive Religioſis, ſive ſæcularibus, cujuscunq; ſint ſtatus & conditionis, eſt originalis Inobedientia, qua faciliimum obſervatu mandatum divinum de abſtinendo à ligno vetito, cum Adamo & in Adamo tranſgreſſi ſumus. In pœnam inſolentis hujus transgreſſionis privavit imprimis nos DEUS magna ex parte dominio in cæteras creaturas: deinde ſubjecit homines hominibus, etiam probos improbis: ut jam non naſcamur cum ea libertate, qua naſcituri eramus in ſtatu innocentiæ; ſed ſub jugo alienæ dominationis gemere debeamus:

amus: *Posuisti tribulationes in dorso nostro: imposuisti homines super capita nostra.* Psal. 65.

Cæterùm quamvis ea jam sit conditio nostra, & necessitati universali omnino sit parendum: magna tamen ex parte eam mitigare, & jugum obedientiæ allevare possumus; si nimirum Obedientiam necessariam, fecerimus nobis Voluntariam, seu ultroneam & spontaneam. Ut enim Timor, sic Obedientia, alia est servilis & coacta metu pœnarum; servus enim sciens, & non faciens voluntatem Domini sui, vapulabit multis. Luc. 12. Alia est Filialis & spontanea, ex DEI amore & filiali reverentia nata. Facit enim Amor; ut quodcunq; à quocunq; imperatur (modo manifestè peccatum non sit) & leve & justum videatur: consequenter non solum sine molestia, sed etiam cum voluptate pareamus. Nam ut est apud S. Leonem serm: 4. de Jejunio septimi Mensis: *Non dura ibi necessitate servitus; ubi diligitur, quod jubetur.*

Si ergo volumus: ut Obedientia, sive DEO sive hominibus præstanda, quam evitare non possumus, non sit nobis gravis & acerba, necesse est, ut eam nobis faciamus Voluntariam, seu Ultroneam & Filialem. Fieri autem hoc non difficulter potest: si gravissimis & magnificis, quæ facilè occurrunt Motivis animum ad obediendum libenter, promptè & fortiter, induxerimus, atq; firmaverimus. Talia motiva sunt. 1. Complacentia singularis Divinæ Majestatis in homine obediente, ut in filio morigero. 2. Similitudo & conformitas cum Christo, qui Humiliavit semetipsum factus obediens usq; ad mortem. 3. Conformitas cum DEIpara V. & maximis Sanctorum. 4. Heroica, & victorias parere nata, indoles Actuum obedientiæ. 5. Evitatio multorum errorum. 6. Pax & gaudium interius ac solidum. 7. Præmiorum magnitudo &c. Sic facile fiet: ut, quod per Apostolum sup. præcepit DEUS; *Omnis anima*, non invita, *sublimioribus Potestatibus sit subdita*, ac inprimis DEO: cui honor & gloria super omnia in sæcula.

Quodsi profanis adhuc opus esset motivis: non solùm excitare, sed confundere nos possent heroica Obedientiæ exempla gentilium, quæ dat Lohnerus in sua Biblioth: Tit: *Obedientia.* Agesilaus Lacedæmoniorum Dux à suscepta expeditione revocatus ab Senatu, omissa maxima opportunitate rei bene gerendæ, suamq; gloriam promovendi, sine mora relictis omnibus reversus est. Scipio Africanus cum in Africa bellum gereret, de militibus suis testatus est: Neminem ex illis esse, qui ad nutum suum se non præcipitaret in mare ex turri adjacente, quam ostendebat. Idem

 de quo

de suis affirmavit quidam Dux Assyriorum, teste Fulgoso: atq; ut experimentum daret: militem in excubijs supra turrim præaltam agentem ad se accersivit; qui mox ex turri præcipitem se egit. Non poterimus Christiani, præsertim Religiosi, minora DEI causâ? Urgeri debebimus præceptis & pœnis; dum gentiles parent ad nutum?

XVIII. IANVARII.

DEUS, JESUS natus, & DEIpara V. docent nos Humilitatem.

1. ADora D. DEUM O.M. & considera, eum á mundo condito varia adhibuisse media ad retundendũ fastũ hominũ. Animæ nostræ ad imaginem suam conditæ, & Angelis affini, junxit Corpus luteum, ac velut honesto carcere eam conclusit. Permisit hominem labi in peccatum, adeòq; obnoxium fieri innumeris miserijs, & morti ipsi temporali, & æternæ. Cùm nihilominus adhuc arroganter insolesceret, validissimam ad eum dejiciendum adhibuit machinam. Filium suum, Infinitæ Regem gloriæ, assumptâ formâ servi novissimum virorum & opprobrium hominum fieri, atq; inter pecudes nasci voluit. Adhuc ne inflabitur pulvis & vermis, quando sic humiliatur Dominus majestatis?

2. ADora D. JESUM & considera: eum, ut exaggeratiùs commendaret studium Humilitatis, assumptâ in Incarnatione forma servi, suscepisse in Nativitate sua formam servi vilissimi, velut agasonis cujusdam, in morte verò formam servi nequam, ac velut Principis latronum, quando inter ipsos medius crucifigi passus est. Quò ampliùs se demittere potest DEUS? Et tamen toto pondere Infinitæ humilitatis suæ non deprimit elatam cervicem nostram!

3. VEnerare DEIparam V. & considera, quanta profundissimæ humilitatis dederit argumenta, in Nativitate Christi. Exclusâ è diversorijs non prætendit genus regium, vel imminentem partum divinum. Christo nato servivit, non tam ut Mater, quàm ancilla infima; quæ prodigiosa contigerunt, non sparsit inter homines, sed *conservabat conferens in corde suo* &c. O humilitas Virtus Christi, Virtus MARIÆ! Quando eris mea?

Propositum de majore studio veræ Humilitatis, præsertim in occasione N.

LECTIO PRACTICA.

Quid sit: & An omnibus sit Necessaria Humilitas?

S. Thomas 2. 2. q. 161. a. 1. triplicem observat Humilitatem. *Pœnosam* ab intrinseco: ut cùm quis propter culpam suam humiliatur ab altero

ab altero, dejicitur officio, privatur honore &c. *Stultam*; dum ex ignorantia vel incuria dignitatis suæ se ipsum aliquis dehonestat: *Virtuosam* deniq; quæ est *Virtus refrænans animum, ne immoderatè tendat ad alta, sed contineat se intra modum convenientem sibi secundùm rectam rationem.* S. Bonaventura lib. 2. de profectu, dicit: esse *Voluntariam mentis inclinationem* (quasi ad humum usq;) *ex intuitu propriæ conditionis & fragilitatis.* Consistit propriè in actu Voluntatis, elicito ex prævia cognitione propriæ fragilitatis seu vilitatis. Ignota, vel non satis æstimata fuit veteribus mundi sapientibus præstantissima hæc Virtus. *Ubicunq. inveniuntur* (in veterum Philosophorum libris) *etiam optima præcepta morum, & disciplinæ: humilitas tamen ista non invenitur*; inquit S. Augustinus in Psal. 31. *Via Humilitatis hujus non aliunde manat; à Christo venit.* Unde à S. Bernardo appellatur *Virtus Christi.*

Habet Christiana Humilitas simiam suam, Humilitatem *Fictam*; Nam ut notavit Ecclesiasticus c. 19. *Est, qui se nequiter humiliat: & interiora ejus plena sunt dolo.* Et S. Ambosius lib. 7. ep. 44. *Multi habent humilitatis speciem; sed virtutem non habent. Multi eam foris prætendunt, & intus impugnant.* Videas non paucos vili veste contentos, salutare alios submissiùs, manus & plantas deosculari, inclinato in terram capite incedere, fere ad omne verbum peccatorem miserrimum se profiteri, indignos quos terra ferat. Sed latet sub hoc cinere ignis, vel pulvis pyrius. Tange illos verbulo asperiore: quantum illico exæstuat incendium! Rectè S. Hieronymus ep. 27. *Multi humilitatis umbram: veritatem pauci sectantur. Auferantur omnia figmenta verborum, cessent simulati gestus: verum Humilem Patientia ostendit.* Et S. Laurentius Justin: lib. 6. de Ligno Vitæ: *Quidam honores fugiunt, ut honoribus fruantur: fingunt subesse, ut possint præesse.* Sed negentur illis, quæ se fugere ostentant: quomodo fremunt, & tabescunt! Verum humilem Patientia ostendit. Hæc lapis Lydius hujus auri.

Censent mundani: Humilitatem Christianam, non convenire personis illustribus, præsertim in officijs civilibus aut militaribus constitutis. Putant enim eam opponi Magnanimitati, & emasculare animos. Palpabilis, & summè noxius error! Nam Humilitas non ita dejicit animum hominis: ut nullo modo se erigat, & attollat ad alta & ardua: sed tantum, ne se attollat præter, seu ultra rectam rationem; prout docent Ascetæ passim cum S. Thoma cit: Quando igitur adest honesta ratio audendi, & attentandi magnum aliquid, pro DEI gloria, bono publico, salute proximi &c. datur locus & campus Magnanimitati, salva humilitate, etiã apud humillimos,

Et contrà, dum homo per Magnanimitatem aggreditur & agit magnum aliquid, & glorioſum: ne appetitus gloriæ tendat ultra, quàm par eſt: neceſſaria eſt ejus moderatio per Humilitatem. Alias evadet Magnanimitas in ſuperbiam, impinget in temeritatem, nec procul aberit à ruina, ut ſolet.

Unde patet: etiam ſummis principibus & heroïbus non ſolùm convenire virtutem Veræ Humilitatis; ſed tantò magis neceſſariam eſſe, quantò plùs habent de Magnanimitate & Excellentia; juxta illud Eccle. 3. 20. *Quantò magnus es, humilia te in omnibus.* Imò Chriſtiana Humilitas eſt virtus planè Magnanimorum. Qui enim puſilli & ignavi ſunt animi, non audent alijs cedere in publico, ſe infra alios demittere, aliquam honoris ſui jacturam facere, convicium aliquod diſſimulare: timent enim inde aliquod incommodum, ad quod tolerandum, etiam DEI, & boni publici cauſa, non inveniunt apud ſe tantum vigoris & roboris. Humilis autem ad hæc & majora ſuſtinenda paratiſſimus eſt; & promptus ad militandum DEO, patriæ, & proximo cum fama & infamia. Paria illi ſunt cruces, & currus triumphales. Ad hæc verè humilis ad aliquid audendum, & agendum, non rapitur æſtu animi bilioſi: ſed diffidens viribus ſuis, ſupplex recurrit ad Omnipotentem; à quo facilè obtinet conſilium & auxiliū, adeòq; indutus virtute ex alto, nec adire pericula, nec ſangvinem vitamq; profundere formidat. Teſtes hujus veritatis ſunt innumeri viri Apoſtolici, & glorioſiſſimi Martyres, etiam fragilioris ſexûs, quam humiles, tam fortes & magnanimi.

Certiſſimum igitur eſt: omnibus omninò non ſolùm convenire, ſed neceſſariam eſſe profundam Humilitatem. 1. Ad retundendam & elidendam innatam nobis ſuperbiam, quæ etiam in plebejis animis nidum ponit. 2. Ad impetrandas à DEO gratias neceſſarias pro amplificanda ejus gloria, & proximi propriaq; ſalute aſſerenda. 3. Ad evitandas & ſuperandas hoſtium inviſibilium tentationes & inſidias. De S. Antonio eremita ſcribit S. Athanaſius in ejus vita: quòd cùm vidiſſet in ſpiritu mundum, plenum laqueis, Dominumq; rogaſſet: Quis evadet iſtos? Reſponſum accepit: *Humilis.* 4: Ad obtinendam vitam & gloriam æternam. Quod enim antè cecinit David Pſal. 17. *Tu populum humilem ſalvum facies, & oculos ſuperborum humiliabis:* id aſſeverantiùs enunciavit Chriſtus Mat. 18. *Amē dico vobis: niſi converſi fueritis, & efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Arcta eſt janua regni cœlorum: nec recipit, niſi parvos: ait Bernardus c. 17. de Paſſ. *Etiamſi ad ipſum uſq; cœlum converſationis ſub-*

humilitate

ſimitate pervenias: Humilitate ſubtractâ, ſimul omnia ſubtrahuntur, atq; in ſinem peſſimum relabuntur: inquit Chyſoſt. hom: 15. in Matt.

XIX. IANVARII.

DEUS, JESUS natus, & DEIpara V. docent nos Patientiam.

1. ADora DEUM O. M. & conſidera, quàm providè Filium ſuum in carne paſſibili nobis ordinàrit Magiſtrum Patientiæ Virtutis, ſummè neceſſariæ nobis, damnatis ad labores & millena incommoda hujus vitæ mortalis, quæ nos undiq; infeſtant, & bilem movent. Eſt enim validiſſimum eam virtutem ſuadendi argumentum, DEUS Infans, non minùs, quàm tu, imò magis paſſibilis & ſenſibilis. Propter te hæc, & his pejora, patienter, imò libenter tulit; tu minora, tantillum, non feres propter ipſum? Conviciſti me DEUS: feram!

2. ADora D. JESUM, & conſidera eum, *ut Doctorem Patientiæ mitiſſimum.* Docuerunt illam egregiè Moyſes in deſerto, Joſephus in carcere, Job in ſterquilinio; at nemo tam clarè & efficaciter, ac Chriſtus in ſtabulo. Non concutit tabulas; non maledicit diei vel nocti, quâ natus eſt, ſed potiùs luce cœleſti, & Angelorum choris feſtivam facit; non orat educi quantocyus de eo ergaſtulo, non diras movet contra inhumanos Bethlehemitas, non fulmina vibrat in Herodem, non terram aperit contra Hieroſolymitanos Pontifices & legis Doctores. Suſtinet omnia incommoda, adverſâ, injurias, non patienter ſolùm ſed libenter. O quàm rudis & inſolens ego in Patientiæ gymnaſio diſcipulus!

3. VEnerare DEIparam V. & conſidera eam, ut *Fontem olei limpidiſſimum* (qualis Romæ ſub Nativitatem Chriſti fluxiſſe fertur) turbari neſcium, nullam habentem acrimoniam, nullos volventem lapides. Videt Filium DEUM neglectum, & deſpectum, ſilet: diebus 40. commorandum eſt in ſtabulo, tolerat: Audit Herodem turbari, & omnem Hieroſolymam cum illo; non turbatur ipſa, ſed totum Providentiæ Divinæ committit. At ego fons ſulphuris ardentis, vel mons, qui digito tactus non fumat ſolùm; ſed ignes & ſaxa jacit. Compeſce Domina!

Propoſitum de ſtudio majore Patientiæ, præſertim in occaſione N.

LECTIO PRACTICA.

Quid ſit: & quàm neceſſaria Virtus Patientiæ?

Patientia eſt Virtus, qua æquanimiter ferimus adverſa. Virtus eſt pulcherrima, facitq; hominem mortalem & paſſibilem ſimilem ſpiritubus

tibus Beatis. Egregiè depingit eam Tertullianus lib. de Patient: c. 15. Vultus illi tranquillus & placidus; frons pura, nulla mœroris aut iræ rugositate contracta; supercilia in lætum modum remissa; oculi humilitate non infelicitate dejecti; os taciturnitatis rubore signatum; color qualis securis & innoxijs; motus frequens capitis in diabolum & minax risus; amictus circa pectora candidus, & corpori impressus, ut qui nec inflatur, nec inquietatur. Sedet in throno Spiritus ejus mitissimi, qui non turbine glomeratur, non nubilo livet; sed est teneræ serenitatis, apertus & simplex, quem tertiò vidit Elias. Nam ubi DEUS, ibi & alumna ejus Patientia. Cùm ergo Spiritus DEI descendit: individua Patientia comitatur eum. *Ita Tertullianus* eodem penicilli ductu depingens & Virtutem, & habitum hominis Patientis.

Actus Patientiæ sunt. 1. Sustinere adversa sine querelis, lacrymis immoderatis, ejulatu, alijsq; perturbati animi signis. 2. Agnoscere, se meritò, & infra condignum pati; plura & acerbiora peccatis suis se meruisse. 3. Innocentiam suam opportunè importunè non exaggerare; culpamq; cumulatis excusationibus non minuere. 4. Non invehi in personas malum inferentes, nec vindictam meditari. 5. Solatia inquietè non emendicare: nec se subtrahere à locis & personis molestiam inferentibus. 6. Neq; à DEO petere anxiè eliberationem: sed Providentiæ & voluntati ejus se plenè committere.

Gradus perfectionis Patientiæ sunt. 1. Adversa ferre *patienter*: id est sine gravi perturbatione animi & murmure, nedum maledictis. 2. Ferre *libenter*. 3. Hilariter. 4. Cum gratiarum actione. 5. Cum dilectione adversarij; excusando illum, & benefectoris loco habendo. 6. Desiderare, & petere plures majoresq; adversitates, unà cum gratia divina ad tolerandum. Hoc est, cum Sponsa DEO charissima, Cant: 7. ascendere in Palmam, & apprehendere fructus ejus; quorum cœlestem suavitatem & delicias non nôrunt impatientes, biliosi, & mortificationis negligentes.

Necessaria porro est Patientia, inprimis ad æternæ vitæ & gloriæ consecutionem: prout expressit Apostolus Hebr. 30. *Patientia enim vobis necessaria est: ut voluntatem DEI facientes, reportetis promissionem.* Grandia habemus promissa, vitam æternùm beatam, & Gloriam in cœlis ineffabilem; at nec ista obtinere, nec voluntatem DEI, ut oportet, implere possumus sine Patientia. Nam, ut docet idem Apostolus Rom: 8. 29. *Quos præscivit* DEUS electos suos, eos *& prædestinavit conformes fieri imaginis Filij sui*; ut scilicet conformarentur illi per Patientiam, & sic intrarent in gloriam sibi

sibi paratam. Non enim melior debet esse conditio servorum, quàm domini tanta pro ipsis passi. Unde monet 1. Thessal: 3. *Nemo moveatur in tribulationibus istis: ipsi enim scitis; quòd in hoc positi sumus.* Universali lege divina statutum est: ut patiamur Christiani; imo illi vel maximè patiantur, qui in perfectione Christiana excellere volunt. *Omnes qui piè volunt vivere in Christo, persecutionem patientur* 2. Tim. 3. sed persecutio non tantùm non adferet detrimentum, verùm ingens emolumentum: modo adsit Patientia. *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* inquit Christus Luc. 21. 19. Quasi diceret. Multi hostes & adversarij infestant vos, & animarum vestrarum interitum quærunt: at vos tandem in pacifica & æterna illarum possessione manebitis: si omnia patienter toleraveritis.

Necessaria insuper est Patientia ad hanc temporalem vitam in pace interiore & animi tranquillitate ducendam. In quocunq; enim statu vivamus: semper & ubiq; reperientur, quæ nos infestent, & molestent. *Nemo sibi promittat,* inquit S. August: in Psal. 20. *quod Evangelium non promittit. Non promittunt nobis Scripturæ nostræ in hoc seculo nisi tribulationes, pressuras, angustias, tormenta, dolores, abundantiam tentationum. Ad ista nos præcipuè paremus: ne imparati deficiamus.* Idem inculcat Thomas à Kemp. lib. 2. de Imit: c. 12. Dispone & ordina omnia secundum tuum velle & videre: & non invenies, nisi semper aliquid pati debere, aut sponte, aut invite; & ita crucem semper invenies. Aut enim in corpore dolorem senties, aut in anima spiritus tribulationem sustinebis. Interdum a DEO relinqueris, & interdum a proximo exercitaberis: & quod amplius est, sæpe tibimet ipsi gravis eris: nec tamen aliquo remedio vel solatio liberari, seu alleviari poteris; sed donec DEUS voluerit, oportet ut sustineas. Crux ergo semper parata est, & semper te expectat: non potes effugere, quocunq; cucurreris quia quocunq; jeris, te ipsu tecũ portas (*ô quantam crucem!*) & semper te ipsum invenies. Converte te supra, converte te infra; converte te extra, converte te intra: & in his omnibus invenies crucem. *Ita Kemp.*

In tanta adversorum copia & acerbitate fierine potest, ut pacato & tranquillo simus animo? Nisi multam & magnam habuerimus Patientiam; fieri omnino non potest. Si cætera deessent, vel admodum modica nos infestarent mala: ipsa Impatientia malorum omnium maximum est: nihil enim æquè nos inquietat conturbat, & affligit. *Væ his, qui perdiderunt sustinentiam!* Eccle. 2. 16. *Qui patiens est, multâ gubernatur prudentiâ; qui autem impatiens est, exaltat stultitiam suam.* Prov. 14. A Tertulliano

lib. de Patient. *Impatientia* appellatur *Matrix in omne delictum, diffundens de suo fonte varias criminum venas. Omne peccatum impatientiæ adscribendum.* Ipsi enim jugum divinarum humanarumq; legum intolerabile est; tentationibus mavult cedere, quàm resistere; nec Superiores, nec æquales ferre potest; adversa ipsa sibi multiplicat; cùm desunt, fingit per suspiciones, sinistras interpretationes, judicia temeraria. Mentem conturbat, lingvā exasperat, vultum incendit, manus armat, pedes incitat, totumq; hominem inquietat, discerpit & cruciat.

Patientia verò in medio tempestatum non amittit serenum, in medio naufragiorum sustinet animum ut Marpesia cautes: dum convelluntur quercus Basan & commoventur fundamenta terræ, infractas & immotas servat arundines. *Ipsa est*, inquit S. Cyprianus de bono patient: *quæ iram temperat, quæ lingvam frænat, quæ mentem gubernat, pacem custodit, disciplinam regit, libidinis impetum frangit, tumoris violentiam comprimit, incendium simultatis extingvit; facit humiles in prosperis, in adversis fortes, contra injurias & contumelias mites; docet delinquentibus ignoscere; si ipse delinquas, diu & multum rogare; tentationes expugnat, persecutiones tolerat, passiones & martyria consummat.* Deniq;, *quò plus occurrit adversorum gloriosiùs triumphat*; in medio bellorum pace fruitur opulenta. Exempla Patientiæ insignioris dat illustria gentilis Stoa Socratem, Catonem, Senecam, Diogenem & alios quosdam: Schola Christi præter Apostolos, Martyres atq; Eremicolas aliosq; Religiosos innumeros, è sexu debiliore patientissimarum Viraginum myriadas. Quod potuerunt isti & istæ, non poterimus nos? *Cogita*, inquit Chrysostomus hom: 64. ad pop. *quod sive velis, sive nolis, calamitatem patieris. Quodsi gratè* (seu ultro & cum gratiarum actione) *maximè lucraberis. Si verò ægrè, & impatienter feras: non minorem facies illam; sed majorem reddes, procellam. Ergo quod necessitatis est: hoc nostræ voluntatis esse faciamus.* Sic & meritum apud DEUM, & pacem animi in nobis ipsis habebimus optatissimam.

XX. IANVARII.

DEUS, JESUS natus & DEIpara V. docent nos Amorem erga DEUM.

I. ADora DEUM O. M. & considera; quàm blandè nos solicitet ad amorem sui, dum Filium, quem in splendoribus Sanctorum ante Luciferum ab æterno genuit, nobis tradit Infantulum, per omnia nobis conformatum absq; peccato. Non potuit in thesauris Sapientiæ & Omnipotentiæ suæ luculentiùs invenire sui in nos amoris pignus. Filium nobis

dedit,

dedit, Unigenitum, Infinitis perfectionibus amabilissimum, sibi per omnia æqualem super omnia dilectum. Si non amaret, & vehementissimè amaret, & quodammodo super omnia hominem amaret, numquid tale pignus amoris daret? *Sic DEUS dilexit mundum?* O Amor DEUS! O plenè intelligam tantos tuos erga nos, erga me, amores. O redamare possem, quantùm debeo!

2. ADora D. JESUM & considera eum, ut igneum Divini Amoris Doctorem, e præsepi Bethlehemitico ad te perorantem. Ecce, inquit, *quem & qualem*, me misit ad te, dedit tibi, Pater! Causam quæris? Tota & unica est: Amavit te. Ergo, mi JESU, Pater tuus nescivit me hostem suum, innumerarum offensarum reum? Etiam hostem amavit, & *in hoc vel maximè commendat charitatem suam.* O prodigium Amoris inauditum! Amavit nos DEUS etiam hostes suos; & sic amavit, ut Filium suum, splendore paternæ gloriæ spoliatum, miserit nobis Redemptionem!

3. VEnerare DEIparam V. & considera, ipsam quoq; DEI erga te amorem gravissimè prædicantem. En, inquit, Filium DEI & meum, os de ossibus nostris, carnem de carne nostra. Vide; ut toto se spirat amorem erga te! Ocelli liquescunt amore, labella vagiunt amorem, pectusculum ardet amore, manus & pedes adstricti sunt vinculis Charitatis. Si non dubitas de amore; brutum es, si mutuum negas amorem.

Propositum v. g. de singulari studio perfectæ Charitatis.

LECTIO PRACTICA.

Quàm equum sit: ut nos totos tradamus Amori Divino.

TRadere se totum Amori Divino, dicit duo. 1. In id primò, præcipuè, & assiduò incumbere: ut eliciamus perfectos, frequentes, & excellentes actus amoris Divini, & continuò proficiamus in hoc exercitio. 2. Ita se subjicere Amori Divino: ut ipse obtineat in nobis plenum, supremum, & absolutum regimen, atq; Imperium ita; ut quidquid agimus, non agamus, quasi motu proprio, sed ex imperio & impulsu Divini Amoris; ideoq; verè dicere possimus: Vivo ego, jam non ego; Operor ego, non jam ego; vivit autem & Operatur in me Amor Christi, seu DEI.

Primùm commendat Ecclesiasticus c. 13. *Omni vitâ tuâ dilige DEUM.* Conatum & modum diligendi indicant Debora & Barac in Cantico suo Judic. 5. 31. *Qui diligunt te; sicut sol in ortu splendet, ita rutilent:* procedendo scilicet continuò, & ascendendo in amore, donec perveniant ad me-

ridiem omni ex parte perfectæ & beatæ Charitatis. Debere hanc esse primam præcipuamq; curam nostram, supremo monito docuit moribundus Dux populi DEI Josve cap. 23. *Hoc tantùm diligentissimè præcavete: ut diligatis Dominum DEUM vestrum.* In reliquis, *cavete*, ne deficiatis, ne aliquid faciendum omittatis, ut spectantia ad DEI cultum, & salutem vestram integrè & diligenter faciatis: at quod concernit Amorem DEI, *præcavete:* ante omnia alia cavete; & quidem *diligentissimè* præcavete; & hoc *tantùm* diligentissimè præcavete: ut ante omnia, super omnia, & post omnia *diligatis Dominum DEUM vestrum*; quasi hoc unicum vobis incumberet faciendum.

Insigni exemplo morigerum se præbuit huic monito & primo maximoq; præcepto divino, Adolescens quidam Scholaris (*Specu: Exempl. V. Dilectio*) qui Theologicis lectionibus operam daturus, cùm primum Parisijs scholam esset ingressus, audissetq; prælegi: *Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo &c.* subitò surrexit, & abivit. Mirantibus Magistro & condiscipulis respondit: *Antequam plura audiam, volo hoc opere complere.* Et sine mora Religionem ingressus est: ut huic studio dilectionis liberiùs & primariò vacaret. Vacandum autem illi est tam constanter: ut ei planè immoriamur, si fieri potest, exemplo alterius adolescentis, de quo Kisselius t. 1. c. 60. §. 18. Hic post vitam inter varia flagitia actam, tandem hausta cœlitus luce, resipiscens, tam seria pœnitudine mores suos detestatus est: ut meruerit, per visum ab Angelo Custode ad stabulum Bethlehemiticum duci: ubi juxta Christum ac DEIparam V. Misericordia divina, in candida veste, ramum olivæ portans, adstabat, suadebatq;: ut ad Parvuli JESU pedes se reciperet, eosq; ac divinas manus, quàm posset reverentissimè, & amorosissimè deoscularetur. Paruit promptus: eoq; conatu in actus Contritionis & Charitatis exarsit; ut exanimis conciderit, felicissima victima Amoris. O fiant novissima nostra hujus similia!

Alterum, de conferendo Amori Divino pleno & absoluto imperio in animam nostram, & omnes ejus potentias, numquid meritus non est tam increatus, quam incarnatus amor? Increatus Amor DEUS meretur amari summè propter se ipsum, etiam ab infideli: quia etsi nesciat Christum; scit tamen se ipsum, & se opus DEI esse. *Proinde*, ut argumentatur S. Bernardus tr. de dilig: DEO, *inexcusabilis est omnis infidelis, si non diligit Dominum DEUM suum ex toto corde, tota anima, tota virtute sua. Clamat nempe ei innata & non ignota ratione Justitia: quia ex toto corde diligere debeat, cui se totum debere non ignorat.* Si inexcusabiles sunt infideles: excusationem

tionem prætendent fideles, & fidelium primi atq; primates: si alteri cuipiam amori concesserint partem in corde & anima sua, ejusq; imperio se submiserint? Numquid plenum & summum in totos nos imperium meritus non est Amor Incarnatus, JESUS? Numquid justè monet sponsam suam Cant: 8. *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum*: ut nihil cogites, velis, desideres opereris, nisi amore mei. Amor mei sit tibi Dictator, sit Imperator, à cujus nutu pendeas. Ipse sit tibi & principium & finis, & modus atq; mensura agendi; prout olim fuit devotissimo Raymundo Lullo. Is, *ut habet Lohner in Biblioth: Tit: Charitas*, ita composuit omnes, motus suos ad nutum Amoris divini; ut si ex eo quæsivisses: Cujus es? respondisset, Amoris. Unde venis? Ab amore. Quò pergis? ad Amorem. Quis te huc adduxit? Amor. Unde vivis? Amore. ubi habitas? In Amore &c. Hoc est vivere amore, spirare amorem, regi amore, & regnare in homine Divinum Amorem.

Cùm igitur DEUS, dum amat, non aliud velit, quàm amari: ut notat S. Bern. serm. 83. in Cant: & Solus sit amor, ex omnibus animæ motibus, sensibus, atq; affectibus; in quo potest creatura, etsi non ex æquo, respondere Authori, seu ipsi mutuam vicem reddere; ut ait S. August: in Manuali c. 18. æquissimum est; ut nos totos Divino tradamus Amori, tum in ipsius exercitio præcipuum studium ponendo; tum summum in nos imperium ei tandem deferendo. Vivat, regnet, triumphet in nobis Divinus Amor. *Solus hic dominari vult; siquidem præceptum est*; 22. *Jan: ut feraris in DEUM ex toto corde, ex tota anima. Partem non accipit: gloriosæ indolis est. Totum deposcit: ut totum tibi largiatur:* ait Kemp: lib. 3. c. 5.

XXI. IANVARII.

DEUS, JESUS natus & DEIpara V. docent nos Amorem DEI erga nos.

1. ADora DEUM O. M. & considera: eum per Filij sui Nativitatem exhibere nobis formam amoris nostri erga se: quòd nimirum debeat esse non otiosus vel qualitercunq; activus, sed operator magnorum pro DEI gloria: sicut ipsius DEI erga nos amor in Incarnatione, & Nativitate Christi operatus est maxima & mirabilia pro salute & gloria nostra. Plus fecit, quàm dum mundum condidit, & omnia subjecit nobis. Et nos verbales solùm erimus Amatores ipsius!

2. ADora D. JESUM, & considera, eum à nobis exigere amorem DEI super omnia absolutè; nimirum, ut nihil omnino sit, quod DEO præferamus in amore: id est, nihil sit, cui potiorem locum in

corde & amore nostro concedamus; sed ipsum, & judicij æstimatione, & voluntatis electione atq; adhæsione præferamus, & extollamus super omnia & in omnibus ipsi adhærere cupientes firmissimè, etiam cum jactura quorumvis creatorum bonorum, famæ, honoris &c. Sic enim ipse DEUS amvit nos, ut ex ejus Nativitate manifestum est. Omnium jacturam pati maluit, quàm hominis. Pigebit vicem reddere? Pretiosiora, chariora nobis erunt crepundia mundi, quàm DEUS?

3. VEnerare DEIparam V. & considera, ipsam à nobis requirere Amorem DEI *solum*, ut scilicet nihil amemus nisi DEUM. & propter DEUM. Sic ipsa dilexit: nec alium Mater pulchræ & ordinatissimæ dilectionis, commendare, vel exigere potest, Amorem. Sunt multa è bonis creatis seu temporalibus, sine quorum amore esse non possumus. Amentur sanè, sed non amentur, nisi quatenus utilia sunt ad augendam gloriam DEI. Non sistat Amor noster in ipsarum specie, vel jucunditate, qua nobis blandiuntur. Sic enim DEUS, sic Christus natus dilexit nos: ut omnia egerit, & passus sit propter nos, *Omnia enim propter vos*; inquit Apostolus 2. Cor. 4. *ut gratia abundans per multos in gratiarum actione, abundet in gloriam DEI.* Ergo & nos omnia propter DEUM, propter JESUM, cogitemus, dicamus, faciamus, oportet. Incita, dirige, accende ô Domina.

Propositum de ardenter redamando DEO, & amorem testando per Actus NN.

LECTIO PRACTICA

Qualis debeat esse Amor noster erga DEUM.

AMantem non redamare, crudi cordis est. Ardenter amantem tepidè redamare, ignavi animi est. Summè amantem non redamare super omnia totisq; viribus, ingrati est. DEUM exquisitissimè amantem homines, non redamari ab homine exquisitè, morosi est. Ne has notas incurramus, videndum: quomodo noster erga DEUM amor debeat esse qualificatus.

1. Debet esse *Sincerus & Obediens*, juxta illud Deuter. 10. Et nunc Israel, quid Dominus DEUS tuus petit à te; nisi ut timeas Dominum DEUM tuum, & ambules in vijs ejus, & *Diligas eum, ac servias Domino DEO tuo in toto corde tuo, & in tota anima tua, custodiasq; mandata Domini.* Ne nobis impingatur illud Psal. 77. Dilexerunt eum in ore suo: cor autem eorum non erat rectum cum eo. Professor Charitatis monet 1. Joan. 3. Filioli, non diligamus verbo, aut lingvâ: sed opere & veritate. *Quomodo diligis eum, cujus odisti præceptum?* Aug: in ep: 1. Joan:

2. *Appretiativus DEI super omnia.* Quis sicut Dominus DEUS noster? Domine

Domine quod bonum simile tibi? Sic amavit Paulus ad Philipp. 3. Existimo omnia detrimentum esse, propter eminentem scientiam JESU Christi Domini mei: propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror ut stercora, ut Christum lucri faciam. Appretiatio hæc non solùm debet esse in Intellectu per actum judicij, quò æstimetur DEUS excellentior, & amore honoreq; dignior, quàm quæcunq; res & personæ aliæ: sed etiam in Affectu & Effectu; ut re ipsa malis amittere omnia, quam separari à DEO: nec ullam creaturam tam charam habeas ac DEUM. *Amans DEUM anima sub DEO despicit universa:* ait Kemp. lib. 2. c. 5.

3. *Depretiativus nostri infra omnia:* tum quia tantò gratior est DEO Humilitas nostra, quantò est profundior: tum quia eò viliores apparemus ipsi nobis, quò majorem videmus DEUM. Et solent veri amantes toti esse fixi in dotibus Dilecti; imò subinde eas vident, quæ non sunt in ipso: suarum autem incurij, gaudent vilescere; modò exaltetur Dilectus. *Quisquis cognoscit Te, obliviscitur se:* ait S. Aug: c. 6. soliloq. vel penitus despicit se, & omnia sua.

4. *Impeccabilis:* ut excludat omnem affectum, seu voluntariam inclinationem, ad peccatum etiam levissimum. Quomodo enim potest dici diligere DEUM, qui paratus est, occasione data offendere illum? *Qui diligit DEUM, exorabit pro peccatis, & continebit se ab illis.* Eccl. 34. Et 1. Joan. 3. *Omnis qui in eo manet,* scilicet per Charitatem perfectam; *non peccat.* Etiam cognitio clara peccati horrori & tormento est solidè amanti. S. Maria Magd. de Pazzis visa divinitus peccati turpitudine & malitiá, tantis cruciabatur doloribus: ut in raptu quodam exclamârit: Circumdederunt me dolores mortis; dolores inferni circumdederunt me. *Lancicius. tom 2. Opusc. l. 3. c. 2.*

5. *Amicabilis,* & Gratuitus, qualis nimirum est inter veros amicos, qui non diligunt se propter aliquod commodum, quod alter capiat ex altero, sed gratuitò. Nam ut notat S. August: hom: 38. ex 50. si propterea amicum amas, ut præstet tibi vel pecuniam, vel aliud commodum temporale: non tam illum amas, quàm te ipsum, cui commodum illud desideras. *Amicus gratìs amandus est propter se se, non propter aliud. Si te hortatur amicitiæ regula ut hominem ames gratìs: quàm gratìs amandus est DEUS?* in quo nimirum infinitè plures relucent dotes, ob quas amari summè meretur, præciso omni commodo nostro. *Nihil delectabilius DEO. Nam in homine sunt, quæ offendant: per amicitiam tamen cogis te, ut etiam illa, quæ offendunt in homine toleres propter amicitiam. Si ergo non debes propter*

quædam

quædam tolerande dissolvere amicitiam hominis: quid te cogere poterit, ut dissolvas amicitiam DEI? Voluptas, an adversitas? Mundus, an diabolus? Tyrannus, an malè amatus sodalis?

6. *Fortis & Heroicus:* ut audeat, pro DEO & ejus honore, aggredi ardua, possit agere magna, & velit pati multa. Infinita enim Bonitas, quæ simul est Suprema Majestas, non tam blandè ac tenere, quàm fortiter & generosè amari amat. Pudor! impurus lenonum amor fortior est erga amasias suas, quàm hominum plerorumq; erga DEUM! Galeatius Mantuanus ut habet Niremb. Strom. 6. c. 30. cùm fortè puellam, quàm deperibat, obviam eques haberet in ponte: illa per jocum hortatur; ut, si tantus heros esset, è ponte in amnem amoris sui causâ, desiliret. Ille nihil hæsitans, incitato equo in flumen præcipitem se dedit, & ægrè emersit, exanimato equo. Quid nos pro DEO ausi sumus, vel audebimus?

7. *Assiduus in agendo.* Non minus otiari potest Amor, quàm sol & orbes cœlestes. Ignis est, qui nisi continuò agat, esse desinit. *Tunc verè DEUM diligis: si pro amore illius bona, quæ potes, operaris. Amor DEI nunquam est otiosus. Si verè est Amor, magna operatur. Si verò non operatur, Amor non est. Si verè DEUM diligis: nullâ horâ otiosus eris.* Inquit S. Bern: serm. 51. de modo bene vivendi.

8. *Acutus in contemplando.* Oculus index est cordis. Quò fertur cor, ibi figitur oculus. Si oculus attingere dilectum non possit; tanto studiosius mens rapitur in illum, figitur in illo, pascitur illo: nec quidquam molestius est diligenti, quàm abstrahi a dilecto. S. Antonius eremita, cùm noctem transegisset in contemplatione sub dio, orientem solem accusavit, quòd diversionem sibi faceret. S. Bonaventura serm: de S. Magdal: *Vis scire,* inquit, *si DEUM perfectè diligas: vel aliud plus DEO ames? Attende, si de DEO plus, quàm de alijs rebus cogitas. Quia de illo plus cogitas, quod plus amas.*

9. *Liberalis in largiendo.* Amicorum enim, jure amoris sunt omnia communia. Amor, ut DEUM amantem omnibus exuit, propter hominem ditandum, nudumq; natum, nudum in cruce fixit: ita innumeros DEI amatores bonis omnibus spoliavit (*Ecce nos reliquimus omnia*) DEI causâ; in pauperes non tam largos, quàm prodigos facit. Unde S. Laurentius Justinian: de Ligno vitæ c. 11. inter signa veræ Charitatis erga DEUM ponit secundum: *Cùm quis libenter pro DEO dat.*

10. *Insatiabilis in patiendo.* Non solum occurrentes, vel objectas, sine discrimine amplectitur cruces Amor; sed jam cum Indiarum Apostolo clamat:

clamat: *Ampliùs Domine, ampliùs!* jam cum S. Theresia, *Aut pati aut mori*; jam cum Maria Magd. de *Pazzis*, *Non mori, sed pati*, *Merum fel, nullum mel*. Mera tormenta, nulla solatia.

11. *Ingeniosum in redamando.* Cùm enim amanti DEO non possit parem rependere amorem: defectum ingenio supplere studet, varias excogitando artes & industrias, quibus Dilecto blandiatur, gustum propinet quàm suavissimum, honorem ejus promoveat amplissimè, amore ejus incendat omnia. Si alicubi; inter amantes Ingenio vivitur: & sic quandoq; acuitur ingenium; ut stultescere cum Simeone Sale, Jacopono, Philippo Nerio &c. non pudeat.

12. Deniq; *Perpetuum in ardendo.* Qui frequentia, lunæ instar, patitur detrimenta vel ecclipses Amor, perfectus, & DEO dignus non est. Una vox est perfectè amantium. *O ignis, qui semper ardes, & nunquam extingueris! O Amor, qui semper ferves, & nunquam tepescis; accende me!* Vita illis extingui potest, non Amor.

Prætereo alias perfecti erga DEUM Amoris dotes, & proprietates. Ex propositis facilè colliget quisq; sinceritatem & perfectionem sui erga DEUM O. M. amoris. Sæpe nobis videtur charitas; & sensualitas est. *Verè magnus est, qui magnam charitatem habet*: ait Kemp. l. 1. c. 3. Verè perfectus est, qui perfectam habet Charitatem. Qui modicum habet de Charitate; modicum habere potest de spe salutis: qui nihil; nihil.

XXII IANVARII.

DEUS, JESUS natus, & DEIpara V. docent nos Timorem DEI.

1. ADora DEUM O. M. & considera, quomodo ipsis amoribus suis generat in nobis salutarē quendā timorē sui, non qualis servorum, sed filiorum est. Omnis enim ingenuus timet offendere eum; a quo scit eximiè se amari. Cùm igitur manifestissimum sit, á DEO tam eximiè; tam exquisitè, tam tenerè, tam fortiter nos amatos esse, & amari; quomodo fieri potest, ut non timeamus, aliquam, præsertim gravem, in illum committere offensam? Insanimus certè dum tale aliquid audemus, vel non satis credimus, nos à DEO sic amatos.

2. ADora D. JESUM, & considera, ipsius amabilissimâ Nativitate, & Infantia non solùm nobis imprimi justum timorem, ne ipsum & Patrem ejus graviter offendamus; sed etiam, ne ei displiceamus. Magnus DEUS, & Rex magnus super omnes Deos, ita se composuit ad omnem humanitatem, tam venusta & amabili pusionis tenelli specie app a-

rere dignatus est: ut nihil omnino esset, quod in ipso displicere posset. Et nos non erimus soliciti, ut interiora, exterioraq; nostra, motus animæ corporisq; ita componamus; ut nihil divinis ejus oculis occurrat, quod displiceat, & confidentem, ut ita loquar, conversationem nobiscum impediat? Excute temetipsum, & res atq; actiones tuas.

3. VEnerare DEIparam V. & considera, ipsam tam solicitè egisse circa Filium natum; ut non solùm nihil committeret, vel omitteret; quo ei displiceret; sed ageret omnia, quæ commoda & grata futura, intelligebat. Sincerè namq; ac tenerè amantium est, timere, ne minùs amare videantur. Quam procul nos absumus ab hoc divini amoris apice! Connitendum tamen, ut ascendamus. Adjuva Mater pulchræ dilectionis, & duc per gradus tam Sancti timoris.

Propositum de concipiendo & fovendo salutari DEI Timore.

LECTIO PRACTICA.

Non solùm solatij, sed etiam Timoris ferax est Incarnatio & Nativitas D.

STylus est Curiæ Divinæ Providentiæ, ita ordinare decreta sua, & res gerendas: ut homines in hac ærumnarum valle degentes & reficiantur opportuno solatio, & contineantur in officio salutari timore. Prævidit Isaias Unigenitum DEI descensurum de cœlo ad homines redimendos: & plenus gaudio, *Consolamini, Consolamini,* inquit c. 40. *dicit Dominus DEUS vester.* Acclamant Prophetæ pacis promulgatores Angeli; & interprete mellifluo Bernardo serm. 5. in Nativ. D. hoc ipsum *clamat stabulum, clamat præsepe, clamant lachrymæ, clamant panni* Infantis nati. *Clamat stabulum: curando homini, qui in latrones inciderat, se sic præparari. Clamat præsepe, eidem homini, qui jumentis comparatus fuerat, pabulum ministrari. Clamant lachrymæ, clamant panni: ejusdem ipsius* (hominis) *cruenta jam vulnera ablui & detergi.* Excitat idem miseros omnes serm. 2. in Vigil. Nat: Respirate perditi: venit JESUS quærere, & salvum facere, quod perierat. Morbidi convalescite: venit Christus, qui contritos corde sanat unctione misericordiæ suæ. Exultate, quicunq; estis grandia concupiscentes: descendit ad vos Filius DEI, ut regni sui faciat cohæredes. Et paulò post: Nascitur JESUS; gaudeat, quisquis ille est, quem perpetuæ damnationis reum adjudicabit conscientia peccatorum. Excedit quippe pietas JESU omnem criminum quantitatem, seu numerositatem. Ita meritò Bernardus.

Sed inter hæc tripudia triste ingemit Habacuc Propheta c. 3. v. 2. Ubi enim Vulgata nostra S. Bibliorum editio legit: *Domine audivi auditionem tuam,*

meam, & timui. Domine opus tuum; in medio annorum vivifica illud. In medio annorum notum facies: ibi legunt Septuaginta, Symmachus & Aquila: *Consideravi opera tua, & expavi. In medio duorum animalium cognosceris.* Quam versionem accipiunt Origenes, Ambrosius, Hieron: August: Nazianz. &c. & ipsa Ecclesia in Officio Nativitatis & Circumcisionis D. de Christo nascituro, & cognoscendo à pastoribus in stabulo Bethlehemitico inter duo animalia, bovem & asinum. Expavit ergo Propheta, tum dignatione tanta Majestatis infinitæ, tum hominum periculo; si charitate tanta Salvatoris non uterentur ad salutem; si pergerent inhumani & injurij esse in ipsum; si quem cognovissent DEUM, non glorificarent ut DEUM.

Cognoscimus & nos, veneramurq; positum inter duo animalia Salvatorem & DEUM nostrum. Verùm ut hæc cognitio nobis sit salutaris: necesse est, ut quemadmodum advertit & declarat cit: Bernardus serm. 3. salutarem in nobis operetur DEI Timorem, & triplicem ejus effectum. Primus est Pœnitudo & Dolor: ut risum in luctum, cantum in planctum convertat & mœrorem; & incipiant tibi displicere, quæ vehementer antè placuerant; & illa specialiter horreas, quæ specialiter appetebas, cum offensa tam liberalis in te Domini; ut Filium suum Unigenitum dederit pro te. Secundus est Correctio: ut jam non exhibeas membra tua arma iniquitatis peccato, sed coerceas gulam, jugules luxuriam, superbiam deprimas, & facias corpus servire castitati, quod iniquitati antea servierat. Pœnitudo enim sine correctione non proderit. Tertius Timoris sancti effectus esse debet Solicitudo: ut jam solicitus incipias ambulare cum DEO tuo; & ex omni parte scruteris, ne vel in levissima re tremendæ illius Majestatis offendatur aspectus. Nisi enim hæc accedat solicitudo: nec pœnitudo, nec correctio diu durabunt, Timor ipse facile evanescet, nec verebimur peccare in DEUM nostrum tanto graviore offensâ, quantò majorem meretur amorem DEUS-Homo, Numen Infans amore nostri.

Tradidit nobis Pater æternus per Incarnationem & Nativitatem Filium suum, eumq; tanquam parvulum, quodammodo fidei & curæ nostræ commisit: *Parvulus datus est nobis, & Filius natus est nobis.* Tradidit insuper illum in pretium redemptionis nostræ, & pignus salutis æternæ. Cæterum eripiendo nobis huic Pignori & Pretio plurimi infestissimiq; insidiantur latrones. Multi & potentes invigilant dies noctesq; hostes, qui Divinum hunc Parvulum nobis auferant. Verendum continuò; ne ipsum amittamus, eveniatq; nobis, quod Viduæ, à Joanne, Ungarorum Pala-

tino, relictæ cum parvulo filio Stephano. Hæc Budæ metropoli inclusa, ut obsidionem Ferdinandi regis solveret, Turcarum opem imploravit. Adfuit sine mora Solimanus, solvitq; obsidionem: ac insuper missis Stephano pretiosis muneribus, Matri indicari curavit: velle se parvulum in castris suis videre & amplecti. Illa sive fraudem non verita, sive majus malum metuens, tradidit filium. At Solimanus, se eum redditurum negavit, nisi tradita sibi urbe & arce. Sic infelix mater serò advertit, amissionē Filij esse amissionē Urbis & Regni. *Sleidan. lib.* 14. O qualis, & quanti regni jactura sequitur amissionem JESU! Quis illum in castro animæ nostræ secure custodiet? Timor assiduus: quem Petrus Cellensis appellat fidum Custodem super innumerabiles gazas. S. Thomas Villan: Conc. 4. de Assumpt: super illa verba: *Intravit JESUS in quoddam castellum.* Habeat inquit, hoc animæ castrum rigidum Janitorem, Timorem Domini, qui omnes violentos appetitus irrumpentes jugulet & disperdat. *Qui Timorem DEI postponit; diu stare in bono non valebit, sed diaboli laqueos citiùs incurret;* ait Kemp: lib. 1. c. 24.

XXIII. IANVARII.

DEUS, JESUS natus, & DEIpara V. docent nos Amorem nostri.

1. ADora DEUM O. M. & considera; quomodo visâ insigni hominum pravitate in amandis se ipsis, Filium suum misit in mundum, ut omnis prudentis sanctiq; amoris esset & objectum & regula, ordinaretq; in nobis charitatem. Ordo autem iste in eo consistit 1. ut non ametur id, quod deterius est, magis, quàm, quod melius; Corpus magis quam anima. 2. Pars utraq; & ipsum totum non ita ametur, ut reddatur obnoxium supplicijs æternis. 3. homo non amet se, propter se, sed propter finem suum ultimum, qui est DEUS ipse. Necessarius omnino ordo; sed pravitati meæ omnino impossibilis, nisi tu, DEUS meus, ordines in me charitatem.

2. ADora D. JESUM & considera, quomodo etiam in tenerrima Infantia amaverit Corpus suum, animam suam, & seipsum. Corpusculum, licet innocentissimum, mille objecit incommoditatibus, non solùm ultro occurrentibus, sed de industria accersitis: Animam sanctissimā, & jam clara DEI visione beatam, continuis implevit amaritudinibus: Totum se voluit esse Centrum omnium adversitatum & injuriarum: Et tamen verissimè & prudentissimè amavit tam Corpus, quàm Animam suam, & seipsum. Vidit enim eum se tractandi modum esse medium efficacis-

simum

ſſimum ad comparandam Patri ſuo æterno & ſibi gloriam ineffabilem. Felix amor: cujus fructus eſt gloria æterna! Infelix! cujus merces eſt Infernus!

3 VEnerare DEIparam V. & conſidera eam, ut ſponſam illam myſticam, quæ Cant. 2. dicit de ſe: *Introduxit me* (Sponſus) *in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem* Quam dulcis! quantis affluens delicijs, cella vinaria eſt ſtabulum Bethlehemiticum! Ordinavit ibi Chriſtus, & Sponſus & Filius, in V. Matre ſua charitatem, etiam aliàs non inordinatam, ut contra morem aliarum matrum optaret ſibi & Filio incommoda, contemptus & cruces potiùs, quàm delicias & honores temporales: probè gnara, eam eſſe voluntatem Patris. O Domina, durus eſt mihi hic ſermo, ordina, reforma amores meos.

Propoſitum v. g. de coërcendo & ordinando Amore noſtri, præſertim in occaſione N.

LECTIO PRACTICA

Quàm rigidè coërcendus & caſtigandus ſit Amor noſtrì.

NOn omnis Amor noſtri ipſorum vitioſus eſt. Cùm enim jubeamur, amare Proximum, ſicut nos ipſos: ſi omnis amor noſtri vitioſus eſſet, etiam amor proximi conformatus illi, vitio utiq; non careret. Ipſius naturæ Maxima eſt: Ordinatam Charitatem á ſe incipere. Ille ſolùm amor noſtri ipſorum malignus & infamis eſt, qui *Proprius* dicitur ab Aſcetis: id eſt,qui tantùm propria ſeu privata noſtra commoda ſpectat, nec reſpicit bonum commune, & honorem vel gloriam divinam. Quia verò proniſſimum eſt, & communiſſimum: ut amor noſtri degèneret in amorem Proprium (de quo videri poteſt *Lectio fer. 3. poſt Dom: 4. Advent.*) niſi Principijs æternis accomodetur, & Oraculis doctrinæ Evangelicæ circumſcribatur : attentiſſimos nos eſſe oportet in eo caſtigando, & coërcendo.

Expedit, in hoc negotio ſeveritate potiùs peccare, quàm lenitate. *Qui enim delicatè à pueritia nutrit ſervum ſuum: poſtea ſentiet contumacem.* Prov. 29. 21. Servus noſter, prout ſumus Servi DEI, & cultores ipſius, eſt amor noſtri, cui ea ſolùm concedenda ſunt, quæ requirit neceſſitas ad præſtanda Domino debita obſequia, & ſalutem noſtram promovendam. Quodſi nimis diſſimulanter cum eo egerimus, & tenerum adhuc delicatè foverimus: aſſumet cornua, Rationi & Amori Divino ſervire contemnet, & nobis ipſis imperitabit, non minore detrimento, quàm dedecore. Etiamſi rigor noſter in eo coërcendo & perſequendo aſcenderit uſq; ad

Odium ita; ut nos ipsos odisse videamur: nihil agemus contra jura divina & rectæ rationis; quin potiùs illis religiosè obsequemur. Si enim tales essemus, quales habuit status innocentiæ, mitiùs cum amore nostrâ procedere possemus: at nunc ubi susq; deq; omnia versa sunt, & appetitus Rationi frænum extorsit, severiore indigemus, disciplina. Utilius est nobis moderatum odium nostri, quam immoderatus amor.

Qui amat animam suam, perdet eam: & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam: inquit Sapientia & Charitas incarnata. Joan: 12. Quod oraculum paradoxi speciem habet apud S. Augustinum tr. 51. in Joan. *Magna sanè ait, & mira sententia: quemadmodum sit hominis amor in vitam suam, ut pereat: odium, ne pereat! Si malè amaveris, tunc odisti: si bene oderis, tunc amasti.* Amor enim, qui est causa interitus nostri æterni, quomodo non potius odium est, quam amor nostri? Odium autem, quod nobis est causa salutis æternæ, quomodo non potius est amor, quám odium? *Noli amare, concludit August: ne perdas: noli amare in hac vita, ne perdas in æterna vita. Felices qui oderunt custodiendo, ne pereant amando.*

Stupendum sanè est, quâm non solùm suspectus, sed planè invisus, imò execrabilis fuerit Sanctis, & sapientibus amor sui inordinatus. De S. Francisco Salesio habetur lib. 4. Vitæ c. 5. Eum adeò omnem commodi & incommodi sui rationem neglexisse, ut dicere solitus sit: se, si vel levem aliquam amoris proprij festucam in corde suo residuam nosset; illico eam ferro flammaq; persecuturum. B. Angela de Fulginio plus ab amore proprio, quam ab ipso dæmone sibi metuebat; ut qui, nisi per eum, nihil in nos potestatis habeat; per eum verò, quasi per vulpeculam, semper è grege nostrorum affectuum pecus aliquod abripit. Unde dicere solebat: Nihil est in hoc mundo, nec homo, nec diabolus, nec res ulla aliqua, quam tantopere habeam suspectam, quantùm hunc amorem. Mentem namq; penetrabilior omni gladio ancipiti, transit, ac cor totum pervadit: & nisi coërceatur, animam millenis calamitatibus invadit. *In vita cap. 64.* S. P. N. Jgnatius sciscitanti cuipiam, quæ optima esset via, in studio virtutum proficiendi? respondit: Hoc unusquisq; persuasum habeat: tantùm se in studijs spiritualibus promoturum esse, quantum ab amore sui ipsius, & commodi proprij affectione sese abstraxerit. *Bartol. lib.* 4. Vitæ. §. 27. In Constitutionibus suis p. 8. cap. 1. §. 8. eundem gravissimum unionis & universalis boni hostem appellat.

Divini nomen Plato frustra obtinuisset, si quam perniciosus plerumq; sit his

sit hic amor ignorasset, aut dissimulasset. Re vera usuvenit, inquit lib. 5. de legib. ut omnium malorum, quibus hominum vita involvitur, nimius sui amor causa existat. Is enim, qui amat (inordinatè) circa id, quod amat, sanè obcæcatur: ac proinde de rebus bonis, justis, honestis malè judicat. Nec decet: eum, qui vir magnus sit evasurus, in suis rebus acquiescere; sed ea potiùs complecti, quæ vel apud se ipsum, vel apud alium quempiam justè fieri videantur. Itaq; unusquisq; à cœco illo sui amore abhorrere debet: & se ipso meliores sequi. *Ita divinè divinus.* Nimirum quid honestum, æquum & justum; non quid sibi commodum & honorificum; spectandum à viro prudente, nedum DEI Ministro, & Religioso. Quod cultus DEI frigidè, vel nullatenus, promoveatur; animarum cura & animæ propriæ salus atq; perfectio negligatur &c. causa plerumq; est amor nostri; dum ex ejus imperio, *Omnes quæ sua sunt, quærunt, non quæ sunt JESU Christi.* Philip: 2. 21. Amemus sanè nos, sed non nobis; sed DEO, sed Ecclesiæ & proximo.

XXIV. IANVARII.

DEUS, JESUS & MARIA docent nos Amorem Puritatis.

1. ADora DEUM O. M. & considera eum, ut zelosissimum Puritatis Amatorem. In lege veteri Levit: 12. DEVS mulieres post partum masculi 40. post partum fœmellæ diebus 80. tanquam immundas, arcebat ab Ingressu Sanctuarij seu templi sui, ac insuper prohibebat: *Omne Sanctum non tanget, donec impleantur dies purificationis suæ.* Quod si mulierem obnoxiam sordibus sangvinis, naturaliter partum comitantibus & sequentibus, sic arcet DEUS ab ingressu templi sui: quantò minùs patietur ingredi inquinatum aliquid in regnum cœlorum? quantò magis exosam habet moralem conscientiarum immunditiem, præsertim in accedentibus ad Altare suum?

2. ADora D. JESUM, & considera eum Infantem, *ut Candorem lucis æternæ*, omni ex parte immaculatissimum. Sap: 7. Divinitas illius nullius capax est nævi, Humanitas nec ex Patre, nec ex Matre noxæ aliquid contrahere potuit: Anima Angelis est purior, Corpus, dignum tali animâ habitaculum, nec peccati fomes, nec puerperij labes aliqua inquinavit. Quantus quantus est, totus pulcher, totus candor est lucis æternæ JESUS noster. Nos colluvies, cloacæ sordium. Ah amem te, oderim me, JESU amabilissime!

3. Vene-

3 VEnerare DEIparam V. & considera eam, ut Matrem omni ex parte purissimam, quam in conceptu nec fœda voluptas, nec prolis inquinavit originalis Iniquitas. In partu, ut nullus afflixit dolor sic nulla puerperis communis, corrupti sangvinis fœdavit eluvies. Nihil passa est verecundia, nullatenus læsa virginitas, semper Intemerata enituit Maternitas. Gaudeo gratulor tibi tam raram puritatem, o purissima Matrum. At horreo me ipsum, cujus vel ipsæ justitiæ sunt sicut pannus menstruatæ. Numquid ad te, Anima mea, pertinet illud Jerem. 2. *Si laveris te nitro, & multiplicaveris tibi herbam borith; maculata es in iniquitate tua coram me, dicit Dominus?*

Propositum v. g. de majore studio Puritatis Animæ.

LECTIO PRACTICA.

Quàm studiosè procuranda & conservanda sit Animæ Puritas.

QUàm nobilis, speciosa, & DEO chara sit Anima hominis: ex ipsa ejus substantia & naturalibus dotibus elucet. Nihil habet terrenæ fœcis, vel alterius etiam cœlestis, materiæ. Spiritus est purissimus, nobilissimus, ingeniosissimus, indivisibilis, immortalis, solis Angelis inferior; Imago & similitudo DEI elegantissima, cui totus visibilis mundus comparari non potest, quæ ita Conditoris sui mentem & cor occupavit; ut eam gratiosissimè assumpserit in Filiam, regni cœlestis hæredem, & æternæ gloriæ suæ consortem. Quid de supernaturali animæ pulchritudine tenendum, quam habet à gratia sanctificante, & habitibus actibusq; Supernaturalibus Virtutum?

S. Bernardinus serm. 51. de dign: Anim: a. 1. c. 3. Si formarentur, *inquit*, tot Empyrei cœli, quot sunt aquarum guttæ, quot sunt grana arenæ maris: omnis pulchritudo eorum simul sumpta, non posset æquari pulchritudini animæ unius. *Et paulò post.* Pictor atq; Creator animæ est ipsa Sapientia. Mensura pulchritudinem DEI, ad cujus imaginem facta est: mensura & potentiam, qua potuit; Sapientiam, qua novit; & voluntatem; qua voluit sic eam creare (*scilicet ad imaginem & similitudinem suam*) & intelliges pulchritudinem ejus. Ita Bernardin: Nos hanc pulchritudinem non æstimamus, quia sub sensum non cadit, cujus judicio plerumq; rerum elegantiam & pretium metimur. At quorum mentem altiore lumine perfudit DEUS; longe aliter judicant de rebus, & specialiter de Animabus hominum. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine: dedisti lætitiam in corde meo:* inquit Psalmographus Psal. 4. Non potuit dissimulare lætitiam conceptam ex pulchritudine animarum ob resplenden-

tem

tem in ipfis admirabilem increatæ Divinitatis, id eft, Summi & Omnis Boni, imaginem.

Simili lætitia fæpe diffluebat & S. P. N. Jgnatius, dum in occurrentibus fibi hominibus confiderabat venuftatem & fplendorem animarum; & vix poterat æftuantis lætitiæ vim temperare: ut habet Hiftoria Soc. p. 1. lib. 16. S. Catharinæ Senenfi oftendit aliquando Chriftus animam, qro qua orabat Catharina, è corpore egredientem, & adjecit: Vides, Filia, merito pro falute rei tam pretiofæ, & tam eximiæ pulchritudinis, omnes labores effe fubeundos. Unde illa cùm videret Sacerdotem quempiam in animarum cura operam ponentem, pedum ipfius veftigia exofculabatur. *Surius in Vita.* S. M. Magdalena de Pazzis ad ardentiffimum illum animarum zelum, *de quo fupra* 11. *Jan. in Lect.* excitabat fe potiffimùm DEI erga illas amore, pulchritudine ipfarummet animarum incomparabili, & fœditate, intolerabili peccatorum, quibus inquinantur, & DEO abominabiles redduntur.

Omnis enim animarum pulchritudo, quanta quanta eft, obfcuratur, deformatur, tollitur per quodvis peccatum lethale; fiuntq; per illud fœdiffimæ, odibiles abominabiles, & execrabiles DEO & Angelis ejus, magis quam concipere poffimus. Vidit & deploravit luctuofam hanc deformationem Jeremias Thren: 1. & 4. *Egreffus eft à filia Sion omnis decor ejus. Quomodo obfcuratum eft aurum, mutatus eft color optimus? Filij Sion incly ti, & amicti auro primo, quomodo reputati funt in vafa teftea, opus manuum figuli?* Et quidem in vafa foris fuligine, intus fœdiffimis fordibus plena, quæ Apoftolus vocat Vafa contumeliæ. Rom. 9. *Nazaræi candidiores nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, fapphiro pulchriores. Denigrata eft facies eorum fuper carbones, & non funt cogniti in plateis.* Imò nec DEUS illos vult cognofcere: *Amen dico vobis: nefcio vos.* Matt. 25. Advertit, & abfcondit quodammodo faciem fuam ab eis, & quafi calce repellit eos. *Abfcondifti faciem tuam à nobis; & allififti nos in manu iniquitatis noftræ.* Ifa. 64. Quàm tenerè & zelosè animas mundas diligit DEUS, tum ut filias chariffimas, tum ut fponfas fpeciofiffimas; fuaviffimæq; funt illi deliciæ converfari cum ipfis; tam graviter deteftatur vel unico gravi peccato inquinatas, tanquam degeneres, tanquam proftibula & meretrices; ut paffim videre eft apud Prophetas.

Ex his patet: quàm ftudiosè procuranda & confervanda fit Puritas animarum, tam propriarum, quam alienarum. 1. Ut nativa fua, feu naturali, gaudeant pulchitudine, & non deformetur opus tam nobile Creatoris.

2. Ne destituantur Supernaturali pulchritudine, quam addit Gratia divina incomparabiliter majorem, quàm sit omnis species, & naturalis venustas omnium Angelorum. 3. Ne privetur Christus suavissima cum ipsis consuetudine. 4. Ne sangvis Divinus, quo mundatæ sunt, privetur fructu suo. 5. Ne DEUS cogatur odisse opus suum. In hoc, nisi gravem indignationem Divinam incurrere velimus, intenti esse debemus singuli, præsertim quibus Justitia vel Charitas imposuit curam alienarum animarum. Proprias autem animas exhortemur cum S. Thoma Villanz in Dom: 19. Pent: *O Anima, si videres te ipsam! O si agnosceres tuam excellentiam & pulchritudinem: non ita te dejiceres ad amorem vilium terrenorum! Quàm pudendum est, generosam creaturam luto voluptatum fœdari; & Sponsam cœlestis Regis vilissimo Æthiopi copulari!*

XXV. IANVARII.

De Oblatione Primogeniti à DEO desiderata, à Christo & B. V. facta.

1. ADora DEUM O. M. & considera; eum ab Israelitis, post egressum ex Ægypto, voluisse sibi consecrari & offerri omne primogenitum sexûs masculini, tam de hominibus, quàm de pecoribus. Exodi. 13. ubi v. 2. addit rationem ejus Legis: *Mea sunt enim omnia*; non solùm titulo Creationis & Conservationis, ac supremi dominij, sed etiam titulo liberationis ex Ægypto. Et æquissimum utiq; erat & est, ut DEO cedat specialiter in obsequium & cultum, quod charissimum habere solent parentes, scilicet flos ipse prolis. Et ego quid tibi DEO meo, Creatori, Conservatori, Domino Supremo, & Salvatori meo offeram? In defectu primogeniti, suscipe primas cujuslibet diei cogitationes & curas meas, quas non alias esse volo, quam de te, & gloria tua

2. ADora D. JESUM, & considera eum, ut Unigenitum, & Primogenitum Patris & Matris suæ. Unigenitus est, quia nec ille, nec ista alium habet Filium naturalem. Primogenitus est, quia ad ipsius ac suam majorem gloriam, Pater æternus complures ex Filijs hominum adoptavit; *& prædestinavit conformes fieri imaginis Filij sui; ut sit ipse Primogenitus in multis Fratribus.* Rom: 8. Virgini quoq; Matri suæ, ut cumularentur gaudia Matris, ipse Filius moriturus, in uno Joanne copiosos obtulit Filios quos ipse assumpserat in fratres. O si me nossem in istorum electa turba contineri! Da mi JESU, ut ita vivam, ut me fratrem agnoscere non digneris.

3. Vene-

3. VEnerare DEIparam V. & considera, quàm fuerit prompta ad offerendum Filium suum, tum in contestationem subjectionis suæ erga legem divinam, etiam non obligantem se, eò quod genuerit non aperto utero: tum in propitiationem pro peccatis nostris. Ut enim ardentissimè optabat placari DEUM generi humano, ita desiderabat, quantocyùs eidem dignissimam hanc hostiam solemniter offerre in templo sancto suo. Benedictus DEUS, per quem & mihi indignissimo facta est copia, quotidie ipsi eandem divinam hostiam offerendi! Fac, Domina, ut id simili promptitudine, devotione, & affectu faciam.

Propositum v. g. de offerendis DEO, quæ præcipua & charissima habemus.

LECTIO PRACTICA.

Quomodo quisq; offerre possit DEO Primogenitum suum.

EOrum, qui ultro se castraverunt, ut loquitur Christus Matt. 19. propter regnum cœlorum, pejor, quàm sit conjugatorum (quorum filij sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ) videri posset conditio ex hoc capite: quòd non habeant, quem DEO offerant, Primogenitum. At vivimus jam per gratiam Christi eam ætatem, de qua ex Isaiæ Vaticinio scripsit Apostolus Galat. 4. *Lætare sterilis, quæ non paris; erumpe, & clama; quæ non parturis: quia multi filij desertæ, magis quàm ejus, quæ habet virum.* Hebræorum erat benedictio & beatitudo: abundare liberis carnali propagine genitis: Christianorum gloria est voluntaria sterilitas.

Quanquam sterilitatis probro notari nullatenus meretur Christiana Continentia & Virginitas. Nam ut meritò eam extollit S. Cyprianus lib. de disciplina & hab. Virg: *Flos est Ecclesiastici germinis, illustrior portio gregis Christi. Gaudet per illas, atq; in illis (Virginibus) largiter floret Ecclesiæ Matris gloriosa fœcunditas: quantoq; plus gloriosa Virginitas numero suo addit; tantò plus gaudium matris augescit.* Plures enim generat liberos Christianæ Ecclesiæ Castitas DEO, quam conjugalis fœcunditas mundo. Sit legio liberorum, quos ex sexcentis & ultra, partim reginis partim concubinis genuit Salomon, aut quispiam ex hara Mahometis porcus: unus Franciscus Salesius septuaginta duo millia, unus Franciscus Xaverius vicies centena millia, seu milliones duos, genuit Christo. Nec desunt etiamnum Ecclesiæ Catholicæ numerosissimi Patres matresve copiosæ prolis, quam non ex Voluntate carnis, neq; ex Voluntate viri, sed ex DEO genuerunt DEO, Sacramentorum administratione, Evangelij prædicatione, privata instructione, fervent oratione, corporis mortificatione, alijsq: pijs operibus pro animarum conversione susceptis. Aliquo ex his modis unus

quivis possit DEO procreare liberos; quivis habere potest Primogenitum, quem DEO offerat, quamvis conjugij sit expers.

Præstò est & alter modus offerendi DEO Primogenitum, & quidem super omnia ei dilectum: ipsum scilicet Unigenitum ejus, qui simul est Primogenitus in multis fratribus. Cùm enim, teste Propheta Isa. 9. nobis sit datus, nobis natus: offerre eum licebit non solùm ut Primogenitum inter nos; sed etiam ut Primogenitum nostrum. Suffragatur huic juri nostro Primogenitus ipse, Redemptor JESUS, Matt. 12. ubi extendens manum in discipulos suos dixit: *Ecce mater mea, & fratres mei. Quicunq; enim fecerit Voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse meus frater, & soror, & Mater est.* Quivis ergo fidelium faciens voluntatem DEI ex animo, potest esse Mater Christi, generando eum spiritualiter, tum in se ipso per Charitatem; tum in alijs per prædicationem: prout declarant S. August. & Gregor. Sacerdotibus suppetit alius etiam titulus, quo dicantur Patres Christi, Christus autem Primogenitus ipsorum; scilicet ratione potestatis conficiendi Sacramentum Eucharistiæ. Cùm enim juxta SS. Patres & Theologos complures, vi verborum Consecrationis iterum quodammodo producatur Christus, stupendo & ineffabili miraculo, dum primùm Divinam hanc Hostiam litant Neo-Mystæ; Christus Eucharisticus dici potest Primogenitus ipsorum; in secundo Sacrificio secundò genitus, & sic deinceps. O prodigiosam DEI nostri dignationem, qui vilibus homuncionibus tantum potestatis concedit in se: ut de manibus nostris, tanquam à nobis genitum, suum recipiat Unigenitum! Et nos fraudabimus DEUM hac Oblatione, rari ad aras, prompti ad epulas?

Tertius deniq;, isq; facilis & omnibus possibilis, modus offerendi DEO Primogenitum nostrum est: si è somno expergefacti, illico mentem & cor convertamus ad DEUM; & exclusis, seu dilatis, cogitationibus alijs, primus, quem vigiles elicimus, actus dirigatur ad DEUM. Talis actus erit Primogenitus inter alios, qui per diem sequentur, & planè occupabit cor Divinum: quòd, dum iterum incipimus vivere ut homines, primum respectum habeamus DEI, & in laudem ipsius prompti erumpamus. Uti autem possumus hoc vel simili actu: *Benedicta sit Sancta Trinitas, & individua Unitas, Pater Filius & Spiritus S. quia fecit nobiscum misericordiam suam.* Vel: *Gloria Patri & Filio & Spiritui S. &c.* Vel: *Benedic Anima mea Domino: & noli oblivisci omnes retributiones ejus. Sit nomen Domini benedictum &c.* En qualis & quanta nobis copia est, non unum offerendi DEO Primogenitum nostrum. agamus id sedulò: & placebit DEO ob-

latio

latio nostra super vitulum novellum, cornua producentem & ungulas.

XXVI. IANVARII.

De Redemptione Primogeniti à DEO requisita: à Christo & B. V. præstita.

1. ADora DEUM O. M. & considera, quomodo Exod 13. v. 13. oblatos sibi, & consecratos primogenitos hominum voluerit sine mora pretio redimi; *Omne autem Primogenitum hominis de Filijs tuis pretio redimes*; ne scilicet cogerentur omnes, perpetuò adstricti esse ministerio Sanctuarij, seu templi Domini. Redemptio hæc oblatis quinq; siclis fiebat; Numer. c. 18. Vide, quàm paucis contentus est DEUS pro ingenti beneficio liberationis ex servitute Ægyptiaca. Nos quanta requirimus pro tenuibus beneficijs alicui præstitis? Quanta debemus DEO pro liberatione à servitute diaboli?

2. ADora D. JESUM & considera, quòd ipsum quoq; voluerit DEUS offerri sibi solemniter in templo, & redimi à Matre sua; tum quia non ad ministrandum in templo, sed ad prædicandum destinatus fuit; tum ut speciali titulo addictus esset ministerio salutis nostræ, tanquam ad id emptus à nobis per Matrem Sanctissimam. Vide, quali ingenio amoris, quanto affectu, non solùm nobis natus, nobis datus est JESUS, sed etiam nobis emptus! Et adhuc tergiversabimur, nos ejus obsequijs, & amori mancipare? vel jam mancipati, ad alios convertemur Dominos? Quæremus varios prætextus, ut absolvamur ab obsequijs DEI?

3. VEnerare DEIparam V. & considera, quomodo ipsa Redemptorem suum a Patre æterno, pretio quinq; siclorum redemerit in commoda nostra; ut operaretur Salutem nostram, & Filius DEI quodammodo fieret servulus hominis. Passus est libenter eam emptionem Christus eo etiam titulo, ut tantò magis obstricti essemus ejus Matri. At cohorruit recolens, se adultum alios habiturum emptores, alium venditorem. Benedicta sis ò Domina, quòd tam studiosè egeris negotium salutis meæ! Fac, ut illam majore in pretio habeam, & amplius non prodigam. Adstringe me magis magisq; obsequijs empti pro me Redemptoris mei.

Propositum v. g. de Observantia majore Legum & statutorum status nostri.

LECTIO PRACTICA.

Quàm accuratè observandæ sint Leges & statuta etiam humana.

ESse re vera in Ecclesia Christi, & ejusdem Rectoribus potestatem condendi Constitutiones, prout tempus & ratio postulaverint, quibus non tantùm dirigantur, sed etiam obligentur in conscientia fideles;

definitum est in Concilio Constantiensi Sess. 15. & à Leone X. contra Valdenses, Viclefum, Joannem Hus, & recentiores sectarios. Agnovit hanc potestatem, eiq; se reverentissimè subjecit gloriosissimus Imperator Carolus Magnus: qui dist: 19. cap. *In memoriam.* sic loquitur de Constitutionibus Romanæ Sedis: *In memoriam B. Petri Apostoli, honoremus Sanctam, Romanam & Apostolicam Sedem: ut quæ nobis Sacerdotalis Mater est dignitatis, esse debeat Ecclesiasticæ Magistra rationis. Quare servanda est cum mansuetudine humilitas; ut licèt vix ferendum ab illa Sancta sede imponatur jugum: tamen feramus, & pia devotione toleremus.* Quæ submissio & observantia, non minùs, imò maximè decet Spirituales.

Sæcularium quoq; Principum & Magistratuum Leges, & statuta legitima, habere vim obligandi in conscientia, secundùm materiæ gravitatem, in ipsorum ditionibus, ideoq; studiosè observandas esse à subditis: certum est. Nam Prov. 8. dicit Sapientia Divina: *Per me reges regnant, & Legum conditores justa decernunt. Per me principes imperant, & potentes decernunt Justitiam.* Unde concludit Apostolus Rom. 3. *Qui potestati resistit, DEI ordinationi resistit: qui autem resistunt; ipsi sibi damnationem acquirunt*

Habent igitur sæculares Leges suas, tum Communes, tùm municipales, quas studiosè observent. Habent Ecclesiastici Sacros Canones, Constitutiones Apostolicas, & Synodales. Utrisq; convenit monitum illud Prov: 6. *Conserva fili mi, præcepta patris tui*: sive Pontificis, sive Principis: *& ne dimittas legem Matris tuæ*; Ecclesiæ, & Patriæ: *Liga ea in corde tuo jugiter*: ut amore potiùs quàm pœnæ timore ducaris ad eorum observationem: *Et circumda gutturi tuo*; ut nec verbo delinquas contra ea. *Cùm ambulaveris, gradiantur tecum, cùm dormieris custodiant te; & evigilans loquere cum eis. Quia Mandatum lucerna est, & Lex lux.* Incitat ad id exemplo suo Christus; non solùm divinarum, sed etiam humanarum legum observantissimus: ut cùm non solùm Mosaicis, sed civilibus se ultro submisit; jubens Matt. 22. quæ sunt Cæsaris dare Cæsari: & Matt: 17. prodigio insigni procuravit staterem, quem Petrus daret pro se & ipso Domino.

Religiosi, præter Communes personis Ecclesiasticis, habent peculiares Ordinum suorum Leges, seu Regulas, magno suo bono observandas. Pleræq; consilium tantùm important, & directionem, nec obligant sub peccato: at observantibus incomparabili & præsidio & emolumento sunt. Nam. 1. Faciunt eos remotiores à peccatis dum pericula peccandi removent, passionum mortificationem præscribunt, mediaq; superandi tentationes suppeditant. 2. Præstant facilitatem ad observanda præcepta Divi-

Divinæ. Dum enim nos incitant, & ducunt ad implenda Consilia Evangelica per Vota voluntariæ Paupertatis, Castitatis, Obedientiæ &c. hoc ipso inducunt ad præstandum plus, quam præceptum est. Unde qui sponte, DEI & salutis suæ amore omnia sua dimisit: utiq; paratissimus est, ad non rapienda aliena. Qui se submittit per Religiosam Obedientiam cuivis extraneo, & nulla cognatione sibi conjuncto, Superiori: quomodo non facile honorabit parentes &c. 3. Excitant & urgent nos ad virtutem & perfectionem eximiam: ut non solùm simus boni Christiani, vel Clerici; sed eximij: non gregarij tantùm milites Christi Ducis, sed selecti, & quasi Prætoriani. 4. Ducunt nos per vias securas, rectas & regias ad Perfectionem & Sanctitatem: cùm Regulæ approbatorum Ordinum sint & ipsæ à Sede Apostolica approbatæ; utpote divinitus Sanctis Fundatoribus inspiratæ: prout de Constitutionibus Societatis nostræ testatus est Paulus III. Pont. Max. quando post diligenter examinatas, dixit. *Digitus DEI hic est.* 5. Deniq; non vanam præbent nobis fiduciam obtinendi Apostolicam illam benedictionem, Galat. 6. *Quicunq; hanc Regulam secuti fuerint: Pax super illos & Misericordia.*

Ex his patet: æquissimam esse admonitionem illam S. P. N. Ignatij 6. Parte Constit: c. 1. *Quicunq; Societatem ingrediuntur, & in ea vivunt: Omnes ejus Constitutiones, Regulas, ac vivendi rationem integrè, & ad amussim observare desiderent: & cum divina gratia ex toto corde & viribus, perfectè eas servare allaborent.*

Ad omnes pertinet illud Sapientiæ æternæ Prov. 3. *Fili mi: ne obliviscaris Legis meæ; & præcepta mea cor tuum custodiat. Longitudinem enim dierum & annos vitæ, & pacem apponent tibi.* Et v. 21. *Custodi Legem atq; Consilium: & erit Vita animæ tuæ.* Qui vult vivere sine Lege: non est de Domini grege.

XXVII. IANVARII.

DEUS voluit Christum sibi offerri in Templo Hierosolymitano; Christus & B. V. eò properant.

I. ADora DEUM O. M. & considera, eum non contentum quotidianis imò assiduis oblationibus, quibus ei Filium suum inter ardentissimos affectus offerebat V. Mater, voluisse; ut deferretur Hierosolymam, atq; in templo solemniter præsentaretur, tum in solatium senum, Simeonis & Annæ, arescentium præ expectatione Redemptoris; tùm vel maximè, ut eorum prædicatione vulgaretur jam natus, adeoq;

diligentiùs quæreretur. Tam solicitè prospicit homini DEUS, & media Salutis ingerit.

2. ADora D. JESUM & considera, quàm varijs movebatur affectibus, quando super ulnas V. Matris ferebatur Hierosolymam, ex Bethlehem. Respiciebat urbem sibi fatalem, cujus ipse vicissim ruina futurus esset; nunc templum, nunc montem Moria; seu Calvariæ, oculis requirebat, & jam tunc ingeminabat illud Luc: 12. *Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor, usq; dum perficiatur?* Non ignorabat in urbe Herodem adesse, non latebant cruenta ejus consilia: ibat tamen intrepidus, quò Pater vocabat. Non quò eundum; sed quis jubeat, vel vocet, cogitandum. Si nos alicubi manent vincula aut cruces, aderit ibidem & DEUS.

3. VEnerare DEIparam V. & considera quàm leve onus, quàm dulce pondus, quàm pretiosam sarcinam; infinitum redemptionis nostræ pretium continentem, tulerit Hierosolymam. Ibat prompta, an potiùs amoris alis ferebatur, ut Filium & Dominum suum sisteret Domino: quamvis & ipsa non ignoraret, quale theatrum urbs illa olim esset Filio suo futura. Fac Domina: ut nullum tergiverser adire locum, in quo aliquid pro DEI gloria præstare possim.

Propositum v. g. de non quærenda exemptione à communibus obligationibus.

LECTIO PRACTICA.

De libenter ferendis proprij Status Oneribus & Incommodis.

VT in hac vita nulla voluptas sine dolore: sic nullus honor, nullus Status sine onere. Probant subinde non nulli jam huncjam illum statum, mutant officia, ab alijs ad alios aspirant honores: sed ubiq; reperiunt, quod portent: nullibi vivitur sine gravamine. *Credis tu evadere, quod nullus mortalium potuit præterire?* inquit Kemp. l. 2. c. 12. *Crux semper parata est: & semper te expectat: non potes effugere.* Non pedes ad evadendum, sed humeros ad portandum, paremus oportet.

Spectat hoc ad eos potissimùm, qui in aliqua communitate vivunt. Inglorium est, & turpe, & sæpe injuriosum; subducere se communibus oneribus, quærere, sine urgente causa, exemptiones, vel effugia; velle unum esse ex omnibus, participare commoda cum omnibus; & nolle pati vel agere, quòd omnes. Offendit singularitas quàmvis communitatem sive Religiosam, sive Ecclesiasticam, sive civilem aut militarem. Fortissimo Uriæ 2. Reg. 11. tam probrosum visum est hoc dedecus: ut quantumvis instante, & iterum iterumq; urgente Rege, laxare nullatenus voluerit disciplinam militarem, & peculiari uti commoditate

domi suæ. *Dominus meus Joab, & servi Domini mei super faciem terræ manent & ego ingrediar domum meam, ut comedam & bibam &c. Per salutem animæ tuæ non faciam rem hanc.* Rex ipse David, sitiente exercitu, eximius esse noluit: sed allatam de cisterna Bethlehem aquam libavit Domino, fuditq; in terram. 2. Reg. 23. Julius Cæsar non alia arte magis sibi militum conciliavit animos, & fidem obstrinxit: quàm utendo communi sorte cum illis. Idem de Catone tradit Lucanus l. 9. Pharsal: *Rectorem te posuerunt? Noli extolli: Esto in illis, quasi unus ex illis:* monet sapientissimè Siracides cap: 32. Quodsi Prælatum decet esse ut unum è subditis: quantò minus decet, subditum inter subditos, seu æqualem inter æquales, non agere Prælatum, & arrogare sibi singulare quidpiam?

Ubiq; odiosa cùm sit singularitas, seu exemptio, sine rationabili causa quæsita ab oneribus communibus, & communi vita: odiosissima est in Religiosis Communitatibus, & valde perniciosa. Solvit enim communem disciplinam, turbat pacem, excitat invidiam in æqualibus, provocat æmulationem in junioribus, causat murmura in senioribus, movet indignationem in Superioribus. Est autem præcipuè duplex classis horum Exemptorum, seu potiùs eximentium se ipsos. Quidam id agunt prætextu valetudinis debilis, vel debilitandæ: qui ut sine discrimine argui, sic nec probari possunt. Nam sicut notavit S. P. N. Jgnatius 3. p. Const: c. 2. §. 1. *Ut nimia sollicitudo in ijs, quæ ad corpus pertinent, reprehensibilis est: ita cura moderata tuendæ ad divinum obsequium valetudinis, ac virium corporis, laude digna, & ab omnibus adhibenda est.* Cavendus igitur excessus in cura valetudinis: ne, ut ait S. Bernardus serm: 30. in Cant: te probes Hypocratis aut Galeni potiùs, quàm Christi discipulum. Vide: ne philautia potiùs & gastrimargia te eximat à vita communi, quàm necessitas.

Alios observavit Cassianus lib. 6. de Instit: privilegia sibi condere, vel corrogare, non obtentu necessitatis, sed ex auctoritate quadam & præsumptione, ob prærogativam natalium, vel ætatis, vel munerum gestorum, meritorumq; in religione cumulatorum. Verùm his in Societate nostra nihil omnino conceditur singulare: & S. P. N. cap. 7. Exam: eos, qui Societati nomen dare cupiunt, rogari jubet: *An contenti futuri sint, eodem atq; alij modo in Collegio agere: nulluq; privilegijs aut prærogativis, minimum omnium, qui in eo fuerint, anteire, omnem sui curam relinquendo?* Nihil habent specialis immunitatis vel commodi, quod sibi vendicent, emeriti Professores & Concionatores, aut ipsi Superiores: sed si quo fractæ vires vel gravior ætas sublevanda fuerit: totum á Superiorum

 discre-

discretione & charitate pendet. Quæ communis Vitæ ratio, quàm diu floret in Religione, tam diu viget Religiosa disciplina, & omnia suo ordine procedunt ad fines præstitutos.

Pro ea conservanda, qui singularitatem seu immunitatem aliquam appetunt, Cogitent. 1. Se non teneri ad valetudinem tuendam inusitatis quibusdam modis & medijs: prout latè demonstrat Rodriquez tom. 3. Exerc: Perfect: tr. 5. c. 17. præsertim talibus quæ pusillis facile sunt scandalo. 2. Habere se optimam optimè de sua Religione merendi occasionem, si tales singularitates neglexerint. 3. Cùm omnis Religio sit status pœnitentiæ & mortificationis: habere se opportunissimam occasionem & satis frequentem, egregiè se mortificandi, sensibiliore modo, quàm sit flagellatio & similia; si nihil sigulare petierint, vel admiserint. 4. Cogitent: se rem facturos gratissimam DEO, DEIparæ V. & S. Fundatoribus sui Ordinis: ut patet ex adductis á cit: Rodriq. cap: 18. exemplis: in quibus communi vitâ contenti singularibus DEI favoribus & solatijs sunt affecti; extraordinarij verò, quámvis aliàs probi, neglecti.

XXVIII. IANVARII.

DEUS, JESUS, & MARIA quibus solatiis affecerint senes, Simeonem & Annam.

1. ADora DEUM O. M. & considera; eum non raró solatia sua differre, ut cumulatiora veniant, & merita patientiæ crescant. Sic Simeoni & Annæ probissimis, sibiq; charissimis, distulit promissum Salvatorem, usq; ad supremam senectutem. At ubi tandem venit plenitudo designati temporis, ô quantis eos gaudijs penitus implevit, quando desiderium illud collium æternorum, promissum Salvatorem, non solùm denunciavit natum, sed oculis exhibuit, in ulnas tradidit! Recte monet Propheta: *Si moram fecerit, expecta illum, quia veniens veniet, & non tardabit.* Habac. 2. Dabit mora proventum.

2. ADora D. JESUM, & considera; quám varijs, quám teneris, quám plenis charitate, reverentiâ, gaudio, exultatione, gratitudine affectibus eum in templo Hierosolymitano exceperint Simeon & Anna. Collegerunt hujusmodi affectus per plurimos annos, quos tandem, uberrimo solatio suo, velut aggere rupto effuderunt. Specimen aliquod exhibet Canticum, quod satur jam vitæ mortalis decantavit Simeon Luc. 2. Anna quoq; *confitebatur Domino*; in voce laudis & exultationis, *& loque-*

& loquebatur de illo omnibus qui expectabant redemptionem Israel. Gratulor tibi, mi JESU, quòd in tota Hierosolyma par hominum inveneris, qui te susceperunt ut Dominum, adorarunt ut DEUM. O mihi similes affectus, dum te sub speciebus panis suscipio!

3 VEnerare DEIparam V. & considera; quibus & illam aspexerint Simeon & Anna, oculis, quibus salutaverint affectibus quam DEI Matrem, docente Spiritu S. agnoscebant; è cujus vultu, profanis oculis ignota, radiabat quædam Homines & Angelos supergressa Majestas. Nonne & ipsam illo Bethuliensium carmine, (Judith: 15.) salutarunt: *Tu gloria Hierusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri?* Non dubium: quin Sanctissima Mater & Suavissimus Parvulus pietati & expectationi senum paribus, imò longè luculentioribus responderint affectibus. Gaudeo hoc tuo & Filij tui honore Domina, & oro; ut & mihi aliquando Benedictum illum fructum Ventris tui post hoc exilium ostendas. Interim in patientia & spe expectabo salutare tuum Domine.

Propositum v. g. de negligendis solatijs mundanis.

LECTIO PRACTICA

De patienter expectandis consolationibus Divinis.

REctè dixit Solon: Urbes atq; oppida nihil aliud esse, quàm humanarum ærumnarum domicilia; quibus luctus, mœrores, tristitiæ mortalium quasi sepsis includuntur. Et Seneca lib. de consol. c. 35. Nulla domus in toto orbe terrarum aut est, aut fuit sine comploratione. Imò ut Euripedes apud Ciceron. Tusc. 3. loquitur: Mortalis nemo est, quem non attingat dolor. Hinc omnes circumspectant, suspirant, quærunt remedium & solatium: sed non omnes quærunt ibi, ubi inveniri potest: pauci quærunt eo modo, quo quærendum est. Dum enim ad DEUM recurrunt pro auxilio & solatio; vel obiter & frigidè id faciunt, vel nimis ardenter & impatienter. Quò fit; ut parum obtineant, aut nihil. Optimè dictum: *Cuivis dolori remedium est Patientia.*

Bene recurrimus ad DEUM pro auxilio & solatio: sed advertendum inprimis; fontem consolationum divinarum non esse eum, cujus epistomium sit in manu nostra. Ubi voluerit, aperiet DEUS ipse; & vel stillam aliquam vel imbrem solatiorum super nos mittet. Deinde magis necessarium nobis est Auxilium, quàm Solatium. Auxilio enim opus habemus non solùm ad ferendas, ut decet molestias, ærumnas & alias quasvis Cruces: sed ad patienter ferendam ipsam dilationem consolationis divinæ. Sine hac patientia, omnis alia multum de pretio suo amittit:

imò impatientiæ notam non evadit. Ecce Simeon & Anna, qui in generali illa populi DEI corruptione, fideles DEO perseverarunt, omnibus clari virtutibus, usq; ad decrepitam ætatem expectare debuerunt *consolationem Israel*, natum Salvatorem. Clamabant Prophetæ: *Consolamini, Consolamini popule meus, dicit DEUS vester.* Isa. 40. sed sola spe per aliquot sæcula sustentare se debuerunt, donec veniret Consolator, & nubes pluerent justum.

Idem institutum etiamnum plerumq; tenet DEUS circa Dilectos suos. Sinit eos varijs, & non levibus vexari incommodis, injurijs, tentationibus, & afflictionibus: nec ulla per multum tempus eos demulcet consolatione; quin potiùs in ariditate animæ & desolatione tabescere sinit. S. Theresiam per annos 18 exercuit in hac palæstra. Alius quidam eximius DEI famulus, apud Rodriq. tom. 1. tr. 8. c. 29. dicebat. *Quadraginta ipsis annis Domino servio, & in oratione me exerceo: nunquam tamen ullam in ea consolationem, vel gustum habui.* Alios, copiosis cœli delicijs pasci solitos, subitò destituit, multisq; exercet amaritudinibus multo tempore. Expertus id inter alios S. Bernardus amanter queritur coram Domino serm. 54. in Cant: *Exaruit cor meum, coagulatum est sicut lac; factum est sicut terra sine aqua, nec compungi ad lacrymas queo: tanta est duritia cordis mei. Non sapit Psalmus, non legere libet, non orare delectat, meditationes solitas non invenio. Ubi illa inebriatio Spiritus? Ubi mentis serenitas, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto?*

Ad hujusmodi desolationes mitiùs ferendas, vel tollendas; opus nobis est quibusdam reflexionibus & considerationibus. 1. An non peccatis quibusdam, quantumvis levibus, obstruamus canalem consolationum divinarum? Frustra sanè mulceri volumus ab eo, in quem offensas committere non cessamus. 2. An cum debita humilitate & resignatione in voluntatem divinam, petamus consolationem? Refert Fernandus Castiglius 1. p lib. 1. c. 60. hist. Ord. Prædic: quendam de primis Ordinis ejus Patribus, quadam nocte coram Crucifixi imagine in templo prostratum, suam sortem miseram, & animæ desolationem continuam per omnem vitam religiosam amarissimè planxisse, non sine expostulatione quadam: quòd Dominus, alias tam benignus & profusus erga servos suos, se tam parcè & durè haberet, planè præter morem etiam sæcularium dominorum, qui fideles servos liberaliùs habent. Cùm ecce, ingenti fragore consternatus, videt sibi assistere horrendum quoddam monstrum, à quo vecte ferreo tam gravem ictum accepit, ut semianimem, terræq;

allisum,

allisum, repererint fratres. Deportatus ad valetudinarium, inter gravissimos dolores, & horrendum fœtorem, hebdomadas aliquot jacuit. Utcunq; refectus, prorepsit in templum, & eodem loco culpam suam humillimè deprecans, vocem cœlitùs audivit: *Si consolationes aliquas & gustus in oratione quæris: ante omnia necesse est: humilem te esse, tuam imbecillitatem ac nihilum agnoscere, teq; luto viliorem, imò vermibus, quos pedibus proteris, contemptibiliorem judicare.* 3. Quòd præteritis peccatis mereamur omnis solatij, Divini & humani, privationem. 4. Quod momentanea sit, quantumvis diuturna videatur, omnis nostra in hac vita desolatio: quam, si patienter sustinemus, sequetur consolatio plenissima & æterna. 5. Nos non esse meliores Christo, Domino nostro: qui in summa desolatione & derelictione à Patre, cum clamore valido, exspiravit inter Summos dolores.

Huic ut aliquatenus conformarentur nonnulli Servi DEI, ultro renunciarunt delicijs cœlestibus, & in amaritudinibus continuis vivere maluerunt: Refert Rodriq. cit: quendam ex his, cùm post eam resignationem, quinquenio graviter desolatus vixisset, visitatum fuisse à duobus Angelis, eum consolari volentibus. At ille, non admissa consolatione, reposuit: sibi sufficere; quòd DEI voluntas in ipso impleatur. O virum inter Heroes Sanctorum censendum! Numquid in eam assurgere possumus animi celsitudinem: ut cum Job c. 6. dicamus: *Hæc mihi sit consolatio: ut affligens me dolore, non parcat: nec contradicam sermonibus Sancti.* Da Domine mihi robur gratiæ tuæ: Solatia alteri cedo libens.

XXIX. IANVARII.

DEUS ordinavit JESUM & MARIAM ad gloriam plebis suæ Israel: sed magis ad nostram.

1. ADora DEUM O. M. & considera eum zelantem pro gloria Israelitarum. Ex ipsis enim voluit nasci Christum, ipsorum erat *adoptio Filiorum, & gloria, & testamentum, & Legislatio, & obsequium, & promissa.* Rom. 9. Stupenda omnino sunt, quæ DEUS egit pro gente illa: sed maximè stupendum, quòd Christum ex ipsis nasci voluerit. Notandum tamen, quod cecinit Simeon: Christum natum in gloriam *plebis suæ* Israel; non *populi*, qui comprehendit etiam Magnates, scribas, & seniores. Scilicet humilibus natus est Christus in salutem, humilibus dat gratiam & gloriam.

2. ADora D. JESUM & considera; eum primò quidem propter

Iſraelitas, ſed magis miſſum & natum in gloriam Chriſtianorum: qui per illum facti ſunt *Genus electum, regale Sacerdotium, Gens ſancta, populus acquiſitionis* 1. Pet. 2. Ipſe eſt Rex & Dux noſter, Magiſter & Pontifex, Dominus & DEUS noſter. Quæ eſt alia natio, quæ tam verum, tam humanum & mitem, tam ſublimem & glorioſum, tam ſanctum & potentem habet DEUM, ac eſt JESUS, DEUS noſter? Abſit ergo mihi gloriari, niſi in DEO JESU meo. Utinam & ego tibi honori eſſem, mi JESU! Annitar: da gratiam.

3. VEnerare DEIparam V. & conſidera; ipſam quoq; eſſe primam & ſummam, poſt DEUM, Gloriam populi Catholico-Chriſtiani. Ipſa eſt flos, gemma, corona generis noſtri. Ipſam ſuſpicimus ut Principem, Reginam, & Imperatricem noſtram ſupremam, & gratioſiſſimam. Ipſa nobis eſt poteſtate Domina, affectu & beneficentia Mater. Ringatur Judæus, fremat hæreticus, nos uno ore, & toto corde te magnificabimus gloriam noſtram, & honorificentiam populi DEI, O MARIA. Tu præſta: ut & nos, qua decet, morum ſanctitate vivamus, ad maximam DEI gloriam, & ampliſſimum honorem tuum. Alias enim vana eſt & ingloria vita noſtra, mors infelix.

Propoſitum v. g. de Vita ſic inſtituenda, ut ſimus honori JESU & MARIÆ.

LECTIO PRACTICA.

Quomodo poſſimus, & debeamus, eſſe Gloria Chriſti & V. Matris ejus.

QUam ſtudioſus ſit DEUS non ſolùm commodorum noſtrorum, ſed honoris & gloriæ: patet tum ex pluribus alijs graviſſimisq; argumentis, tum maximè ex myſterio Incarnationis & Redemptionis noſtræ per Chriſtum, quem totum ordinavit in ſalutem & Gloriam noſtram æternam, imò & temporalem in Hierarchia Eccleſiaſtica. Prædicavit ipſum cygnea voce Simeon, ut *Lumen ad revelationem Gentium, & Gloriam plebis ſuæ Iſrael*: ſed Iſraelis nomine veniunt jam, non tam qui ſecundùm carnem, quàm qui ſecundùm ſpiritum ſunt Iſraelitæ; id eſt, Chriſtiani: ut declaravit non uno loco Apoſtolus.

Hinc gravis oritur nobis obligatio: ut & nos viciſſim, qui glorioſo Chriſti nomine ſignati ſumus, ac potiſſimùm flos Chriſtianorum, Eccleſiaſtici & Religioſi, non ſolùm ſimus perquam ſtudioſi honoris & gloriæ Chriſti, Salvatoris & Glorificatoris noſtri: ſed quanti quanti ſumus, ſimus honor ejus, & Gloria, coram DEO, Angelis & hominibus. Ad hoc præſtandum, neceſſe eſt nos interiùs exteriùsq; ita componi: ut qui vident nos

Angeli

Angeli & homines, glorificare possint Christum, eiq; gratulari: quod tales habeat servos. Ipse quoq; Christus gaudere possit, & gloriari: quemadmodum DEUS olim coram Angelis suis & Satan gloriatus est servo suo Job. *Numquid considerasti servum meum Job; quòd non sit ei similis in terra, homo simplex & rectus, ac timens DEUM, & recedens à malo?* Job 1. & 2.

In particulari Quatuor potissimùm requisita ad id desiderantur. *Primò* Conscientia pura, & ab omnis deliberatæ culpæ nævo immunis. Ob hanc gloriatur in Sponsæ suæ pulchritudine Sponsus Divinus Cant: 4. *Tota pulchra es amica mea: & macula non est in te.* Omnia alia decora, interna & externa, quantumvis speciosa & pretiosa, absq; hac Immunitate non placent, aut parum placent. Principes terræ non tolerant in conspectu suo & intima familia maculatos à natura, vel per incuriam. Unde Daniel. 1. Nabuchodonosor Rex Babylonis jussit de captivitate filiorum Israel introduci ad se pueros *decoros formâ, in quibus nulla esset macula: qui possent stare in palatio regis.* Nitor & decor famulantium, honor est Principum. Puritatis igitur conscientiæ studiosissimi inprimis sint oportet: qui CHRISTI honor esse cupiunt: idq; tantò magis, quantò pretiosius balneum ipse apparavit eluendis maculis nostris, & nitori animarum conservando, augendoq;.

Secundò Vita sic instituenda: ut proximis scandalum non demus; ijs præsertim, qui foris, seu extra Ecclesiam sunt, si fortè inter illos commoramur. Scandalosa enim vita Catholicorum, ne dicam, Sacerdotum, Religiosorumq:, redundat in grave dedecus Christi. Indisciplinata familia arguit herum non adeò probum. Unde Apostolus 1. Tim. 6. solicité monet servos Christianos: ut dominorum suorum, etiam gentilium, sint observantissimi: *Ne Nomen Domini, & doctrina blasphemetur.* Similiter ad Tit: 2. cùm monuisset variæ conditionis homines de probitate Christiana colenda, addidit: *Ut non blasphemetur Verbum DEI.* Et v. 8. graviter commendat: *ut Doctrinam Salvatoris nostri DEI,* adeòq; ipsummet, *ornent in omnibus.*

Tertiò Non solùm abstinere oportet à scandalis, sed etiam insignia præbere virtutum exempla, statui & professioni nostræ accomodata: ut qui vident opera nostra bona, glorificent DEUM ac Dominum nostrum JESUM, regnantem in cœlis & animabus sanctis. Hinc præcipit Apostolus Philip: 4. *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus.* Et Rom: 12. *Providentes bona non tantùm coram DEO, sed etiam coram hominibus.* Glo-

ria Principum est aula, non tam splendido vestium cultu superba, quàm moribus decora, rebus gestis inclyta.

Quartò Prompti, & magnanimi simus, necesse est, ad quidvis agendum, omittendum, & patiendum pro Domino. Vilescant nobis fortunæ omnes, honor proprius, sangvis & vita; dum de honore JESU agitur. Vili emitur honor JESU, confusione nostra, depressione, maceratione, interitu. Impendamus, quidquid possumus: impendamur, quanti quanti sumus.

Sic purificati, compositi, exculti, animati, numquid erimus *Gloria* Christi: prout Apostoli appellantur 2. Cor. 8? Imo gloriabitur in nobis JESUS, ut olim DEUS Isa: 43. *Servus meus es tu Israel: in te gloriabor.* Gloriabitur, ut in nupero colono, in quem itinerans incidi. Visus est homo amœni ingenij, ideoq; varios in scuimus ser nones. Post alia subjunxit: Ego pauper colonus satisfacio justæ sententiæ divinæ, qua ad labores damnati sumus. Verso & colo agellum meum: dumq; stivam promoveo, DEO & bobus meis piam aliquam decanto cantilenam. Et DEUS in summis cœlorum gaudet, & gloriatur coram Angelis suis, quod talem rusticum habeat. O gaudeat etiam Suavissimus JESUS quòd tales, qui ipsi commodo & honori sunt, habeat populos, Sacerdotes, Religiosos, & Prælatos! Non queratur cum Isaia cap. 9. *Multiplicasti gentem: non magnificasti lætitiam*; & gloriam.

XXX. IANVARII.

DEUS constituit CHRISTUM & DEIparam V. in ruinam & resurrectionem multorum.

1. ADora DEUM O. M. & considera, quàm sit *terribilis in consilijs super Filios hominum.* Psal. 65. Cogitat ille quidem cogitationes pacis, amat & vult omnium Salutem; sed ad eam obtinendam, ea non rarò ordinat media, quæ alijs vertuntur in Salutem, alijs in perditionem, non DEI voluntate, sed vitio hominum, libertate voluntatis suæ abutentium. Sic Christum, qui natus est nobis in salutem, dixit Simeon, *positum esse in ruinam & resurrectionem multorum.* Luc. 2. Justus es Domine, & omnia judicia tua justa! Salus nostra ex te; tantummodò ex nobis perditio nostra.

2. ADora D. JESUM, & considera; quomodo is, qui secundùm se est Vita & salus mera, resurrectio & gloria nostra, multis est *ruina*, atq;, ut dixit Isaias: cap. 8. *Lapis offensionis & petra scandali,* vel quia in ipsum non crediderunt; vel quia doctrinam & vitam ejus, tanquam

quam sibi contrariam, spreverunt, vel quia ab illo turpiter defecerunt, abutentes Bonitate & beneficijs ejus, abeuntes post desideria cordis sui perversi & adhærentes potiùs Mundo, Carni, & Satanæ. O Salus mea, JESU, ne sinas me sic desipere; ne sinas me unquam avelli a te.

3 VEnerare DEIparam V. & considera, etiam ipsam factam esse multis quidem in resurrectionem, non paucis tamen in ruinam; ut qui eam vel veram DEI Matrem agnoscere nolunt, vel agnitam, ut DEI Matrem non honorant, blasphemantes; non alio, quàm reliquas fœminas honore dignam. Detestor ô Domina, stolidas hujusmodi pecudes. Te magnificabo, & superexaltabo super omnes, non hominum duntaxat, sed Angelorum choros. Esto mihi cum Filio tuo in gloriosam resurrectionem. Præserva à lapsu: lapsum erige quantocyus, ô Gratiosissima.

Propositum v. g. de cavendo, ne Christus nobis sit in ruinam.

LECTIO PRACTICA.

Quomodo CHRISTUS multis sit in Ruinam.

Ingens, stupenda perversitas! Resurrectio vertitur in ruinam, vita in mortem, salus æterna in damnationem æternam! Quis vidit? Imò quis fecit mirabilia hæc? Nostræ insolentissimæ Libertatis hoc facinus est. Christus, secundùm Divinitatem Summa Bonitas, infinita Clementia, inexhausta Misericordia, æterna salus, Beatitudo consummata; secundùm humanitatem Delicium, Advocatus, Mediator, Salvator generis humani, quid vult magis, quid desiderat & procurat ardentiùs, quam homines salvare? At nos Libertate nostra insani, illicio lucelli cujusdam illecti, haustu, imò stillâ, alicujus voluptatis ebrij, præcipitamus nos ultro in barathrum ærumnarum æternarum.

Sic ruerunt Judæi sponte sua, & libera obstinatione, à fide in perfidiam, ab obedientia in rebellionem, a Cognitione DEI & S. Scripturæ in cœcitatem, & obdurationem, à spe salutis in desperationem & damnationem, à cœlo in gehennam. Sic & Christianis non omnibus in resurrectionem est Christus, sed plurimis in ruinam: *non ideo quod is sibi ipsi sit contrarius; sed propter nitentium contrariam animi sententiam:* inquit S. Basilius tr. 2. de Baptismo c. 10. siquidem Christo salutaria docenti, consentire nolunt. Quo fit; ut Christus, quemadmodum ait Apostolus 2. Cor. 16. *Aliis sit odor mortis in mortem: aliis autem odor vitæ in vitam.* Nam sicut *Fragrantia ungventi columbam vegetat, scarabæum necat: & sicut lumen solis oculos sanos recreat, debiles offendit; ignis aurum purgat, stipulam absumit: sic Christus malis*

in ruinam est, bonis in resurrectionem; inquit ex Nysseno Oecumenius.

Quantum gratiosissimus Salvator laborarit, ut nos lapsos erigeret, & ab interitu vindicaret: satis docet tota ejus Vita, ac potissimùm Passio immanis: docent & innumera Exempla, ut ipsius Bonitatis, ita malitiæ humanæ argumenta luculentissima. Accipe unum, sed memorabile. Lohner *in Appendice Hist: Bibliothecæ suæ. n.* 18. tradit: S. Franciscum Borgiam, cùm iter haberet per quoddam oppidum Hispaniæ, intellexisse: virum nobilem de vita periclitari, & nolle peccatorum confessione sibi consulere. Pater positis ante Crucifixi effigiem genibus, Christum suppliciter rogat: vellet pereunti succurrere. Audivit preces Christus, monuitq;: iret ad ægrum; se in habitu Medici compariturum, & dum Franciscus ad confessionem peccatorum hominem inducere conaretur, simul opem se laturum. Quod & præstitit, quam diù Pater hominis pertinaciam frangere laboravit. Dum id frustra fit: evanuit Medicus. Pater quoq; domum repetit: atq; ibi ante Crucifixum prostratus, ardentiùs quàm ante precatur, sibiq; eam animam donari petit. Tum Christus ad illum: Ut videas, quàm miseri istius hominis salus mihi cordi sit: vade, & me in effigie mea ad illum defer. Redit itaq; ad ægrum Pater; & Crucifixi effigiem vibrans, per immensam, quam ejus causa moriens in cruce, testatus est charitatem orat obsecrat, obtestatur: ut beneficio Sangvinis pro se fusi, uti velit. Dumq; ille non flectitur: ecce ex omnibus Crucifixi vulneribus sangvis erumpit; Christus ipse, voce intelligibili, revocat, quæ pro ipsius salute sit passus, monetq;: ut ea in suum commodum convertat. Ille nihilominus obstinato, Christus avulso à cruce brachio, sangvinem, è latere suo defluentem, manu corripiens, in faciem ejus projecit dicens: *Quandoquidem in tui salutem hoc sangvine uti non vis: sit ille tibi in condemnationem.* Hoc fulmine percussus impius, continuò blasphemans exspiravit. Fuit huic Christus in ruinam, sed resurgere nolenti: fuit in damnationem, sed salutem oblatam, & obtrusam, spernenti. Perditio tua ex te Israel.

S. Carpo, Cretensium Episcopo, revelavit Christus, *apud Surium in Vita*: tanti se facere quamvis animam: ut pro ea denuo mori, imò & inferni tormenta sustinere paratus sit. Idem aperuit S. Brigittæ lib. 7. Revel. c. 19. Dilectio, inquit, mea erga hominem modò æquè grandis & incomprehensibilis est, sicut erat tempore Passionis meæ. Et si fieri posset: ut toties morerer, quot sunt animæ in inferno, ego promptissima voluntate, & perfectissima charitate Corpus meum traderem; eandemq; passi-

passionem & mortem pro qualibet anima sustinerem, quam sustinui pro omnibus.

Non ergo Christus ex se in ruinam nostram propendet, sed potiùs in sustentationem & exaltationem; sicut columna firmissima: quæ à peritissimo architecto posita, non aliter dici potest, posita in ruinam multorum, nisi qui per summam insolentiam & violentiam traxerint eam in oppressionem sui. Accedamus illi securi, adhæreamus constantes; non interet, sed potiùs implebit ruinas, si quæ ex veteri homine sunt in nobis. Et hum conquassabit capita in terra multorum: nos levabimus salvi & intrepidi capita nostra: venientemq; Judicem læti excipiemus.

XXXI IANVARII.

DEUS præter alia signa etiam Christum & DEIparam V. posuit nobis in signum.

1. ADora DEUM O. M. & considera, cum hominibus constituisse, & etiamnum constituere varia signa tum gratiæ, tum Justitiæ suæ exercendæ, tum vitæ, tum interitûs imminentis. *Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant à facie arcûs.* Psal. 59. 9. Vide, an non & tibi peculiare aliquod hujusmodi signum dederit? Si aliud non occurrit, sufficiens esse possunt ipsi mores nostri. Ex illis facilè colligere licet; quo loco simus, & futuri simus apud DEUM. Væ mihi, si testimonium mortis habeo in me!

2. ADora D. JESUM, & considera, ipsum quoq; *positum fuisse in signum*; & quidem à DEO in signum vitæ ac salutis æternæ, idq; in signum practicum seu causativum Salutis; ab hominibus autem ponitur, & positus fuit *in signum cui* passim *contradicitur* (juxta Simeonis oraculum) & verbis & factis. Positus est in signum, ad quod certatim collimant improbarum lingvarum sagittæ venenatæ. Recole, quantas Incarnata hæc Veritas & Sapientia passa sit, & etiamnum patiatur contradictiones, forsan & à te, præsertim factis seu moribus! O Veritas æterna! parce temeritati & difformitati meæ. Tu deinceps mihi norma vivendi eris.

3. VEnerare DEIparam V. & considera eam, tanquam *Signum* illud *magnum* quod apparuit in cœlo Apoc. 12. Refulsit amicta sole, coronata sideribus, lunâ calceata; & tamen etiam ipsa non paucis facta est in signum, cui contradicitur, nunc ejus innocentiam, nunc puritatem Virgineam, nunc honores ei delatos impetendo. At mihi, ô Amabilissi-

 ma, non

ma, non aliud semper eris signum, quàm in quod tendant ignea amoris mei jacula. Felix, si centrum cordis tui tetigero! Tangam: si moribus & vitá tibi & Filio tuo non contradixero.

Propositum v. g. de non contradicendo moribus Christo, & dirigendis ad eum pijs affectibus.

LECTIO PRACTICA

De Usu & Utilitate Orationum Jaculatoriarum.

Jaculatoriæ dicuntur breviculæ quædam Orationes, & Aspirationes, quas ex intimis cordis penetralibus ducimus, & impetu quodam in cœlum emittimus. Subinde illas ejaculamur sagittarum instar: dum absq; vocum strepitu, vel tacitis affectibus, vel pauculis vocibus submissè prolatis impetimus cœlum. Quibus Aspirationibus accomodari potest illud sap. 5. Ibunt directè emissiones *fulgurum. & tanquam à bene curvato arcu nubium exterminabuntur,* seu elidentur; *& ad certum locum insilient:* nimirum usq; ad cor DEI. Aliàs tanquam sclopeto, seu bombarda majore, non sine strepitu illas ejicimus; eò quòd uberior & ferventior affectus ex angustijs cordis vehementiùs eluctetur.

Familiare fuit hoc genus orationum & aspirationum etiam priscis Patribus eremicolis; easq; teste Cassiano *lib. 2. de Institut. Renunciantium,* permagni faciebant: quemadmodum & his temporibus magni fiunt, & in crebra praxi habentur à pijs, propter insignia, quæ ex ipsis percipiuntur emolumenta. Nam. 1. Facillimè eliciuntur: nec caput, nec memoriam, nec intellectum, aut phantasiam fatigant. 2. Non sunt obnoxiæ tædio, langvori, distractione causatis: Incipiunt, & desinunt instar fulguris: perstringunt tamen intimas cordis fibras; disjiciunt, si quæ mentem occupant, ignavi torporis nebulas, & animam officij sui admonent. 3. Plurimum conferunt ad concipiendam & conservandam memoriam præsentis DEI, & assuefaciendam animâ ad agendum frequenter & familiariter cum DEO, & coram DEO. Hoc ipso enim, quòd crebrò mentem & cor elevamus ad ipsum, facimus eum nobis intentionaliter præsentem, vel certè nos ipsi, qui per alias cogitationes & actiones quasi elongati fuimus a DEO, redimus quodammodo, & accedimus ad ipsum, coram ejus Majestate nos sistimus, ipsiq; intima cordis nostri aperimus. Assuescimus igitur facillima opera, ut etiam prolixiore oratione vel contemplatione non pigeat, vel tædeat nos, agere cum DEO. Qui fructus brevicularum istarum Aspirationum, frequentiùs usurpatarum, ingens sanè est, & valde pretiosus: aliàs autem multis prolixis orationibus & mortificationibus quæri solet.

Condu-

Conducunt deniq; ad facilitandum, & fructuosius reddendum quarumvis Virtutum exercitium, præsertim Amoris Divini. Possunt enim hujusmodi Aspirationes elici in materia cujusvis virtutis, sive desiderando illam v. g. *Amem Te, ô Bonitas infinita! Laudem te ô Majestas Suprema! Noverim te Domine, noverim me! Patiar ego, moriar ego amore vestri, dulcissimi amores mei J & M.!* sive eliciendos in futurum actus offerendo v. g. *Diligam te Domine fortitudo mea, Misericordia mea &c. Benedicam Dominum in omni tempore &c. Vilior fiam propter te: Patiar propter te: Amabo & inimicos propter te &c. DEUS meus & Omnia!* Sive de præsenti certos, eosq; insigniores, virtutum actus deferendo v. g. *Amo te super omnia! Ad majorem DEI gloriam Omnia. Condono propter te offensam N. Amo te toto corde, tota anima, totis viribus &c.*

Qui hujusmodi desiderijs pijs & affectibus constantem & diligentem dabit operam: tantas ex eo utilitates capturum, promittit gravis Asceta Dionysius Carthus: *lib. 1. de Contempl. c. 25.* ut suum ipse cor brevissimo tempore conversum, se in virum alium mutatum, percepturus sit: mirabitur suavissimam mutationem dexteræ Excelsi. Addit Alphonsus Rodriq. tom 1. Exercitij. tr. 6. c. 4. nos hoc medio facile consequi posse, quæ multis impossibilis videtur, assiduam illam orationem, quam Salvator noster Luc. 18. à nobis, præsertim Spiritualibus, requirit: *Oportet semper orare, & non deficere.* Imò brevi rem eò deducemus: ut conversatio nostra sit in cœlis: etiamsi inter turbas & negotia temporalia vivamus in terris.

Quòd attinet ad speciem hujusmodi Orationum, seu Aspirationum: illas quivis assumere sibi potest, quæ personæ ipsius magis accomodatæ videbuntur, & in quibus majorem gustum sentiet. Quidam unica utuntur passim; vel cum S. Thoma Apostolo dicendo: *Dominus meus & DEUS meus!* Vel cum S. Francisco Seraph: *DEUS meus & Omnia.* Vel cum S. P. N. Jgnatio: *O DEUS meus, ô si te homines nossent!* Vel cum S. Augustino: *Noverim Te, noverim me!* Vel cum S. Francisco Xaverio: *O DEUS cordis mei. Mater DEI memento mei.* Vel cum Sancta illa peccatrice: *Qui me plasmasti, miserere mei.* Vel: *Miserere mei DEUS secundùm magnam misericordiam tuam.* Vel cum Card: Stanislao Hosio: *Manè nobiscum Domine.* Alij plures adhibent, & quidem destributas per triplicem Ascetarum viam, Purgativam, Illuminativam & Unitivam. Unde nunc aspirant ad DEUM pro peccatorum remissione: nunc illuminari petunt, ad cognoscendam ejus voluntatem, & conformari atq; incitari ad profectum in virtutibus: nunc se totos tradunt, & conjungunt DEO per intensis-

simos actus Amoris, & voluntatis conformationem. Fac, quod videtur in Domino. Illa valde commoda est Aspiratio S. P. N. *Ad majorem DEI gloriam.* præsertim, dum aliquid agendum præ manibus habemus. Includit enim magnam DEI æstimationem, & valde perfectam Intentionem, ex solida charitate elicitam. Satisfacit etiam Apostolo 1. Cor. 10. requirenti: *Sive manducatis sive bibitis, sive aliud quid facitis: Omnia in DEI gloriam facite.* Quæcunq; tandem adhibeatur Formula: modo aliqua sit, velut Tessera quotidiana, qua fidem nostram & affectum testemur DEO, JESU & MARIÆ.

Ab hoc orandi modo non possunt se excusare, etiam ij, qui collo tenus temporalibus, etiam publicis, negotijs merfi sunt. Non possunt nocturnas horas, cum Rege non uno, & Prælatis compluribus, impendere orationi? non possunt se ipsos interdiu aliquantisper suffurari turbis? At possunt, etiam coram testibus, inter epulas & jocos, subinde ardentem aliquam sagittam tacitè, solo Angelo custode conscio vibrare in cœlum. Si non possumus semper quasi utrumq; oculum convertere in cœlum; etiam uno, modo dexter sit, collimare licet, atq; scopum ferire. teste Sponso Divino: *Vulnerasti cor meum, Soror mea Sponsa; vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum.* Cant: 4. Hæ sunt Sagittæ electæ: *Sagitta salutis Domini.* 4. Reg. 13.

I. FEBRVARII.

DEUS Christum & Matrem ejus in templo Hierosolymitano solatio pariter ac mœrore implet.

1. ADora DEUM O. M. & considera: eum justissimo judicio constituisse, ut sicut annus nunc serenos, nunc turbidos habet dies, imò eadem dies non omnes æquè serenas habet horas; ita alternantibus gaudijs & mœroribus, solatijs & angustijs exercerentur homines in vita mortali. Nec ipsum Filium suum, aut Matrem ejus ab hac vicissitudine voluit esse immunes. Bonus est sermo tuus Domine. Omnia in Sapientia fecisti. Tibi, etiam pro hac dispositione, do gloriam, tu mihi patientiam.

2. ADora D. JESUM, & considera; ipsum in templo Hierosolymitano liquidissimis delibutum fuisse gaudijs, tum quòd in domo Patris sui esset, tum ex summa humilitate & ardentissima devotione Matris suæ, tum ex innocentia & pietate senum, Simeonis & Annæ: at aliunde non levia se ingerebant doloris argumenta, ut Sacerdotum incuria in diva-

in divino obsequio, & sacrificijs, populi insolentior conversatio in templo, olim flagello castiganda, ipsius templi prævisa desolatio & ruina &c. Quid ergo quærar ego de paucitate vel brevitate gaudiorum meorum? Nunquid servus melior erit Domino suo? Numquid Dominus torcular calcabit solus: servus autem uvam bibet meracissimam?

3. VEnerare DEIparam V. & considera; eandem ipsius & Filij conditionem fuisse. Replebatur à DEO copiosissimis cœli voluptatibus in oblatione munerum suorum: at ecce turbatorem cœlestis musicæ Simeonem, intentantem ipsi acutissimum, nec brevem doloris gladium, qui ipsam animam Matris non solùm sit tacturus, sed plenè pertransiturus. *Tuam ipsius Animam pertransibit gladius.* Ergo meras rosas optem, vel sperem ego de manu Domini: quando Matrem suam gladio petit indeclinabili?

Propositum v. g. de animo maturè parando venturis adversis.

LECTIO PRACTICA.

De Gladio doloris à Simeone DEIparæ V. prædicto.

TRiste vaticinium cecinit Simeon DEIparæ V. quando prædixit: Filium ejus natum mundi Salvatorem, positum esse *in ruinam multorum*: at longè luctuosiùs fuit, quod addidit: *Et tuam ipsius Animam pertransibit gladius.* Pauca verba: sed acuta, ut sagittæ potentis; sed immensum & amarissimum mare dolorum concludentia!

Et tuam ipsius, inquit, animam. *Tuam ipsius*: quamvis nulli obnoxia sis culpæ, quamvis ad tantam dignitatem provecta, quamvis immensum solatiorum & liquidissimæ voluptatis fontem inter ubera feras: nihilominus amaritudine amarissima, replebit te Dominus. Vulneris, & dolorum tuorũ sedem non corpus ponet, sed Animam. Ubi acutior est sensus; ibi erit & vulnus. Corporis immunitas vitam protrahet dolenti: nec morti locus erit, ubi dolor erit fortior morte. Non perstringet solùm animam fulminis instar, aut aliquam tantùm ejus potentiam afflabit: sed toti incumbet animæ, & per omnes ejus ibit potentias & vires, donec petranseat. Non transvolabit, aut quasi in extimis duntaxat hærebit partibus, ut sagitta: sed ut gladius robusti bellatoris per penetralia pectoris adactus usq; ad capulum, pertransibit Animam: Heu quanto vulnere! Quanto sensu!

Job, patientiæ miraculum, in quantum erupit luctum! Et tamen manus Domini solùm *tetigit* eum; solùm sagittas quasdam corpori ejus infixit, non gladium. *Sagittæ Domini in me sunt: quarum indignatio ebibit spiritum meum.*

meum. Job. 4. Quid? si gladium suum immersisset visceribus ejus? At Virgo, Martyrum Princeps, quanta fortitudine tam gravem accepit nuncium, tanta constantia sustinuit gladium doloris: nec queri audita, nec corpore, aut animo concidere visa unquam.

Quanquam non tunc primùm de imminente sibi doloris acutissimo gladio edocta est. Quem nunquam timuit, vel deprecata est; sensit semper jam inde ab Archangeli Salutatione. Non solùm enim tunc didicit: se electam in DEI Matrem, & communem Filium habituram cum Patre æterno: sed eundem Filium per acerbissimam mortem crucis post innumeras totius vitæ ærumnas, redempturum genus humanum. Qua habitâ notitia nullum momentum vacuum dolore habuit: sed semper viscera ejus materna commovebantur, & torquebantur super Filio, & tali Filio, uteri sui. Testatur id S. Bernardinus Senensis serm. 6. a. 2. cap: 1. de miro Martyr. Virg: qui, postquam egit de summo actu Martyrij Filij DEI, in primo instanti Incarnationis, quo sese obtulit Patri in holocaustum, subdit: Matrem quoq; ineffabili illo incendio totam fuisse succensam: & quòd *Virgo cum Christo crucifixa est in hora hujus conceptionis.*

Rupertus, Abbas Tuiciensis, lib. 1. in Cant: c. 1. sic Virginem ipsam inducit loquentem, de momento Conceptionis Christi: Descendit (Unigenitus DEI) de accubitu suo, & requievit in tabernaculo meo. Hic requievit, hic habitavit totis novem mensibus: & cujus erat Dominus, ejusdem ancillæ suæ factus est Filius. Vultis audire: qualis exinde fuerit iste Dilectus meus mihi, & ego illi? Ecce dico vobis. *Fasciculus myrrhæ Dilectus meus mihi inter ubera mea commorabitur* Conferte istud dicto justi Simeonis: *Ecce hic positus est in signum, cui contradicetur: & tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Et paulo post: Nolite solam attendere horam, vel diem illam, in qua vidi talem Dilectum ab impijs comprehensum, male tractari, illudi, spinis coronari, flagellari, felle, & aceto potari, lancinari, mori & sepeliri Nam tunc quidem gladius animam meam *pertransivit*: sed antequam sic pertransiret, *longum per me transitum fecit.* Prophetissa namq; eram: & ex quo Mater ejus facta sum, scivi, eum ista passurum. Cùm igitur talem Filium sinu meo foverem, ulnis gestarem, uberibus lactarem, & talem ejus futuram mortem, semper præ oculis haberem, & Prophetica, imò plus quam Prophetica mente præviderem: qualem, quantam, quàm prolixam, me putatis materni doloris pertulisse passionem. Hoc est, quod dico: Fasciculus myrrhæ Dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. O commoratio dulcis quidem, sed plena gemi-

gemitibus inenarrabilibus! *Hæc Rupertus.* Similia habentur apud S. Brigittam in serm: Angel. c. 17.

Gladius igitur doloris jam ab ipsa Conceptione Filij infixus fuit Animæ DEIparæ V. & per eam longo triginta trium annorum tractu transivit, donec in morte ejusdem penitus pertransiret: ut dixit Rupertus. Nostrum est non delicatos nos præstare sic transfixæ Matris ac Dominæ servos. Verbulo, non gladio, fere exanimamur.

II FEBRVARII.

DEI, JESU & MARIÆ affectus tempore Præsentationis Christi in templo.

1. ADora DEUM O. M. & considera, quantopere delectatus sit præsentatione & oblatione Filij sui in templo. A condita æde illa, imo orbe, nunquam comparuerunt tales offerentes, nec unquam talis oblata est hostia. Nonne hujus potiùs sacrificij, quàm quod obtulit Noe Genes: 9. *Odoratus est Dominus odorem suavitatis?* Nonne & ipse, ut olim Isaac, dixit: *Ecce odor Filij mei, sicut odor agri pleni.* Genes. 27. At nobis cavendum ne audiamus illud Isaiæ imo: *Ne offeratis ultra sacrificium frustra; incensum vestrum abominatio est mihi. Manus enim vestræ plenæ sunt sangvine,* & alijs immunditijs.

2. ADora D. JESUM, & considera: quo affectu se obtulerit Patri in hac solemni sui Præsentatione in perfectissimum holocaustum, pro ipsius gloria; in hostiam propitiatoriam pro peccatis totius mundi; in hostiam pacificam pro stabili pace, inter DEUM & homines. Obtulit se totum & ad omnia, sine ulla exceptione, obtulit pro omnibus sine ullius exclusione, ac inter alios, clarè, distinctissimè, ac disertissimè obtulit se pro me. Quis? pro quo? O prodigium amoris? Infans JESUS sui incurius, solicitus fuit de me! Quando tandem, ah quando, ego me totum ipsi!

3. VEnerare DEIparam V: & considera, quo affectu & ipsa Patri æterno obtulerit Filium suum & ipsius. Quo fuerit perfusa solatio, quòd haberet aliquid in ulnis suis, de sangvine suo, quòd esset munus omninò dignum DEO, & quod non posset non summè placere? Quomodo hoc ipso animata fuerit, ad agendum ardentissimè negotium Salutis nostræ coram DEO cui tale ac tantum offerebat munus? Offer etiamnum ô Gratiosissima, iterum iterumq; Filium tuum pro me, nunc lactentem, nunc Crucifixum, & cruentum: quia multa opus est & magna oblatione, ut tantus salvetur peccator. Ego quoq; Patri æterno offeram me ipsum

unà cum Filio ipsius, tanquam denarium inutilem cum infinita massa auri probatissimi.

Propositum v. g. de sincera Oblatione nostri ipsorum in omnem voluntatem DEI.

LECTIO PRACTICA.

Quàm Gratitudinem debeamus DEIparæ V. pro oblato pro nobis & redempto Filio?

Solemnitas, qua hodiè DEIpara V. more à lege præscripto, Patri æterno obtulit pro nobis Filium suum, exigit omnino: ut & nos solemni quadam nostri, vel rerum nostrarum oblatione, eidem nostram testemur gratitudinem. Quid enim charius, aut præstantius, vel in rem nostram accomodatius, offerre potuit; suumq; tum erga DEUM, tum erga nos testari affectum? Quid? quòd non solùm obtulerit; sed etiam redemerit eundem Filium suum à DEO, oblatis, secundùm legem Numer. 18. Sacerdoti quinq; siclis: ut non tantùm nobis datus, nobis natus; sed etiam nobis emptus esset; atq; hoc etiam titulo cederet totus JESUS in usus & commoda nostra.

Huic affectui DEIparæ aliquatenus responsuri, varias Clientes ipsius adornare solent oblationes. 1. Offerunt ei se ipsos in servos perpetuos, & infima Mancipia, adhibitis certis ritibus & formulis, quas quotidie, aut aliquoties in diem, iterant. B. Petrus Damiani refert de fratre suo Marino: quòd coram altari DEIparæ V. tradendo se eidem in Mancipium æterum & vilissimum, loro collum innodârit, & flagris acriter in se adverterit, tanquam in ignavum & contumax mancipium: insuper nummis aliquot super aram positis, promiserit annuatim similem pensionem, in tesseram subjectionis suæ. Similis subjectionis insigne pretium tulit piissimus Walterus de Birbach, Nobilis Belga. Nam cùm in Sacrificio, cui Walterus devotè intererat, Sacerdos consecratum Calicem elevaret: apparuit super pedem calicis Crux eleganter ex auro elaborata cum hac epigraphe: *Hanc Crucem nomine DEI Matris fer Waltero Equiti degenti in Birbach.* Accepit Vir pius, qua decuit reverentiâ, munusculum Dominæ, simulq; cum eo lumen cœleste, quo intellexit: se à V. DEIpara invitari ad ferendam cum Filio suo Crucem; ut sicut Matris obsequijs solemniter se addixerat, ita & Filij addiceret. Rebus igitur properè compositis, sacro Cisterciensium Ordini accessit, & vitam sanctam sanctè conclusit. Cæsarius, qui hæc scribit; addit: se dicto Waltero perfamiliarem fuisse, sæpiusq; à se visam Crucem illam cœlitus demissam, quæ splendore & opere aurificum nostrorum artem longè superabat.

2. Alij

2. Alij ex occaſione Cerei, qui hodie in Eccleſijs benedicitur, & pro ultimo agone aſſervari ſolet accendendus, & morientium manibus inſerendus, condunt hodie Spirituale Teſtamentum, quo DEIparam V. ſcribunt ex aſſe Hæredem totius eſſe ſui (quidquid ſit de bonis temporalibus) & omnium bonorum ſuorum ſpiritualium: ut ipſa deinceps & corpus ipſorum & animam, & utriuſq; potentias, cum omni bonorum operum ſupellectile, tanquam ſuam hæreditatem gratioſè cuſtodire, conſervare, & augere dignetur. Quod ſcriptum, cum omnibus non tam juris, quàm pietatis ſolemnitatibus ſemel rite confectum, diligenter aſſervant, ſingulis annis recognoſcunt, ratificant, & ſi quid ſit addendum, addunt. Induſtria hæc inſignem ſapit pietatem: & non levi ſolatio eſſe poteſt in confinio æternitatis; ubi humili confidentia admonere licebit Dominam: ut ſuam ſibi vindicet hæreditatem.

3. Cùm DEI Mater, & mundi Domina, inauditam hodie dederit pompam Humilitatis: ſiquidem ut una è grege mulierum, partu inquinatarũ, comparuit in templo inter illas, & purificationis ritui ſeſe ſubmiſit; intenti ſunt hodie non pauci Clientum ipſius, quomodo ei inſignem quempiam offerant Actum Humilitatis, exemplo S. Franciſci Borgiæ. Is cùm nondum plenè Ducem exuiſſet; S. Jgnatium, una cum Filio Joanne, Romæ inviſit, & qua erat in humilia propenſione, impetravit: ut in communi domûs Profeſſorum triclinio, humili menſæ liceret utriq; accumbere; ipſius autem Franciſci defectus palam coarguerentur. Altero die, qui Feſto Purificationis DEIp. V. ſacer erat, Franciſcus cum filio Joanne, omnibus in triclinio demiſiſſimè, & aperto ſemper capite, miniſtravit: deinde ad eluenda culinæ vaſa ſeſe contulerunt. Ubi cùm Joannes fictilem ex argilla patinam, diligentiùs quàm peritiùs elutam, contregiſſet: de incogitantia ſua & damno illato, palam in cœnaculo ſe accuſavit. Quanto plauſu tantam humilitatem Ducum excepit cœlum!

4. Ut oblatio noſtri, operumq; noſtrorum bonorum, gratior veniat in conſpectum V. DEIparæ: conſulto offeramus illa ipſi una cum Corde Chriſti Salvatoris, exemplo S. Gertrudis, apud Barry in Anno Sancto. 25. Novemb. Quam induſtriam cœlitus docta eſt memorata Sancta: ipſaq; DEIpara ei teſtata eſt, ſibi gratiſſimum accidere: quòd tenuitatem ſuam atq; defectus in cultu & amore ſuo, hoc tanto ſupplemento compenſaret. Acuamus ergo ingenia, accendamus & multiplicemus corda clientes in amorem & cultum Dominæ. Sentiat amantes, quos habere non poteſt ſatis gratos.

DEUS jubet fugam in Ægyptum: CHRSTUS & Mater ejus promptè obediunt.

1. ADora DEUM, O. M. & considera; quàm durè habuerit familiam suam. Post incommoda non levia stabuli Bethlemitici, & viæ Hyerosolymitanæ, vix reversis in Nazareth indicit profectionem, imò fugam, in Ægyptum, idq; intempestâ nocte, per Angelum monentem in somno Josephum: *Surge, & accipe puerum, & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum*; in regionem tam longè dissitam, barbaram, præ cæteris idolorum cultu infamem. At nos, quàm delicatè haberi volumus à DEO & Superioribus vices ejus gerentibus! Etiam expressa mandata vigilantibus data, pro somnijs habemus.

2. ADora D. JESUM, & considera, quàm obedienter se resolverit ad quævis viæ, & tristis exilij incommoda, iterum ingeminando illud Isaiæ 6. *Ecce ego: mitte me*, etiam ad gentem convulsam, & dilaceratam, ad populum terribilem, post quem non est alius. Noverat puer Sapiens, quantum sit promptæ obedientiæ pretium apud DEUM, volentem obedientiam, potiùs quàm victimas. 1. Reg. 6. Nos quàm solicitè quærimus effugia? Si evadere non possumus; quàm morosè tergiversamur ad jussa divina vel Superiorum?

3. VEnerare DEIparam V. & considera, quàm promptè ac planè juxta genium Filij accinxerit se itineri eâdem nocte, cum Sponso suo, non causata viæ difficultatem, prolis teneritudinem, viatici defectum, vires nondum satis refectas post iter Hyerosolymitanum, hospitij apud Ægyptios inhumanitatem, tempus deniq; mansionis non determinatum. Noverat Virgo prudens, non rationibus cum DEO agendum esse, sed promptâ & cœcâ submissione. Gratias tibi immortales ô Domina, quòd à facie gladij Herodiani salvâris Salvatorem nostrum promptitudine obedientiæ tuæ. Fac, ut per eandem salvem animam meam.

Propositum v. g de promptitudine Obedientiæ,

LECTIO PRACTICA.

Quàm promptè sit obediendum DEO in Superioribus.

MUltum de merito obedientiæ detrahunt moræ. Ut beneficium serò datum, sic Obedientia tardè præstita, minùs grata veniunt. Cùm Christianis, nedù Religiosis, certú sit: DEO exhiberi obedientiâ in legitimis Superioribus; facile apparet, quam libenter, alacriter, & promptè sit exhibenda. *Quodcunq; facitis: ex animo operamini, sicut Domino, & non hominibus*

hominibus; inquit Apoſtolus ad Coloſſ: 3. *Scientes quòd à Domino accipietis retributionem hæreditatis: Domino Chriſto ſervite.* Unde S. Bernardus tr: de præcep: & diſpenſ: *Sive DEUS*, inquit, *ſive homo, vicarius DEI, mandatum quodcunq; tradiderit; pari profectò obſequendum eſt curâ, pari reverentiâ deferendum: ubi tamen DEO contraria non præcipit homo.*

Ut magis in particulari declaretur hæc promptitudo in obediendo; attendendum eſt. 1. & obſervandum: quid cuiq; ſuæ Leges præſcribunt. S. P. N. Jgnatius 6. part. Conſtit: c. 1. §. 1. cùm monuiſſet: ut *Obedientiam omnes plurimùm obſervare, & in ea excellere ſtudeant; nec ſolùm in rebus obligatorijs, ſed etiam in alijs*; addidit: *Licèt nihil aliud, quàm ſignum voluntatis Superioris, ſine ullo expreſſo præcepto videretur:* Et paulò poſt: *Ad vocem Superioris* perinde ac ſi à Chriſto D. egrederetur, *quàm promptiſſimè ſimus: re quavis, atq; adeò literâ à nobis inchoatâ, necdum perfectâ, relictâ: ad eum ſcopum vires omnes ac intentionem in Domino convertendo; ut Sancta Obedientia, tum in executione, tum in voluntate, tum in Intellectu, ſit in nobis ſemper omni ex parte perfecta; cum magna celeritate, ſpirituali gaudio, & perſeverantiâ, quidquid nobis injunctum fuerit, obeundo.* Eam igitur à ſuis requirit S. Jgnatius obediendi proptitudinem: ut 1. obediant etiam in rebus non obligatorijs, quæ ſcilicet, non accedente ſpeciali Superioris diſpoſitione, liberè omitti poſſent. 2. Non expectent expreſſum præceptum, ſive ex virtute S. Obedientiæ, ſive alijs formulis imperativis; qualibus velut ſtimulis, ignavi & calcitrones opus habere ſolent. 3. Nec morentur: donec à Superiore rogentur, vel invitentur: ſed habito ſigno quocunq; voluntatis Superioris, faciant facienda. 4. Tam promptè abrumpendæ moræ omnes: ut etiam litera inchoata, relinquatur imperfecta. 5. Vires omnes in id convertendæ; ut Obedientia S. *ſemper & omni ex parte, ſit in nobis perfecta.* Quid ampliùs dici poteſt? Nonne, ut Caſtitatem, ſic Obedientiam planè Angelicam requirit S. P. N?

Et ſanè habuit, habetq; non paucos è Socijs, qui hanc Conſtitutionem impleverunt, & etiamnum implent, uſq; ad ſummum. Magnus Indiarū Apoſtolus, S. Franciſcus Xaverius, cujus hodie promptiſſimam Obedientiam reliquaſq; virtutes Apoſtolicas ſolemniter veneramur, quomodo ad nutum Jgnatij, Indias monſtrantis, exultavit ut gigas, ad eam currendā viam? nec ſegnior eam remenſus fuiſſet ab extremo mundi limine in Italiam: ſi Jgnatianum I. reperiſſet ſuperſtitem. P. Julius Mancinellus Apoſtolicus inter Turcas & alibi operarius, dicere ſolebat: Ad obediendum Superiori, magno & parvo, quiſquis eſſet, non ſolùm ſe relicturum fuiſſe

fuisse hunc vel illum locum meliorem, hoc vel illud officium, quod arrideret genio suo: sed etiam, si in lustralibus flammis jam salutis securus, imò si in cœlo beatus jam consedisset, exiturum se cum beatitudinis incertitudine, iturumq; illuc, quo obedientia destinasset. Proh! quantas vir tam obediens locutus est victorias! Nec solùm locutus est, verùm & fecit, egregiè exercitus etiam in maximè arduis. P. Augustino de Espinosa dixit Medicus fore, ut oculorum usum amitteret, si foras prodiret. A Superiore aliquo missus, id, quod erat, dixit; sed adjecit: se nihilominus ire paratum, si ita vellet Superior. Eo volente, quòd minus crederet periculum, exijt P. Augustinus, & cœcus domum redijt, majore Superioris, quàm suo luctu; imò lætus ob oculos Obedientiæ impensos.

Nec desunt, qui nullo obligati Religioso voto, promptissimam tamen præstiterunt obedientiam ijs, quibus sese submiserunt regendos. Loquebatur aliquando S. Philippus Nerius de Obedientiæ virtute coram suis prope stagnum aliquod. Inter cætera, Quis, inquit, inter vos erit, qui jussus, in hanc se lacunam promptè projiciat? & subitò unus, non expectato imperio in illam desilijt, magnum vitæ periculum aditurus, ni Socij præstò fuissent. Marcum Antonium Maffam qui in animum nunquam inducere potuit; ut ad populum verba faceret: jussit Philippus id sine tergiversatione agere. Paruit propmtè, dixitq; ut potuit: sed inde tam apposité & zelosè dicere cœpit, ut inter primarios concionatores computaretur. Non quàm bene jubeant Superiores: sed quam religiosè pareant subditi; pensat DEUS. *Baccius in Vita c. 20.*

Egregiè Bernardus serm: de Obed: *Fidelis obediens,* inquit, *nescit moras, fugit crastinum, ignorat tarditatem, præripit præcipientem; parat oculos visui, aures auditui, linguam voci, manus operi, itineri pedes; totum se colligit, ut imperantis colligat voluntatem.* Nimirum *Acceptus est regi minister intelligens.* Prov. 14. cui pro imperio vultus est Domini.

IV. FEBRUARII.

DEUS permittit cædem Bethlehemitarum Infantium: Christus & DEIpara V. cedunt furori Herodis.

I. ADora DEUM O. M. & considera, quàm severè castigârit inhumanum Filij sui neglectum à Bethlehemitis, & eorum vicinis commissum. Habuerunt satis manifesta de ipsius Nativitate argumenta à pastoribus, & tribus Orientis Regibus: non tamen quisquam invisurus, nedum adoraturus, accessit Infantem divinum Salvatorem suum. Ergo

DEUS subtraxit illis filium suum eumq; in Ægyptum ablegavit; ut eam consecraret in Paradisum Ascetarum. Infantes autem Judæorum furori Herodis permisit, & per latera filiorum petijt corda parentum. Non tutò negliguntur DEUS ac divina.

2. ADora D. JESUM, & considera eum etiam in Infantia, ut Regẽ magnum super omnes deos, ad cujus ingressum in Ægyptum corruisse deastra seu idola Ægyptiorum fama est, & colligitur ex Isaia 19. *Ecce Dominus ascendet super nubem levem* (portatus nimirum ulnis Virginis Matris) *& ingredietur Ægyptum, & commovebuntur simulacra à facie ejus.* Qui tenebrarum potestates profligavit in Ægypto, poterat & in Judæa debellare Herodem: sed maluit se acerbiori servare neci propter nos, & documentum interim præbere, *Cedendum esse iræ.*

3 VEnerare DEIparam V. & considera eam, ut *Nubem illam levem* quâ prædixit Isaias citatus Christum deportandum in Ægyptum. Erat nubes levis, quia nullius peccati, aut concupiscentiæ, aut conjugij onere gravata, super res omnes creatas evecta, non fœta grandine vel fulminibus vindictæ, sed plena rore divinæ gratiæ, humanitatis & Clementiæ. O & mihi guttam aliquam hujus roris, ô Gratiosissima, quo extingvatur in me ardor vindictæ. Cedam potiùs, exemplo Filij tui, persecutoribus meis, quàm ut obstinatus resistam. In sinum tuum, & vulnera JESU me recipiam: ibi securus latebo, & triumphabo.

Propositum v. g. de cedendo iræ alienæ, etiam injustæ.

LECTIO PRACTICA

Quomodo cedendum iræ alienæ.

DOcet exemplo suo Christus Infans. Furenti enim Herodi non restitit, quàmvis facillimè potuisset & machinas illius omnes evertere, & ipsum mille modis & vijs perdere. Quinimo cessit, non solùm è conspectu, sed tota ipsius ditione: nec redijt importunè, sed post fata tyranni. Eadem & nobis præstanda; si evitare volumus non pauca, nec levia incommoda.

Inprimis *Non resistendum irati*, sive reponendo convicia, diras, & maledicta; sive importunas prætexendo excusationes, aut intempestivè interponendo patronos. Nam reponere diras & convicia, est Ignem fodere gladio. ut dixit Pythagoras, adeóq; per lignorum commotionem majus excitare incendium. Seu, est incendium extingvere oleo: & à verbis provocare adversarium ad verbera, duella, & cædes. *Ubi zelus & contentio: ibi inconstantia & omne opus pravum.* Jacob. 3. 16. *Cùm sit inter*

vos zelus & contentio: nonne carnales estis? 1. Cor. 3. Qui enim spiritu DEI aguntur: filij pacis sunt & dilectionis. Advertit S. Hieronymus in cap. 5. ad Galat: v. 20. inter opera carnis ab Apostolo septimo loco *Contentionem, quasi quodam sacrato & eminenti inter vitia numero collocatam;* utpote multorum & gravium malorum fœcundam. Excusationes quoq; frustra prætenduntur ubi hominem bilis occupavit, & ratio domi non est. Omnia accipiuntur in sinistram partem, sicut bilioso palato omnia videntur amara. Patroni etiam nihil plerumq; ibi proficiunt; ubi præjudicata authoritas in affectu est. Quiescendum igitur, donec deferbeat æstus, & hominem iterum agere incipiat adversarius. Si quem non pudebit Xantippen agere; tibi decorum erit Socratem repræsentare.

Secundò: Si verbis modestis, aut silentio nihil proficitur: *Cedendum est loco, & è conspectu abscedendum.* Non est id dedecori, etiam nobili viro, præsertim Christiano. Nam ut Salomon testatur Prov. 20. 3. *Honor est homini, qui separat se à contentionibus.* Quia hoc ipso & Sapientem, & Fortem, seu Magnanimum se probat. Sapientem: quia altercari non vult cum stulto, seu brevi insania laborante. Magnanimum & Fortem: tum quia non curat sermones imprudentum, qui fortè discessionem ipsius timiditatem interpretabuntur; tum quia bonum pacis non levi incommodo suo promovet; tum quia adversario parcit, & quodammodo palmam concedit. *Magnanimus quisquis est, litem exscindit* (abscedendo) *& adversario parcit:* inquit Musonius.

Usi sunt hoc consilio Abraham & Lot. Gen: 13. qui, ne jurgiorum à familia concitatorum contagio serperet ad ipsos; maturè separari maluerunt. *Ne quæso,* inquiebat Abraham, *sit jurgium inter me, & te, inter pastores meos, & pastores tuos: Fratres enim sumus. Ecce universa terra coram te est: recede à me obsecro. Si ad sinistram ieris: ego dextram tenebo: si tu dextram elegeris, ego ad sinistram pergam.* Compendiosiùs legit Hebræus: *Si tu sinistrabis; ego dextrabo: si tu dextrabis ego sinistrabo.* Usi sunt & Apostoli, Paulus & Barnabas, non quidem orta culpabili aliqua contentione; sed ne oriretur: ideoq; separari maluerunt Act: 15. *Mihi videtur disertè separatio Pauli à Barnaba facta; quòd inter se dixerint: Quoniam ego non volo, nec tu vis: ne pugnemus, distribuamus provincias. Et ita sibi invicem multum cedentes, hoc fecerunt:* ait S. Chrysostomus. Jacob Patriarcha in Mesopotamiam usq; secedere maluit, quam jurgari cum fratre Esau. Gregorius Nazianzenus tum maximè sublimissimum Theologum, & fortissimum Præsulem se probavit: quando æstuantibus bile adversarijs, & urbe & Ca-

thedrâ

thedrâ suâ cessit. Rectè S. Ambrosius lib. 1. Offic: c. 21. *Resiste iræ, si potes: cede, si non potes. Quia scriptum est* (Rom. 12. 19.) *Date locum iræ. Jacob fratri indignanti piè cessit: & Rebeccæ, id est Patientiæ, instructus consilio, abesse maluit. Et ideo tantam apud DEUM invenit gratiam.*

Tertiò, *Non redeundum immaturè*: ne immaturus reditus non satis obductum & sanatum ulcus refricet. Biliosi spiritus, quam penitius tinxerunt mentem, non citò dimittunt. Diu, velut sopiti, langvent: præsentia adversarij, ut pulvere pyrio, sæpe exardescunt. Jacob Patriarcha post annos 20 vix ausus est venire in conspectum Fratris, idq; multis muneribus placati. Juvat interim adhibere sequestrum, virum quempiam bonum, si opus sit; & tempus ipsum. Omnia deniq; eâ prudentiâ ordinanda sunt: ut, quod docet Apostolus cit: non vincamur a malo; sed vincamus, exemplo Salvatoris, in bono malum. Ad victoriam connitendum omnino: sed ad incruentam, nec lividam; sed Christiano dignam. Non unus in silentio, aut clypeo tantùm pugnando, imo fugiendo, gloriosiùs vicit. Quas suspicit mundus victorias, bellunæ sunt, aut minùs humanæ. Optimè Cardin: Bellarminus apud Corn: a Lap. in 20. c. Prov: *Melior est uncia pacis & charitatis, quàm libra victoriæ.*

V FEBRVARII.

DEUS revocat Christum in Judæam: CHRISTUS cum Matre revertitur in Nazareth.

I. ADora DEUM O. M. & considera, quòd Filium suum, quantumvis ætate & complexione teneriorem, exulantem in Ægypto non revocarit in patriam; nisi postquam *defuncti sunt, qui quærebant animam pueri.* Matt: 2. Servare illum facilè poterat indemnem etiam in Judæa & vivente Herode, sed maluit illum periculo subducere, quàm in periculo servare. Potens est DEUS miraculorum, sed non prodigus. Vide, ut te, in pericula peccandi non ingeras, & ex ijs maturè subducas. Quis enim tibi protectionem miraculosam DEI promisit? Ordinariè, *Qui amat periculum peribit in illo.*

2. ADora D. JESUM, & considera; eum ex Ægypto reducem, non Hierosolymam concessisse, sed in Nazareth, oppidum obscurum, & mala famâ laborans, de quo dicebatur proverbio: *A Nazareth potest aliquid boni esse?* Joan. 1. Sic DEI Filius & Dominus noster splendores hujus mundi despexit, & Stabulum Bethlehemiticum elegit suæ Nativitati, Nazareth educationi, montem Calvariæ morti. Nos omnia Illustria, imo

Illustrissima, quærimus & ambimus: per fas & nefas eluctamur è tenebris congenitis. O lux mea, JESU! amem nunc sepeliri tenebris, ignotus & ignobilis, ut olim lux perpetua luceat mihi, & vivam tecum in splendoribus Sanctorum.

3. VEnerare DEIparam V. & considera eam cum JESU suo, & Sponso Josepho revertentem in domum suam Nazarenam, humilem & angustam (qualis etiamnùm Laureti in Italia cernitur) sed juxta interpretationem nominis sui *Floridam*. Vivebat in illa cum delicijs suis JESU & Josepho, ut in horto concluso, ut in cella religiosa, ut in cœlo empyreo. Valete mundi palatia, quantò magis exaltata, tantò minùs JESU & MARIÆ amata. Mihi quoq; ignobilia & obscura mundi pretiosiora erunt.

Propositum v. g. de eligenda potiùs habitatione privata, quàm in publico.

LECTIO PRACTICA.

De Amore & studio Vitæ Solitariæ.

FRequentiam hominum passim amamus homines tanquam animalia Socialia. At ecce exul JESUS in patriam redux ex Ægypto, vitam solitariam nobis commendat; dum habitationi suæ non Hierosolymā, urbem nobilissimam populosissimamq;, sed infrequens & ignobile oppidum Nazareth, eligit. Exemplum ejus secuti sunt ingentia piorum agmina; quorum alij in abstrusissimas solitudines sese abdiderunt: alij in ipsis urbibus ut in solitudine vixerunt, magna animi sui pace, imò jucunditate.

S. Hieronymus, postquam satis superq; degustato mundo, se in solitudinem recepit; & hujus delicias cum illius voluptate diligenter ac experimentaliter contulit: non dubitavit, palam enunciare: *Mihi cætera carcer; & solitudo Paradisus.* Hic mille molestijs exemptus sum, hic occasionibus DEUM offendendi innumeris careo; hic cum DEO & Angelis familiariter agere, quoties & quamdiu volo, licet. Nullus interpellator avocat, nulla redhibenda sunt officia, nullis lacessor epistolis, nullæ me inquietant de republica curæ, aut vani rumusculi. Ad satietatem attendere possum DEO, & mihi.

Cæterùm cùm his sæculis vita anachoretarum jam exoleverit; nec cuilibet opportunum sit in eremum se recipere: ne tamen commodis vitæ solitariæ privemur; dispicere oportet: quomodo etiam in media hominum frequentia solitarij esse possimus. Posse id fieri, docuit Christus S. Philippum Nerium, quando ei dixit: *Philippe, oportet te in urbe Roma, sicut in eremo vivere.* Et expressiùs S. Bernardus: *Secede, inquit, non corpore, sed*

tentione & devotione. Quid prodest solitudo corporis, si desit solitudo cordis? ait Gregorius M. Non ergo jam in Ægypto, sed domi nostræ instituenda Vita solitaria.

Qui divino servitio in domibus Religiosis sunt addicti, habent ibidem hanc solitudinem, habent cœlum in cella sua, modò se illi credant; & nolint esse ex eorum libertinorum numero, quibus non solum cella sed Collegium amplum, seu Conventus, angustus est, quorum omnes anguli domûs, imò civium ædes, & Magnatum palatia plena sunt. Qui vero liberiorem agunt vitam Religiosis votis non adstricti; deligant sibi partem aliquam domûs suæ a turbis remotiorem, in quam semel iterumq; per diem se recipiant, ad cogitandum de Divinis, orandum DEUM, Spiritualem aliquem libellum legendum, Examen conscientiæ absolvendum, & tractandum cum DEO de rebus & negotijs suis. Male enim rebus suis consulunt, qui de illis solùm tractant cum hominibus, vel secum ipsis, non consulto DEO, à quo primariò successus bonus expectandus. Tale Eremitorium habuit famosa illa Heroina Judith in superioribus domus suæ; habentq; passim Mandarini Sinenses; S. Carolus Borromæus in monte Varallo, Carolus V. Imp: habuit in Asceterio Hieronymianorum: Prælati quidam & Magnates habent in hortis suis: & sic saltem una hora quotidie vivere possunt in quadam sancta solitudine, & Solitariorum delibare felicitatem.

Melliflué, & sicut apicula in favo, Bernardus: *Cæli & Cellæ*, inquit, *habitatio cognata. Cella & Cælum cognationem habent nominis, sic & pietatis. Cælum dicitur à celando: & quod celatur in cælis, hoc & in cellis: quod quæritur in cælis, hoc & in cellis, nempe vacare DEO, frui DEO. A cella in cælum ascenditur.* Qui enim illuc se recipit: *Sedebit solitarius & tacebit; quia levabit se super se*: ut dixit Jeremias Thren: 3. Inde sine arbitris confidentius licet oculos manusq; tollere in cœlum, erumpere in ardentia cœlestium desideriorum suspiria, cor suum aperire DEO, & conversari cum Divis. Cella igitur domestica parva eremus est in medio civitatis: & simul Conclave est Divini Amoris, in quo is jura dat, & nostra recipit officia. Quin & Templum est, in quo noster in DEUM Amor agit Sacerdotem, nunc vota reddendo DEO; nunc laudis, nunc gratiarum actionis, nunc cordis contriti sacrificium illi offerendo.

Meritò iterum Bernardus: *O anima sancta, sola esto: ut soli omnium serves te ipsam, quem ex multis tibi elegisti. Fuge publicum* (quantum ratio Officij permittit) *fuge & domesticos. An nescis: te habere Sponsum verecun-*

dum, qui nequaquam tibi velit suam indulgere præsentiam præsentibus cæteris. Recole, quod dixit Ethicus ille: Quoties in publico fui, pejor redij. Considera & illud Kempensis Ascetæ: *In omnibus requiem quæsivi & non inveni: nisi in angello cum libello.* Idem, dum diutiùs officij, vel alicujus publici negotij causâ distrahebatur, recepturus se in cellam dicere solebat: *Charissimi Fratres, oportet me recedere. Est enim in cella, qui me expectat.* Cellam verò ingressus, demittebat se in genua, dicens cum Samuele: *Loquere Domine: quia audit servus tuus.* Delicias beatæ hujus solitudinis qui spernunt Religiosi, mundum merentur pro carcere: qui degustárint sæculares, exclamabunt dubio procul cum Cornelio Musio Anglicano Martyre; *O beata solitudo! O sola Beatitudo!*

VI. FEBRVARII.

In DEI Domo invenitur CHRISTUS duodennis à DEIpara V.

1. ADora DEUM O. M. & considera, quòd, quamvis in omni loco religiosè & fructuosè coli possit; tamen velit in quibusdam à se electis locis, & templis solemniter adorari. Unde ter in anno, in festis Paschatis, Pentecostes, & Tabernaculorum viri omnes Hyerosolymam confluere debebant, adoraturi in templo. Decet enim, Supremam Majestatem á subditis conglobatis, tanquam viro uno, & corde uno, subinde coli in palatio clementiæ & gloriæ suæ. Vide, quam frequentiam & reverentiam exhibeas ejusmodi locis.

2. ADora D. JESUM, & considera: eum etiam in teneriore ætate consuevisse ascendere Hyerosolymam ex Nazareth, ut in domo sua Patrem adoraret; duodennem verò, abeuntibus & inscijs parentibus, remansisse Hierosolymæ, ut ibi radiolum aliquem Sapientiæ & divinitatis suæ spargeret, ac velut discendo, magisterij sui poneret rudimenta. O quantâ humilitate, modestiâ, & prudentiâ discipulum Hebræorum agebat Doctor Angelorum! Nos quanto fastu & strepitu, ruditatem potiùs quàm scientiam nostram, jactamus miseri stolones! Doce me divinissime Puer, paucis intellectam, à paucissimis in praxim deductam lectionem, *Sapere ad sobrietatem.* Rom. 12.

3. VEnerare DEIparam V. & considera, quâ solicitudine & dolore quæsierit, quo gaudio & voluptate invenerit amissum Filium. Non tamen gaudij impotens, irruit in medium, filiumq; materno jure abduxit, sed pascebatur ejus modestia in proponendo, prudentia in respondendo, factoq; disputationi fine, humiliter ac blande questa est potiùs,

quàm expostulavit: *Fili quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus, & ego* (præponit humiliter Sponsum, & existimati nomine Patris honorat) *dolentes quærebamus te.* Quàm segniter quærimus nos? quasi nesciremus: cum JESU perdita esse omnia? Quàm inepte quærimus alibi, quàm in Templo, domo Patris sui!

Propositum v. g. de quærendo diligentiùs in Templis Christo.

LECTIO PRACTICA

De frequentatione & Veneratione Templorum.

QUàm frequentes & reverentes in Templis nos esse oporteat: ex 3. potissimùm capitibus colligitur. 1. Quia Templa sunt Domus propriæ DEI, in quibus veluti thronum Clementiæ suæ collocavit, & Majestatem suam vult adorari, atq; placari. De singulis dici potest illud Gen: 28. *Verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam. Non est hìc aliud, nisi Domus DEI & Porta cœli.* Imò non porta solùm cœli, sed cœlum quoddam. Hic enim DEUS, licet invisibili modo, explicat gloriam suam non minùs, quàm in templo Salomonis; imò magis, quia non jam per nebulā aut ignem coruscantem, sed per prædicatorum doctrinam & lumina cœlestia. Hic Angelici Spiritus assistunt aris; prout Leontio Abulensi, ut refertur in Prato Spirit: revelatum fuit: & vota precesq; hominum, velut thymiama quoddam gratissimum offerunt in odorem suavissimum Domino. Hic personant divinæ laudes, & carmina tam Eucharistica, quàm propitiatoria. Hic, quod Cœlum ipsum invideat, peragitur sacrosanctum & tremendum Divinæ victimæ, Agni tollentis peccata mundi, sacrificium.

Unde quod de templo Hierosolymitano dictum est Psal. 5. *Introibo in domum tuam: adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo*; & Habac. 2. *Dominus in templo sancto suo: sileat à facie ejus omnis terra*; id de Templis Christianis tenendum à potiori: ut meritò S. Nilus inculcárit hominibus: *Ecclesiam non secus ac Cœlum frequenta; nihilq; in ea aut loquere, aut age, quod terram sapiat.* Meritò Philippus II. Rex Hisp: duos è suis Magnatibus prohibuit, ampliùs venire in conspectum suum: quòd liberiùs in templo confabulati fuissent. *Drexel. l. 2. Tribun. c. 9.* Severior Rex quidam Indus in nobiles duos ephebos suos ante ædem sacram perstrepentes, jussit gladio adverti, tanquam in reos læsæ Majestatis divinæ. Et luissent capite petulantiam: nisi Lusitani docuissent: Clementiam fore DEO gratiorem. *Joan: Rho. lib. 3. c. 1.* Frequentes autem nos esse convenit in Templis quia sunt Domus Patris nostri. Probi filij libenter versantur in ædibus parentum.

2. Ad frequentanda & veneranda Templa urget nos: quòd Christus, Dominus & Salvator noster, in ipsis corporaliter resideat sub speciebus Eucharisticis, nostrâ causa. Crassa autem inurbanitas est, saltem semel in dies singulos non invisere Christum, aut irreverenter in ejus præsentia se gerere. Abulensis notat in cap. 34. Exod. quòd à populo Israelitico maxima reverentia exhiberi debebat in loco, ubi manifestatio DEI in aliquo signo externo fiebat, & addit: *Nullus tamen est locus, in quo magis eum in reverentia magna habere debeamus, quàm ubi est sacratissimum Corpus Redemptoris: cùm nihil sit, in quo manifestior DEI præsentia appareat.* Hinc monet fideles S. Jgnatius M. in ep. ad Magnes. *Omnes ad orandum in idem loci convenite: sit una communis precatio, una spes in charitate & fide inculpata in Christum JESUM, quo nihil præstantius est. Omnes velut unus quispiam, ad Templum DEI convenite, ad unum altare, ad unum JESUM Christum Sacerdotem.*

3. Beneficia & faciliùs & plura, & majora obtinentur in Templis. *Replebimur in bonis domus tuæ:* inquit David Psal. 64. Et Isaias c. 56. *Lætificabo eos in domo orationis meæ: holocausta eorum, & victimæ eorum placebunt mihi super altari meo: quia domus mea domus Orationis vocabitur cunctis populis.* Quantas gratias promiserit DEUS orantibus in templo Salomonis: patet ex 2. Paralip. 7. Non est autem abbreviata, imò dilatata, manus Domini in Templis nostris; utpote quæ dignioribus Sacrificijs, majoribusq; Sacramentis consecrantur. *Vitæ diligentiam & puritatem nihil sic efficit, & corrigit: ut continua in templis conversatio, & alacre ad audiendum verbũ DEI studiũ:* ait S. Chrysost: hom. 69. Imperator Sinarum Xunchi Templo nostro in Metropoli sua Pechinensi, à P. Adamo Schall S. J. Anno 1650. eleganter exstructo, Titulum hunc à se conscriptum honoris gratiâ præfigi voluit: *Tu hi ven hia Kim.* Id est, *Excellens penetrando cælo locus.* Penetrat sanè faciliùs cœlos fusa in Templis oratio, & descendit copiosior DEI miseratio: ut communis docet Sanctorum sensus, & experientia.

Hinc viri Sancti, quàmvis ubiq; erectam habent mentem ad DEUM: in templis tamen amant commorari libentiùs, orare prolixiùs, & meditari attentiùs. Sic S. Franciscus Xaverius ubi in templis orandi dabatur copia; in ea se libentissimè abdebat, & noctes insomnes ante aram traducebat. Templum illi Goæ & Malacæ pro conclavi fuit: quidquid residui temporis ei labores Apostolici relinquebant, ibi ferè transigebat. Meliaporæ quàmvis transitus ad templum ex ædibus Vicarij Episcopi, apud quem hospitabatur, horrendis spectris infestus esset, absterritus minimè est;

quin noctibus illud adiret. Hunc sui contemptum, & tot animas sibi ereptas ægriùs ferentes orci satellites, orantem ante aram DEIparæ V. inter horribiles clamores ita delumbarunt; ut biduo è strato surgere nequiret. Quàm primùm nihilominus pedibus consistere potuit; ædem sacram nocturnus orator repetijt ut antè, frustra à longè frendentibus dœmonibus. *Bartoli in Vita l. 1. & 4.*

Stanislaus Hosius Card: non minus pietate & scientiâ, quâm dignitate Eminentissimus, ne in suprema quidem infirmitate, & summo corporis langvore detineri potuit; quin antiquissimo more suo pro Sacro faciendo vel audiendo ad templum se conferret; privato Oratorio in eum finem non admisso. *Rescius in ejus Vita lib. 3. c. 19.* Singularis in hoc genere enituit etiam pietas Dominici Anadoni Ord. Prædic: qui singulis diebus centum aras, quas Valentinum in Hispania cœnobium habet tum intra ædem sacram, tum inter parietes domesticos, devotè adibat; singulisq; advolutus, præpotenti DEO centum laudis hostias, novo atq; admirabili hecatombes genere, immolavit. *Joan: Rho lib. 9. c. 8. n. 4.* Cæterùm audiendus S. Eucherius *hom: super* Oportet semper orare. *Non in hoc solùm,* inquit, *divini timoris officium est; ad Domum DEI corporaliter convenire, & visibiliter genu flectere: sed animam supplicationis affectu impetrationis fructu dignam facere; & ad exorandum, fide & operibus præparare.*

VII. FEBRVARII.

DEVS voluit CHRISTUM & Matrem ejus per annos 30; occultam agere vitam.

1. ADora DEUM O. M. & considera, quâm alto consilio voluerit Filium suum occultam vitam in Nazareth agere usq; ad annum ætatis trigesimum, & Lucernam Israel, imò mundi utriusq; Solem, latere sub modio. Parabatur Christus in maximam DEI Gloriam, debebatur ipsimet honor & gloria summa: & tamen DEUS intra vulgus latere eum voluit tempore tanto. Nimirum nostram compescere voluit ostentationem. Irruimus immaturiùs in publicum, videri volumus, & quidem majores, quâm simus; quamvis & divino, & nostro honori consultiùs esset, latere adhuc. O Domine dispone tu de me; ego amabo nesciri propter te.

2. ADora D. JESUM & considera, quâm libenter se conformârit voluntati Patris, quò ad vitam occultam: quomodo inaccessibilem divinitatis suæ Lucem velut nube involverit, nec alius tanto tempore videri

videri voluit, quàm fabri filius, & faber. Unde etiam postea de ipso prædicante dicebant: *Nonne hic est fabri Filius?* Matt: 13. Et, *Nonne hic est faber, filius MARIÆ?* Mar. 6. At ego te, mi JESU, etiam in illa voluntaria caligine tua, adoro, & confiteor fabricatorem mundi DEUM verum de DEO vero. Doce me, latere tecum.

3. VEnerare DEIparam V: & considera, quomodo omnia quæ eo tempore gerebantur circa Filium, vel à Filio, tacita conferebat in corde suo, combinando sequentia cum antecedentibus, atq; in omnibus mirabilem DEI providentiam, & Sapientiam venerando. Non spargebat intempestivè in vulgus vel cognatos, juxta agnatam sexui suo pruriginem, quam pretiosa gemma lateret in concha domus suæ; quam dives corona sibi esset filius suus. Et me doce, ò Domina, observare tempora, præsertim tempus loquendi, & tempus tacendi dona, quæ mihi credidit DEUS.

Propositum v. g. de negligenda ostentatione in publico.

LECTIO PRACTICA.

De Amore & studio Vitæ occultæ.

UT aves apertum cœlum; sic homines passim amamus publicum. Videre volumus, & videri. At Sapientia incarnata vitam nobis commendat occultam; Quid? Ergo omnes nos abdemus in sylvas, deserta, cryptas aut speluncas? Vel ut Reclusi, aut Claustrales vivemus domi, a sole & hominum commercio semoti? Non id agitur. Alia est, quam exemplo suo Christus & Mater ejus nobis commendant, vita occulta. Nam & ipsi modico tempore vixerunt in antro Bethlehemitico; in Ægypto non Thebaidem sed oppidum aliquod incoluerunt; in deserto 40 solùm diebus delituit jejunans Christus: cætera inter homines vixit; non solùm in terris visus, sed etiam cum hominibus conversatus. *Baruch* 3.

Vita igitur occulta, quam exemplo suo nobis commendat Christus, compatitur hominum commercium, & familiarem conversationem: est vita illa, quam egerunt etiam Colossenses alijsq; primi Christiani, de quibus scribit Apostolus Coloss. 3. *Vita vestra abscondita est cum Christo in DEO.* Non dicit: Abscondita est in eremo, vel domesticis latebris, sed in DEO. Non est abscondita cum feris & noctuis: sed cum Christo. Duplicem enim vivunt vitam homines magis probi, & Christianæ perfectionis studiosi: Una est *Civilis*, communis omnibus honestè viventibus tam sæcularibus, quàm Spiritualibus. Altera est *Privata*, Christiformis, & soli DEO nota. Nimirum in publica cum alijs conversatione exhibent se moribus hone-

honestos, sermone suaves, gestu compositos, conversatione gratiosos, atq; in omnibus ita instructos: ut qui vident, videant quidem opera eorum bona, & glorificent Patrem cœlestem; nihil tamen videant singulare, nihil extraordinariæ virtutis, nihil exquisitæ Sanctitatis. Vita ipsorum videtur solùm de Communi Sanctorum. Vivunt ad extra *similes hominibus*. At intus similes sunt Angelis, Christum repræsentant, DEO fulgent, tantò dissimiliores vulgo proborum, quantò similiores Christo.

Depinxit aliquatenus Animam hujusmodi vitæ cultricem Psalmographus quando Psal. 44. describit assistentem Specioso præ filijs hominum, Regi gloriæ, augustissima forma Reginam, *in vestitu deaurato, circumdatam varietatibus*. Sed quia ea species, quæ oculos subibat, quantumvis gloriosissima, longe erat infra eam, quæ radiabat in Mente; addidit admirabundus: *Omnis gloria ejus, filiæ regis, ab intus*. Sponsus quoq; cœlestis considerata diligentiùs Sponsæ suæ pulchritudine. *Quàm pulchra es*, inquit, *Amica mea, quàm pulchra es? Oculi tui columbarum, absq; eo, quod intrinsecus latet*. Cant. 4. Quasi diceret: Rapit cor, quod tibi spirat in vultu, quod micat ex oculis: sed magis occupat decor, quem tegis intus; tantoq; magis provocat admirationem, accendit amorem; quantò studiosiùs absconditur.

Optavit occultam hujusmodi vitam in Stoicis suis Seneca: quando eos voluit externis moribus conformari cæteris: *Intus autem sint omnia dissimilia*. Verum ubi non est solidum Christianæ Virtutis fundamentum, talis institutio facile declinat in hypocrisim: dum exteriùs ostentatur innocentia & probitas: intus autem sunt omnia dissimilia. Vel contrà facile quis persuadere sibi poterit; posse se vivere, ut mundus vivit, modo animo virtutem, seu Christianismum conclusum gestet. At occulta Christianorũ vita, de qua hic agimus, non vult interna externis esse dissimilia, & institui quædam morum mendacia: sed non manifestari omnia, quæ rectè agimus: quin potiùs præclariora studiose occultari. Nam, ut ait Bernardus serm: 4. de Advent: *Utile est abscondere magis, quàm ostentare, si quid habemus boni*. Hæc est vita abscondita cum Christo in DEO.

Talem vitam vixerunt Sancti, Philipphus Nerius, Franciscus Salesius, Franciscus Xaverius, S. P. N. Jgnatius; imò multi Principes & Prælati, teneræ Virgines & illustres Matronæ, sub splendida toga cilicia gestantes, inter negotiorum turbas contemplationi vacantes, in divitijs egentes, in delicijs esurientes, in mundi theatro eremitæ: de quibus meritò dicas, quod de Cæsario, Fratre suo defuncto, S. Gregorius Nazi-

anz. Orat: 7. *Vivebat Cæsarius soli DEO cognitus: quod majoris est pietatis.* De S. Jgnatio adhuc vivente, dixit Jacobus Eguia, qui illi erat à Confessionibus: si vel unâ horâ Jgnatio superstes esset futurus, manifestaturum se de illo, quæ de aliis Sanctis non legisset, & omnis mundus viri sanctitatem eminentissimam stuperet. Quod cùm rescisset Jgnatius: eo munere mox illum privavit, & gravibus aliis pœnis subjecit: imò creditur à DEO impetrasse; ut Eguia citiùs decederet. Talem vitam egit Constantinopolitanus ille sutor, quem Joannes vir primarius sed propter Christũ pauper, vidit vespere accedentem ad Ecclesiam S. Sophiæ, singulari luce circumfusum. Cùm autem brevieulam orationem ante fores templi fudisset, impresso signo S. Crucis aperuit eas. Ingressus orationi prolixè indulsit; egressum lux iterum circumfudit, domumq; deduxit. Insecutus est clam Joannes, ut videret, quid domi acturus esset. Vidit in vili casa suendis calceis noctem impendentem. Cùm impetrasset, aperiri sibi casam: procidit ad viri (Zacharias appellabatur) pedes, rogavitq; interposito DEI nomine, ut vitæ suæ institutum aperiret. Post multam tergiversationem non plus aperuit Zacharias: quàm se pauperem esse sutorem, cum uxore Virginitatem perpetuam colere, obtentu sterilitatis, pretium laboris dividere cum pauperibus; & cum metu, inquiebat, diem judicij expecto. His auditis, abijt Joannes, domo notatâ. Post pauculos dies Sanctos illos iterum invisere voluit; sed jam inde se transtulisse, ob metum alicujus vanitatis, deprehendit. O quàm eminentes videbimus aliquando Sanctos, quos gregarios putamus, aut vix inter justos censemus, forsan & discolos judicamus!

VIII. FEBRVARII.

DEVS vult Filium subjici hominibus: CHRISTVS vivit subditus Matri.

I. ADora DEUM O. M. & considera, quomodo Filium suum, sibi omnino parem, subjecerit hominibus, ut homines discerent subesse hominibus. Necessarium omninò est non solùm ad religiosam, sed etiam civilem vitam feliciter agendam; ut alij subjecti sint alijs: at rarus est, qui non magis præesse, quàm subesse velit. Pleriq; apud nos definitum habemus, quòd præesse, regere, & imperare non solùm possimus, sed debeamus. Hunc nocentissimum errorem, ut nobis eximeret DEUS, Filium suum hominibus subditum vivere voluit. *Erubesce jam*, inclamat Bernardus: serm: 1. super Missus: *Superbe cinis! DEUS se humiliat, & tu te exaltas? DEUS se hominibus subdit, & tu dominari gestiens hominibus, tuo*

te præ-

te præponis Auctori? Quoties enim hominibus præesse desidero, toties DEUM meum præire contendo.

2 ADora D. JESUM, & considera, quàm libenter acquieverit illi ordinationi Patris, *& erat subditus illis*; Luc. 2. Non Matri solùm sed etiã Nutritio Josepho. Exemerat illum etiam à Matris obedientia infinita sua dignitas; at ille potiùs subesse elegit, ut obedientiæ pretium & voluntariæ subjectionis studium nobis demonstraret. Nec uno alterove actu tantùm vel uno anno subjectionem testari voluit, sed totius vitæ cursu; *Erat subditus illis.* Hæc totius vitæ DEI hominis est historia ab anno 12. ad 30. Hoc solum, tanquam magis necessarium nobis, scribi, commendari, & inculcari voluit Spiritus S. Quàm gravis nobis est subjectio, etiam per modicum tempus, etiam dum pari aut meliori parendum est? Humilis obedientiæ exemplar divinum, JESU, quomodo jam grave erit mihi obedientiæ jugum, dum tu illud mecum trahis? Aut quomodo me dedecebit, quod te decuit? Subige, obsecro, indomitam libertatem meam, & effrenem elationem, ut tandem subesse tecum, & propter te, discam.

3 VEnerare DEIparam V. & considera, quam reverenter ac prudenter usa sit stupenda illa subjectione Christi. Sciebat equidem, naturam parentibus concessisse authoritatem in prolem; sed neq; nesciebat, Filium suum, etiam ut hominem, esse Personam divinam, esse Dominum, ac Supremum Principem suum; & humanitatem ab ipsa acceptam, per assumptionem à VERBO esse exemptam ab ejus obedientia, potiori jure, quàm quo persona religiosa ad summum Pontificatum assumpta eximitur ab obedientia Prælati sui. Reverentissimè igitur procedebat cum Filio, quid factum vellet, insinuando potiùs, quàm imperando; certabantq; mutuæ subjectionis studio, stupentibus Angelis, plaudente DEO. *Utrinq; stupor!* exclamat iterum Bernardus citatus, *utrinq; miraculum: quòd fœminæ DEUS obtemperat, humilitas sine exemplo; & quòd fœmina principetur DEO, sublimitas sine socio!* Magna est, ô Domina; & inæstimabilis tam humilitas, quàm sublimitas tua! Utinam, quàm remotus sum à sublimitate tua, tam propinquus essem humilitati tuæ! Da, ut amem subesse, timeam præesse.

Propositum v. g. eligendi potiùs subesse, quàm præesse.

LECTIO PRACTICA.

De Amore & studio Vitæ Privatæ.

VIta Privata dicitur, quæ non vivitur in publica honorum, seu Officiorum publicorum luce, ac sublimitate: sed in umbra domestica, & honestæ conditionis mediocritate. In hac umbra, quàm rarus est Jo-

nas, qui velit quiescere? Quanto nisu, quibus artibus & impensis eluctantur passim homines in lucem illam & celsitudinem? Omnes dedignantur subesse: quivis putat se posse, imò debere, præesse. Exemplum Regis regum Christi, & Oracula Divina, Casus quoq; luctuosissimi, & fere quotidiani honoratorum, quám paucos movent ad acquiescendum vitæ privatæ?

Monet Ecclesiasticus c. 7. 4. *Noli quærere ab homine Ducatum, neq; à Rege cathedram honoris.* Monet Apostolus Hebr. 5. 4. *Nec quisquam sibi sumit honorem: sed qui vocatur à DEO tanquam Aaron.* Monet DEUS per Sophoniam c. 3. 11. *Non adjicies exaltari ampliùs in monte sancto meo.* Monet Christus. Luc. 16. 15. *Quod hominibus altum est, abominatio est apud DEUM.* Terret Christus Luc. 10. *Videbam Satanam, sicut fulgur de cælo cadentem.* Et nihilominus miratur, & quæritur S. Bernardus serm: 4. de Ascen. *Quàm pauci evadunt, quibus non dominandi libido dominetur? Quem sequimini miseri homines? An non videtis Satanam sicut fulgur de cælo cadentem? Nonne est iste Mons, in quem ascendit Angelus, & diabolus factus est?*

Quòd non magis studeant homines coërcendo honorum & imperij appetitui, facit potissimùm defectus solidæ Considerationis, triplicis. Quia nimirum non considerant: Quám ægrè vita honorata obtineatur; quam miserè possideatur; & quám infeliciter finiatur.

Quám ægre Vita publica, seu Honorata, obtineatur: patet tum ex largientium genio, tum ex ambientium studio. Principes, Prælati & Magistratus, in quorum manibus est Dignitatum distributio, soles quidem sunt; sed non ejusdem indolis cum eo, qui orbi universo præfulget. Hic enim non exoratus exoritur; gratis spargit radios suos tam super pauperum tuguria quám procerum palatia; circumit ipse irrequieto motu, & quem benefico influxu erigere ac recreare possit, perlustrat: illi autem quám tardè, quám parcè, nec raro iniquè, dispensant gatias & munera sua? Qui verò ad altiora anhelat, quid non tentat, quid non subit, quid non prodigit? Utinam animæ propriæ parceret! *Ut Dominetur alijs, priùs servit: curvatur obsequio, ut honore donetur:* inquit S. Ambrosius lib. 3. super Luc. Innocentius III. de Cont: mund. c. 3. addit: *Humilitatem simulat, honestatem mentitur, subsequitur & obsequitur, assurgit & amplexatur, applaudit & adulatur.* Plus dicit Chrysostomus hom: de Absolon: *Ambitio docet, quod natura non novit: cupit, quod Pietas ipsa perhorrescit: audet perficere, quod novo supplicio DEUS cogitur vindicare.*

Quám miserè vita honorata possideatur: manifestum est. 1. Quòd non

tam

tam sibi, quàm subditis vivere debeant; qui dignitate eminent. 2. Quòd innumeris curis, turbis, negotijs distrahantur, & discerpantur; exiguo, quod non iniquum sit; commodo suo. *Omne, quod supereminet, plus mœroribus afficitur; quàm honoribus gaudet*: ait Isidorus l. 3. de summ. bon. c. 48. si rite præesse velit. 3. Turpi morum mutationi obnoxij sunt. *Quantò quisq; curis mundi majoribus occupatur, tantò faciliùs vitijs premitur*: pergit Isidorus. *Si enim vix animus valet peccata devitare quietus: quantò minùs occupatione sæculi devinctus.* Sancti Pontificis, Pij V. verba sunt: *Cùm essem Religiosus, bene sperabam de salute mea: Cardinalis factus, extimui: nunc Pontifex creatus, pene despero.* Corn: à Lap. in c. 11. Num: 4. Plerumq; non diu frui licet bono tantis impensis quæsito.

Quàm deniq; luctuosè finiatur Vita honorata: testes locupletissimi sunt summa mundi & Ecclesiæ Capita. Leo XI. Pontifex Max: moribundus Confessario suo in aurem dixit: Quàm meliùs fuisset mihi; si Monasterij, quam si cœli claves tenuissem! Paulus III. animam agens sanctè asseverabat: Mallem; me subjecisse coco familiæ Capuccinorum, quàm hanc DEO proximam dignitatem decennio sustinuisse. *Lohner. in Bibliot: V. Ambitio.* Philippus II. Rex Hispan: morti vicinus, exhibens filio Philippo III. vulnera vi morbi & curationum suscepta; *Vide*, inquiebat, *quàm severè, sed justè, defectus meos jam nunc vindicet DEUS: nec adhuc scio, quid in futurum mecum disponat.* Idem v. *Mors.* Illud scimus, quod æterna Veritas per Salomonem sap: 6. testatur: Quoniam judicium durissimum in his, qui præsunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia: Potentes autem potenter tormenta patientur.

IX. FEBRVARII.

DEI, & Matris suæ magno gaudio crescit CHRISTUS ætate, sapientiâ & gratiâ.

I. ADora DEUM O. M. & considera, ab ipso principaliter esse omne incrementum nostrum sive naturale; sive supernaturale; sicut & ipsa substantia nostra, & primum esse principaliter est ab ipso. Dicuntur quidem in nobis quædam perfectiones *Dotes naturæ*: sed ipsa natura nihil operatur sine DEO. Ipse est primus & præcipuus motor & promotor etiam in naturalibus. Quo ad supernaturalia, scilicet gratias & actiones nostras meritorias vitæ æternæ; manifestiùs est; omne & initium & incrementum esse à DEO, cùm superent omnes vires naturæ. Vnde Apostolus 1. Cor. 3. *Ego plantavi, Apollo rigavit, sed DEUS incrementum dedit.*

O quàm liberale & amplum dedit Humanitati Christi incrementum! Quantam inde colligebat gaudiorum messem! O Domine, ecce quàm pusillus, & quàm annosus puer ego sum. In dies non solùm nihil sumo incrementi, sed deficio magis. Affunde, obsecro, gratiosissime JESU, uberiorem gratiæ tuæ rorem; ut tandem in magnum servum tuum crescam.

2. ADora D. JESUM, & considera, quòd de illo duodenni dicitur Luc. 2. v. 52. *Et JESUS proficiebat sapientiâ, ætate, & gratiâ apud DEUM & homines.* Proficiebat; licet in primo incarnationis momento plenissimus fuerit sapientiâ & gratiâ: cùm in ipso jam tunc reconditi fuerint omnes thesauri Sapientiæ & scientiæ DEI. Nimirum secundum actus sapientiæ & gratiæ, atq; exteriorem apparentiam proficiebat, solis instar, ab ortu ascendentis, ad meridiem, semperq; lucem majorem spargentis. Continuò enim edebat virtutum actus plures, & illustriores, & cum ætate crescente copiosiores spargebat divinæ sapientiæ suæ, & gratiæ radios. Talis & nostra deberet esse vita, præsertim, quos DEUS dedit in lucem gentium. At quàm palpabiles in nobis tenebræ! laboramus equidem, ut gratiâ crescamus apud homines; sed de divina parum solliciti sumus. Da Gratiosissimè JESU, ut hujus prima mihi sit cura; de humana non plus volo; quam quantum ad tuam gloriam conducere potest.

3 VEnerare DEIparam V. & considera, quantòpere sit gavisa incremento illo Filij sui, quem, ut credebat, omnium divinarum perfectionum esse absolutissimum compendium, & Patri suo æterno non posse non esse gratiosissimum, & dilectissimum: ita ardentissimè optabat, ipsum etiam apud homines esse in ea æstimatione & amore, quem merebatur, id est, summo. Videns igitur, quotidie illustriora perfectionum suarum specimina ipsum edere, & Sapientia, modestia, comitate atq; pietate suá continuò sibi magis, magisq; devincire corda hominum, gratulabatur DEO, & gaudio liquescebat ipsa. O si etiam ex me simile solatium haberes, Gratiosissima Mater! Reforma, obsecro, informem Clientem.

Propositum v. g. de procurando continuo profectu in virtutibus, præsertim per medium N.

LECTIO PRACTICA.

Quomodo Vitâ Communi contenti esse non debemus.

VOx multorum est, *inquit Gerson 3. p. tract: de myst: pract: Indust: 4.* Sufficit mihi Vita communis. Si cum multis salvari potero: satis est. Nolo merita Apostolorum. *Nolo volare per summa; incedere per planiora*

niora contentus sum. Sed advertere oportet: aliud esse; nolle in mundo contentum esse sorte communi, sed per fas & nefas, per fores & fenestras, manibus pedibusq; eniti ad splendida & sublimia mundi. Id enim non solùm arduum, sed valde periculosum, & plerumq; noxium est: ut heri ostensum. Aliud est, in studio virtutis, meritorum, & gratiæ apud DEUM, nolle postremum esse, aut Vitâ communi contentum: sed totis viribus naturæ & gratiæ anniti; ut simus inter primos & summos. Id enim & nobis maximè proficuum, & DEO gratissimum est.

Qui vitâ communi, qualis nimirum ab hominibus non malis agitur, contenti esse volunt: de his, inquit cit: Gerson, verendum: ne cum fatuis virginibus Matt. 25. præ inertia dormitantibus, excludantur a nuptijs cœlestibus: & cum servo illo pigro, cui satis fuit, talentum à domino acceptum asservare in terra defossum, ejici in tenebras exteriores, propter lucrum Domino cessans. Deinde advertere ipsos oportet: quanto Patrē suum cœlestem, privent solatio; quantis se ipsos afficiant damnis, & quàm turpiter mereantur confundi à filijs hujus sæculi.

Patrem suum cœlestem hujusmodi remissiores animæ privant insigni solatio (absq; eo, quod in periculum graviter ipsum offendendi, se conjiciant; prout ostensum in Lect: fer. 2. post Dom: 2. Adv.) quod expectat & suo jure requirit á filijs. Vult enim omnes esse charissimos sibi Josephos, id est, Filios accrescentes: vult esse Benjaminos; id est Filios dexteræ; qui non commisceantur servis & vernaculis, sed semper hæreant lateri suo, & quidem dextro. Cogita: quomodo placeret viro alicui illustri filius, cujus omnis conversatio esset tantùm cum pueris plebejis, quorum contentus esset sortè, indueret mores; nec ullis persuasionibus & stimulis à patre & alijs fratribus adhibitis, excitari posset ad assumendos animos tali patre, & familiâ suâ dignos. Numquid ut degenerem aspernaretur? Numquid doleret; indoli & institutioni suæ, curæ & impensis, non respondere filium? Quàm Illustrem, quàm Excelsum habemus Patrem? Non obstante lutea propagine nostra, audemus dicere: *Pater noster, qui es in cælis.* Ineffabili dignatione Pater æternus & DEUS noster nos assumpsit in Filios, & Deos quosdam: *Ego dixi, Dij estis, & filij Excelsi omnes.* Psal. 81. nos autem non assumemus animos tali conditione dignos? Vocat nos ad regnum & coronam: nos autem plebeia sorte contenti erimus? Quanta fecit amore nostri, & in honorem nostrum? nobis autem sufficiet, ita vivere: ut non mereamur exhæredari? Nihil cogitabimus: quam vicem reddamus amori & honori tanto? Incitat nos

& verbo

& verbo & exemplo suo Frater noster Primogenitus: *Estote perfecti, sicut Pater vester cœlestis perfectus est.* Matt. 5. Si nos honesti & æqui ratio non movet: moveat, quod subjungit, *Ut sitis Filij Patris vestri, qui in cælis est.* Quo non obscurè indicat: incomparabili talis Filij honore nec dignum esse, nec diu fruiturum; qui ad perfectionem cœlestis Patris per imitationem non tendit, semper ad altiora & perfectiora se extendens. Facile enim gratiâ excidit, qui non curat semper magis magisq; in ea radicari, & proficere: ut qui Justus est, justificetur adhuc, & qui Sanctus, sanctificetur adhuc. *Apoc.* 22.

Advertendum insuper: quòd damnum ab inertibus & abjectis hujusmodi animabus, quæ communi proborum vitâ contentæ sunt, in DEUM Patrem ac Dominum nostrum gratiosissimum, redundans, tolerabile utcunq; esset: si temporale foret. Jam vero in omnem omnino se extendit æternitatem. Nam in æternum privabitur majore illo solatio & gaudio, quod à nobis habuisset, si perfectiores fuissemus. In æternum enim minùs ipsum amabimus, minùs honorabimus, minùs laudabimus & glorificabimus, irreparabili damno illius & nostro. Insigni confusione filij hujus sæculi generationem istam Lentulorum perfundunt: quòd, qui ex ipsis ditescere cœperunt, semper magis magisq; ditescere studeant; qui gratiâ apud Principem invenerunt, semper in gratia crescere laborent &c: qui autem gratiam & supernaturalium donorum opes à DEO acquisiverunt; de continuo illarum augmento soliciti non sint.

Audiendus igitur Apostolus 1. Cor: 12. monens: *Æmulamini charismata meliora.* Et S. P. N. Jgnatius 6. p. Constit: c. 1. *Omnes constanti animo incumbamus: ut nihil perfectionis quod divinâ gratiâ consequi possumus, prætermittamus.* Crescat & in nobis continuò JESUS ætate, sapientiâ & gratiâ, pro sua & Patris sui gloria maxima.

X FEBRVARII.

DEUS vult homines laboriosam vitam agere: sicut CHRSTUS & DEIpara V. egerunt.

I. ADora DEUM O. M. & considera; eum nos non creâsse ad otia, sed ad honestos labores. Ipsi protoparenti nostro translato in Paradisum voluptatis, demandavit, *ut operaretur, & custodiret illum.* Gen. 2. Eidem & posteritati ipsius post violatum præceptum injunxit Gen. 3. *In laboribus comedes ex ea* (terra) *cunctis diebus vitæ tuæ.* Unde & Apostolus 2. Thessa. 3. sententiam tulit: *Si quis non vult operari, non manducet.*

Ipse

Ipse prævivit exemplo: *Laboramus operantes manibus nostris* 1. Cor. 4. Imò secutus est exemplum Christi, & Patris ejus. *Pater meus usq; modò operatur, & ego operor.* Joan 5. Vide igitur, qui labores statum deceant tuum, & quos officium tuum requirit, illisq; te seriò, & constanter impende. Nam sub vesperam vitæ non dicet cœlestis paterfamilias, voca stantes in foro, vel deambulantes in porticu, sed *voca operarios* vineæ meæ Mat. 10. ut denarium quietis & vitæ æternæ percipiant. Excita, conforta me Domine; & parce ignaviæ præteritæ.

2. ADora D. JESUM, & considera; eum non solùm laboràsse prædicando Evangelium usq; ad defatigationem, sed etiam usq; ad annum 30 manuales labores tractàsse, eosq; satis viles, quales sunt fabri lignarij. Nam non solùm dicebatur fabri filius sed etiam faber. *Nunc hic est faber, filius MARIÆ?* Marc. 6. Nec ingeniosum & pretiosum agere voluit architectum in construendis Principum & Magnatum palatijs, sed pauperem artificem, qui diurno labore victum quotidianum sibi comparat. Et hunc laborem statim, ac per ætatem licuit, assumpsit: *Pauper sum ego, & in laboribus à Juventute mea.* Psal. 87. Vide architectum cœli, qui verbo aliis fecit universa, securi & asciá victum sibi comparantē, & in sudore vultûs vescentem cibario pane suo. Te pigebit, aut pudebit honesto alicui operi manum admovere?

3. VEnerare DEIparam V: & considera eam, ut fortem illam mulierem, à Salomone celebratam, Proverb. 31. non quòd gladium tractarit aut arcum; sed quia *quæsivit lanam & linum, & operata est consilio manuum suarum; digiti ejus apprehenderunt fusum: de fructu manuum suarum plantavit vineam*; Domesticos suos JESUM, & Josephum vestivit duplicibus, interiore & superiore veste, sive propria manu texendo, sive pretium pro illis comparando per alios suos labores, adlaborantibus etiā & conferentibus JESU & Josepho. Sic in tota illa sacerrima domo, nec dœmonium meridianum; nec pulvinar diaboli otium, locum habuit. O Domina, fuga illud; istud autem subtrahe mihi. Tempus laboris momentaneum, quies æterna! Laboremus.

Propositum v. g. de non fugiendo labore, etiam manuali.

LECTIO PRACTICA.

Quomodo laborandum.

NOn est dubium: laborandum omnibus esse, sive mentaliter, sive corporaliter, juxta cujusq; vocationem & statum. Nam Primò Naturalis est obligatio: *Homo nascitur ad laborem; & avis ad volatum.* Job. 5.

Secundò, *Anima operantiū impinguabitur.* Prov. 13. *Egestatē operata est manus remissa.* Prov. 10. Tertiò: *Dulcis est somnus operanti, sive parum, sive multum comedat.* Eccle: 5. Quartò. *Regium est laborare: servile otio & luxui vacare*: dixit Alexander M. apud Panorm: lib. 9. de gest. Alphon. Deniq; otiari nemini licet. *Qui in labore hominum non sunt: in labore profectò dæmonum erunt*: inquit S. Bernard. in Cant:

Modus operandi rationabilis & fructuosus quatuor potissimùm continetur conditionibus: ut scilicet laboremus Religiosè, Ordinatè, Discretè & Strenuè: Nisi enim Religiosè laboraverimus, labor parum proderit; nisi Ordinatè, non bene procedet; nisi Discretè, non diu durabit; nisi Strenuè, non multum efficiet.

Ut *Religiosè* laboremus: inchoandum à DEO, progrediendum cum DEO, finiendum in DEO. Exordium operis ducendum à DEO per Intentionem rectam, & petitionem auxilij divini. Intentio recta est, si velimus agere ultimatè propter DEUM; vel quia DEUS jubet, ut id agamus; vel quia talis actio ei placet, & conducit ad majorem ejus gloriam. *Ad laborem cùm veneris; sic temperabis opus agendum*, inquit S. Bernardus in Doctrin: *ut solicitudo operis intentionem animi tui ab ijs quæ DEI sunt, non avertat.* *A Jove principium*; dicebat Antiquitas. *A te principium: Tibi desinet*, DEUS. Numquid operosum est, corde & oculis in cœlum sublatis, dicere ore, vel mente: *Propter Te*. Auxilium petendum vel brevi suspirio, vel prolixiore oratione, prout qualitas operis requisierit, & tempus permiserit. Quidam dicunt cum S. Petro: *In nomine tuo laxabo rete*, seu hoc, illudve, agam: Alij cum Psalmographo; *DEUS in adjutorium meum intende*: alij *Veni S. Spiritus*, cum S. Xaverio &c.

Ut *Ordinatè* laboremus: oportet labores & inter se, & cum tempore prudenter combinare. Ut scilicet omnia conveniente tempore fiant; & quæ potiora, vel magis necessaria sunt, præcedant: Divina præferantur humanis, temporalibus æterna, corporalibus spiritualia. Quæruntur non pauci de agendorum copia, & temporis inopia: verùm si scirent, aut vellent rite coordinare negotia temporibus, & negotia negotijs; facile deprehenderent: se abundare tempore: non habere illius parum, sed perdere multum; ut dixit Seneca. Sunt, qui non in sermone tantùm sed etiam in actionibus, faciunt hysteron proteron, postponenda præponendo; aut omittenda agunt, agenda omittunt. Diem dedicant Morpheo, Libero Patri & Vacunæ: in noctem servant negotia & studia. Alij dum somno emergunt; mox se traduut temporalibus negotijs, vel studijs: nec horam

reperiunt usq; ad tenebras, vel medium noctis, quæ cum Ecclesia dicant: *Jam lucis orto sidere*; aut *Domine labia mea aperies*. Sine scrupulo invertitur ordo sive ab Ecclesia, sive à Regula religiosa, sive ab ipso Christo præscriptus Matt. 6. *Quærite primùm regnum DEI & Justitiam ejus*. Mirantur multi: Unde Scriptores vastorum voluminum sufficiens tot tantisq; operibus habuerunt tempus; v. g. D. Thomas, S. Augustinus, Franciscus Suarez &c? quorum postremi 26. in folio Tomos doctissimos recenset Sotvellus in Biblioth. Soc: quamvis in diem sex circiter horas, indispensabili lege daret Exercitijs pietatis: ut in ejus Vita recentiùs edita tradit Benedictus Rogaccius. Responsio in promptu est: Quia inprimis prima & potissima ipsis cura fuit Divinorum, Pietatis & Perfectionis: ideoq; DEUS liberalissimè illis adjecit tantos in scientijs & scriptis progressus. Deinde accuratam sibi confecerunt, & constantissimè tenuerunt, certam occupationum & temporum coordinationem & distributionem: quam Suarius *Matrem spiritûs* vocabat.

Ut *Discretè* laboremus: non sunt assumendi labores viribus majores; nec protrahendi ultra, quàm valetudo permittat. Quod de cibo potuq; sumendo dici solet: Ut bibas multùm, bibendum minùs; quadrat etiam laboribus suscipiendis. Moderati conficiuntur faciliùs, & protrahuntur in annos plures. Sancti Basilius & Gregorius M. & quem proximè adduxi, Franciscus Suarez, admodum imbecilla fuerunt valetudine: & tamen quanta egerunt, & scripserunt, moderationis beneficio! Inter cætera admirandæ prudentiæ suæ argumenta, etiam illud posuit S. Patriarcha noster 3. p. c. 1. §. 4. *Ut non expedit tanto labore corporali quenquam onerari; ut spiritus obruatur, & corpus detrimentum patiatur: ita aliqua corporalis exercitatio, quæ utrumq; juvet, omnibus convenit, etiam illis, qui mentalibus exercitijs debent insistere: quæ quidem externis interrumpi deberent; & non continuari, nec sine mensura discretionis assumi.* Noluit igitur ultra horas duas protrahi studia absq; interruptione.

Ut *Strenuè* laboremus: labori, prudenter & religiosè suscepto totis viribus insistendum (quantum discretio permittit, & speratum operæ pretium meretur) donec optato fine coronetur opus. *Bonorum laborum gloriosus est fructus*. Sap. 3. *Fratres mei dilecti*, monet Apostolus 1. Cor. 15. *stabiles estote & immobiles, abundantes in opere Domini semper: scientes, quòd labor vester non est inanis in Domino*. Laboremus DEO. Labor est momentaneus; Quies æterna, Præmium infinitum!

DEUS prædicaturo Christo præmittit Joannem Bapt: CHRISTI & DEIparæ V. affectus erga eundem.

1 ADora DEUM O. M. & considera, quomodo post oracula Prophetarum, & varias umbras figurarum præsignantium personam & officium Christi Redemptoris, præmiserit eidem, ad prædicationem Evangelij jam se accingenti, Præcursorem, Joannem Baptistam, qui Christum non solùm prædiceret ut Propheta, sed digito monstraret; *Ecce Agnus DEI qui tollit peccatum mundi*: disponeretq; populum per baptismum pœnitentiæ, ad excipiendum Salvatorem, & accipiendam per eum salutem. *Dirigite viam Domini, rectas facite semitas ejus. Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum.* Matt. 3. Non agit DEUS tumultuariè, sed sapientissimâ providentiâ suâ disponit omnia suaviter, perficienda tempore & ordine destinato. Adoro suavissimam Providentiam tuam, Magne DEUS, & pro tali Præcursore Filij tui humiles ago gratias. Dispone etiam per præmissum S. Angelum tuum corda eorum, cum quibus ego aliquando acturus sum, de salute ipsorum & gloria tua promovenda; ut, quòd mea voce deprometur, tuâ virtute firmetur.

2. ADora D. JESUM, & considera, quo fuerit affectu erga magnum Præcursorem suum. Testatus est eum tum alijs argumentis, tum insigni & publico elogio Matt: 11. ubi Joannem appellat *Eliam*, scilicet spiritu; *plus quàm Prophetam, Angelum* suum, *& quo non surrexit major inter natos mulierum.* Meruit illustre hoc encomium Joannes tum vitæ innocentiâ, & austeritate, tum prædicationis zelo, tum humilitatis profunditate, quâ se nec Christum, nec Prophetam, sed meram Vocem clamantis in deserto confessus est; imò indignum omninò, qui solvat corrigiam calceamentorum Christi. Placent, ô Anima mea, elogia illa? placeat & humilitas ista, sine qua Joannes non fuisset eo loco apud Christum. Gratulor tibi Amantissime Salvator, Præcursorem tam promptum, Prophetam tam zelosum, Baptistam tam Innocentem, Angelum tam sanctum, Joannem tam magnum, tamq; humilem. Fac me saltem idoneum pedissequum tuum.

3 VEnerare DEIparam V. & considera, quàm propenso animo fuerit & ipsa erga Joannem. Facta Mater DEI festinavit ad sanctificandum illum adhuc in utero, inservivit nascituro, natum ulnis fovit virgineis; ipsa præ cæteris, & cogratulabatur Elisabethæ, & præsciebat divinitus, quis puer ille futurus esset. Maximo illum insinuavit cordi Vir-

ginis innocentia vitæ, paupertatis amor, zelus honoris Christi. His artibus licet & nobis irrepere in amores Matris DEI. Admitte, ô Gratiosissima; & si non invenis amore tuo dignum, fac, ô Benignissima.

Propositum imitandi S. Joannem in paranda Domino plebe perfecta.

LECTIO PRACTICA.

Laborantibus circa Proximum quàm necessaria sit Vitæ Sanctitas.

OPerarijs Evangelicis non uno ex capite necessaria est eximia vitæ probitas, imò sanctitas. Illud hic solùm attigero: ipsos, nisi comparandæ perfectioni propriæ singulari diligentiâ insistant, periculum præsens propriæ salutis adire. Non obscurè id ipsum indicavit DEUS: quando Præcursorem Christi, prædicaturum baptismum pœnitentiæ, triginta ferè annis in deserto, velut in schola sanctitatis, exerceri & formari primùm voluit ad eam sanctitatem, quæ non tantùm Propheticam, sed Angelicam æquaret.

Indicavit & Apostolus: quandoquidem non solùm Philip: 3. testatus est; se irrequieto studio ad ulteriorem & altiorem perfectionem tendere; *quæ retro sunt, obliviscens, ad ea, quæ sunt priora, extendens me ipsum:* verùm etiam 1. Cor. 9. dicit; se continuæ sui mortificationi studere; ne ex prædicatione Evangelij & conversatione cum fidelibus & infidelibus, probis & improbis, aliquid detrimenti capiat ipse quo ad salutem suam. *Castigo,* inquit, *corpus meum, & in servitutem redigo: ne fortè cùm alijs prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* Stupenda res! Paulus Apostolus, nihilo inferior ijs, qui erant supra modum Apostoli, illud Vas electionis, ille Doctor orbis, illud cor leoninum ad quævis ardua impavidum, illa inseparabilis à Charitate Christi anima, quæ aliàs ausa est provocare velut ad singulare certamen, & tormenta omnia, & tyrannos omnes, bonos malosve Angelos, & mortem & infernum ipsum; trepidat! Paulus Apostolus solicitus est; ne fortè cùm alijs prædicaverit, alios in cœlum impulerit; ipse reprobus efficiatur, & vita excidat æterna! Proinde nihil sibi negligendum putat, ut id periculum evadat. Et animam omnigenis ornat munitq; virtutibus; & infirmiorem, sed insolentiorem partem, Corpus, in ordinem, imò in servitutem redigit. Si hæc Paulus Apostolus: quid nos, Viri Fratres, faciemus: qui ipsi quoq; in sortem Apostolatûs ejusdem vocati sumus, sed nequaquam paribus præsidijs instructi?

Duplex infestum nobis habemus agmen: cui nisi insignem morum probitatem, solidamq; virtutem objiciamus; prostrati jacemus. Primum est malignorum spirituum; qui dum vident conatus nostros in eripiendis sibi, & asse-

& afferendis DEO animabus; in duo extrema nos impellere laborant. Vel ut per ignaviam, aut nimiam circa temporalia vel ſtudia, curam, negligamus opus Evangelij, adminiſtrationem Sacramentorum, & ſalutem proximorum: atq; ſic *Væ nobis*, non evangelizantibus! Vel ita nos incitant in curam proximorum, ut ipſis nos totos impendentes, & improvidè immergentes, noſtri ipſorum obliviſcamur, ſolita debitaq; pietatis exercitia raptim ſolùm abſolvamus, aut penitus negligamus; in mortificatione, prætextu laborum, facile cum corpore noſtro diſpenſemus, conſcientiarum propriarum puritati non attendamus; & ſic ſenſim ſine ſenſu reprobi efficiamur, dum alijs cœlum aperimus.

Alterum infeſtum & periculoſum nobis agmen ſunt illi ipſi quorum animas curamus. Paulatim enim ſcabiem ſuam nobis affricant; & niſi probè attendamus, citiùs nos moribus ſuis induunt, quàm nos, pravis habitibus & erroribus exuamus ipſos. Velut picem manibus tractamus: niſi eas oleo & virtutum fragrantia diligenter tinctas habuerimus: facile inquinabimur, & malè olebimus. Quàmvis non ſimus è mundo; verſamur tamen in mundo immundo, in medio nationis pravæ, in lubrico & præcipiti: *Qui ſe exiſtimat ſtare videat ne cadat*. 1. Cor. 10. *Qui ſanctus eſt, ſanctificetur adhuc*. Apoc. 22. *ne fiat ſicut populus, ſic Sacerdos*. Oſeæ. 4. Imitari nos oportet Medicos, qui curam habent contagioſa lue laborantium: quos ut adeant indemnes; multa penes ſe odoramenta, & vim mali elidentia habent antidota: ne ad ipſos proſerpat contagio, & quæ ex ægris corporibus promanat exhalatio, vapor & fœtor, ipſos inficiat. Cùm igitur non minore contagione teneantur animi, quam corpora plurimorum, cum quibus nos familiariter agere oportet; nec minus ſit periculum; ne quam in tribunali ſacro vel familiari converſatione detegunt luem, nobis quodammodo inſpirent, impreſſis in phantaſia & memoria, quas nollemus, imaginibus; facile apparet: quibus inſtructos nos eſſe amuletis neceſſe ſit, ne lethiferum aliquid contrahamus.

S. Chryſoſtomus lib. 3. de Sacerd: dicit: Sacerdotes non minùs innocentes ſanctosq; eſſe oportere, quàm fuerint tres illi pueri in fornace Babylonica. Nam non in minore, imò longè majore, & periculoſiore verſantur incendio: è quo ſi fortè non pauci evadunt ſalvi; pauci certè exeunt, quos fuligo aliqua non afflárit.

Opportunè monet igitur Eccleſiaſticus, cap. 29. *Recupera proximum ſecundum virtutem tuam: & attende tibi ne incidas*; ſive in puteum, ſive in foveam, ex quo alterum extrahere laboras. Vide; quo robore te inſtru-

[illegible]

ctum esse oporteat, quàm firmo pede consistere: ut alium salves, & non potiùs ille sua te involvat ruina. Magnum est, imò divinum, animas ab æterna pernicie vindicare, & Christo lucrari: sed *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur: animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Matt: 16.

XII. FEBRVARII.

DEUS baptismum pœnitentiæ præmittit baptismo & prædicationi Christi: CHRISTUS eundem suscipit: DEIpara V. gaudet hominum accursu.

1. ADora DEUM O. M. & considera, eum non alio ritu voluisse disponi Judæos ad prædicationem & baptismum Christi, quàm susceptione baptismi pœnitentiæ à Joanne ministrati. Dispositio enim per pœnitentiam solida & fundamentalis est; nec multùm prosunt aliæ sine ipsa. Inprimis curandum est, ut DEUM habeamus placatum, & amicum; quid enim ab offenso speremus? Aut quo oculo respiciet ceremoniarum nostrarum blandimenta, si cor nostrum non fuerit rectum cum eo? Hinc & Prophetis, & Joanni, & Christo ipsi exordium prædicationis passim fuit: *Convertimini; lavamini, pœnitentiam agite &c.* Justi quoq; ad ampliores gratias per præmissos orationi, alijsq; virtutum exercitijs actus pœnitentiæ sese disponere consueverunt. *Justus prior est accusator sui.* Proverb 18. Da, Gratiosissime DEUS, quod desideras à nobis. Pœnitet peccasse. Fac gratiarum tuarum capaces.

2 ADora D. JESUM, & considera, quomodo non sit dedignatus, quamvis minimè egeret, suscipere à Joanne Baptismum pœnitentiæ. 1. Ut authoritatem adderet Joanni, & exemplo suo alios alliceret, 2. Ut sanctificaret & initiaret aquas in lavacrum sanctius regenerationis, quod ipse ministraturus erat. 3. Ut ostenderet, Humilitatem esse optimam præparationem ad aggrediendum Magna pro DEI gloria, & animarum bono, juxta illud Isa: 37. *Mittet radicem deorsum, ut faciat fructum sursum.* Quantò profundiùs descenderit radix humilitatis, tantò copiosior efflorebit fructus boni operis. Suspicio, mi JESU, & veneror summam sanctitatis tuæ celsitudinem, in tanta abysso humilitatis; & accuso pravitatem meam, quâ publicè delinquere non erubesco, sed publicum pœnitentiæ baptismum totis viribus fugio. Trahe me post te, in profundum submissionis tuæ.

3. VEnerare DEIparam V. & considera, quo solatio fuerit delibuta, quando partim audivit, partim vidit, homines certatim confluentes ad Joannem pro suscipiendo baptismo ejus. *Exibat ad eum Hierosolyma, &*

ma, & omnis Judea, & omnis regio circa Jordanem; & baptizabantur ab eo in Jordane confitentes peccata sua. Matt. 3. Gratulabatur DEO populum tam morigerum, contra morem majorum suorum: precabatur Joanni constantes progressus, in paranda Filio suo plebe perfecta. At Nos subinde invidiola mordet, aut vellicat, dum alios magis frequentari in foro pœnitentiæ, vel cathedra Ecclesiastica cernimus. Averte à me Domina lividum hunc spiritum: DEO Laus, quòd alius suppleat defectus meos

Propositum v. g. de frequentandis & commendandis actibus Pœnitentiæ.

LECTIO PRACTICA

Exemplo magis quàm verbis ducendi homines ad Pœnitentiam.

AMara & ardua res est Pœnitentia: faciliùs suaderi, quàm persuaderi potest. Ægrè enim acta nostra retractamus; ægriùs eadem accusamus; ægerrimè in oppositum, carni & sangvini repugnans, declinamus. Postquam igitur DEUS per aliquot sæcula ore Prophetarum, quasi tubà, exaltavit vocem suam, & longè latèq; intonuit: *Convertimini à vijs vestris pessimis: Pœnitentiam agite &c.* validiore machina expugnaturus corda durissima: Unigenitum suum cum Præcursore Joanne expedivit: ut priusquam ore intonarent, validiore Exemplo Pœnitentiam docerent. Neuter meruit illam; Angelis uterq; purior: sed ingerendum erat hominum oculis, quod per aures non penetrabat ad animos. Joannes igitur à puero eremicola, prodijt tandem, *nec comedens nec bibens* (tam modico, eoq; vilissimo, utebatur victu) non tam lingvâ, quàm exhausto corpore toto prædicans pœnitentiam. Quantum reali hac concione profecerit; testatur affluens tam numerosus populus: ut Matt. 3. dicatur *Omnis Iudæa* ad ipsum confluxisse, *confitentes peccata sua.* Christus quoq; fundamentum solidum positurus prædicationi suæ vocali, Exemplarem præmisit; Sanctitatem suam infinitam pœnitentiæ submittens baptismo.

Magna est in utramq; partem vis Exempli: nihil validius & ad destructionem, & ad ædificationem. *Magisterij authoritas constat ex vita. Docenda faciens, obedientem facit auditorem*: inquit S. Chrysologus serm: 167. *Sermo actione destitutus, non ultra aurem grassatur: qui autem ab actione animatus est, ut qui acris & efficax sit, altè penetrat, animumq; attingit.* ait Isid: Pelus: l. 3. c. 202. Rationem hujus dedit Seneca lib. 1. ep. 16. Cùm dixisset: *Longum iter est per præcepta, breve & efficax per exempla*; subjunxit: *Quia homines ampliùs oculis, quàm auribus credunt.* Ulteriorem rationem dat S. Bernardus serm: de S. Benedicto. *Sermo*, inquit, *vivus & efficax, exemplum operis est: plurimùm faciens suadibile, quod monstratur factibile,*

bile,

bile. Dum enim homines vident, ea, quæ quis docet, ab ipsomet executioni mandari: magis credunt, esse possibilia utilia aut etiam necessaria nec fucum sibi fieri à concionatore. Accedit innatum nobis æmulandi & imitandi studium: quo facile transimus in mores aliorum, præsertim quos spectabiliores facit aliqua authoritas. Unde S. Prosper hom: 1. de vita contempl: 23. *Satis,* inquit, *auditores possunt proficere: si hoc à Doctoribus vident spiritualiter fieri, quod sibi audiunt prædicari.* Sanctus quoq; Patriarcha Noster dum p. 7. Constit: c. 4 suggerit quædam media, quibus Societas utatur ad juvandum proximum: primo loco ponit Vitam Exemplarem. *Primò,* ait, *conferet bonum Exemplum totius honestatis, ac virtutis Christianæ: ut non minùs bonis operibus, imò magis quàm verbis, eis ædificationi esse, quibus cum agitur, curent.*

Nam, ut notat S. Chrysostomus hom: 13. in Acta: *Nihil frigidius Doctore; qui verbis duntaxat philosophatur. Neq; enim hoc Doctoris est, sed histrionis & hypocritæ.* Tales hypocritas perstrinxit Christus Pharisæos Matt. 23. quòd *Alligant onera gravia & importabilia, & imponunt ea in humeros hominum: digito autem suo nolunt ea movere.* Histriones quoq; agunt hujusmodi prædicatores. Ut enim histriones in theatro scitè repræsentant jam regum, jam ducum, civium aut colonorum personam, quàmvis ipsi longè alij sint: ita isti nunc charitatem, nunc mundi contemptum, humilitatem, patientiam egregiè commendant verbis, quam re vera factis aversantur; histriones & mimi, non prædicatores Evangelici: Campanæ, alios in templum gloriæ cœlestis evocantes, ipsi excludendi. *Dico enim vobis: Nisi abundaverit justitia vestra, plus quàm scribarum & pharisæorum: non intrabitis in regnum cœlorum.* Matt. 5. Insuper strictam DEO rationem dabitis de scandalo dato, de enervato Verbo divino, de commisso vobis grege non solùm, perdito, sed mactato.

Nemo amplius in Ecclesia nocet: quàm qui perversè agens, nomen vel Ordinem Sanctitatis habet. Delinquentem namq; hunc redarguere nullus præsumit, & in exemplis culpa vehementius extenditur, quando pro reverentia Ordinis peccator honoratur: inquit S. Gregorius in Pastor: S. Chrysostomus hom: 38. ad pop: ait: Si non habueris opera, tantùm loquens: non profuisti, sed potiùs læsisti. Melius est tacere. Quare? Opus mihi reddis impossibile. Cogito namq; quod si tu tanta disserens, non efficis; multò magis ego venia dignus ero.

Ut igitur demus voci nostræ vocem virtutis, & stylo Præcursoris, ac ipsius Christi, prædicemus pœnitentiam: exemplo proprio roboremus

verba. S. Xaverius cùm indurato homini diu frustra suasisset pœnitentiam: persuasit tandem, ubi cruenta flagellatione coram ipso in se desævijt. Ad nos quoq; pertinet monitum Apostoli ad Titum c. 2. *In omnibus præbe te ipsum exemplum bonorum operum.* Et ad Tim. 4. *Exemplum esto fidelium in verbo & conversatione.*

XIII. FEBRVARII.

DEVS clarificat CHRISTVM in baptismo: DEIpara V. magnificat DEVM.

1. ADora DEUM O. M. & considera eum, ut infallibilem humilium exaltatorem & glorificatorem. Statim ac de aqua ascendit baptizatus à Joanne Christus, *Ecce aperti sunt cœli; & vidit Spiritum DEI descendentem, sicut columbam, & venientem super se* Matt. 3. Humilibus aperiuntur cœli, per quorum portam non solùm angustam, sed etiam humilem, elati spiritu intrare non possunt. Super humiles descendit Spiritus DEI, qui humilia respicit, & alta à longè cognoscit, ac præterit. Et ecce vox de cœlis, dicens: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Quod jucundius & gloriosius testimonium optari potest? Gratias, tibi immortales, ô Pater æterne, pro hoc solatio, & honore, humili Christo tuo præstito. O si ego aliquando audire à te merear; *Hic est servus meus dilectus, in quo mihi complacui!* Pretiosius longè est id elogium, quàm omnes Regum, imò cœlestium Principatuum tituli. Sed nisi in profundum humilitatis descendatur, non acquiritur.

2. ADora D. JESUM, & considera, quàm jucundum cœlo dederit spectaculum humili suâ cum Joanne concertatione. Vidit illud in umbra, & stupuit anterior ætas in Patriarcha Jacob, luctante cum Angelo & prævalente, Genes. 32. Angelus erat Joannes, Patriarcha & Pater futuri sæculi Christus. Ad suscipiendum baptismum non accersivit illum ad se, ut magni in hoc mundo solent, sed ipse *venit à Galilea in Jordanem ad Joannem.* Stupet & refugit Joannes: *Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me?* Instat JESUS: Joannes autem prohibet. Quomodo enim auderet manum attollere super caput Christi, quam solvendæ corrigiæ calceamenti ejus non præsumpsit admovere? Admonitus tamen, *Sine modo; sic nos decet omnem implere justitiam,* cessit palmam humiliori. Et impleta, imò superimpleta est ab utroq; omnis Justitia, à Joanne humili obedientiâ, à Christo magnificâ humilitate. Quàm parùm nos exercitati sumus in hac palæstra? Quàm prompti admittimus? quàm tardi deferimus alijs honores? *O Humilitas, virtus Christi quantùm confundis super-*

superbiam nostræ vanitatis! clamat è Clara valle Bernardus serm: 1. de Epiphan: Humillime JESU, deprime fastum meum.

3 VEnerare DEIparam V. & considera, quomodo omnibus animæ viribus magnificaverit DEUM, ubi intellexit, tam gloriosè magnificatum esse à Patre æterno, & Spiritu Sancto Filium; tam reverenter habitum à Joanne. Optabat ardentissimè, ut tam felicibus initijs totus responderet prædicationis cursus; & quantocyùs omnis terra adoraret eum, cui tantos honores exhibuit cœlum. Hæc & nobis summa votorum, imò etiam laborum esse debet: ut agnoscat mundus, & pro merito veneretur Dominum & Salvatorem suum JESUM. Adspira votis, & laboribus meis, Domina, ut in omnium cordibus & animis primas obtineat JESUS.

Propositum v. g. per Actus Humilitatis conciliandi sibi favores divinos.

LECTIO PRACTICA.

Quomodo per Humilitatem nos disponere debemus ad labores Evangelicos.

INter dispositiones requisitas ad fructuosè agendum cum proximo, facile primas tenet Humilitas. Commendant eam gravissimo exemplo suo Christus & Præcursor ejus Joannes. Uterq; munus prædicationis inchoaturus, auspicium duxit à profundissima sui demissione. Joannes quàm humiliter respondit ad Legationem Hierosolymitanam: non solùm se negando Christum, & Eliam, aut Prophetam alium; sed solam se Vocem affirmando, prætereaq; nihil? Cuipiam è nobis visum fuisset opportuniùs: comparare sibi authoritatem, hujusmodi functionibus pernecessariam; adeoq; non dissimulare, sed disertiùs exprimere personam à DEO impositam. At Spiritui S. quo plenus erat Joannes, visum est aliter. Christus quoq; qui peccatum non fecerat, nec facere poterat, pœnitentium turbæ, se ingessit, & ab humillimo Baptista, infinite ipse humilior, baptismum extorsit. Sic sese deprimentes, non defuit, qui exaltaret, clarificaret; atq; necessaria authoritate instrueret. Joannem extulit Christus luculentissimo elogio non solùm super omnes Prophetas, sed super natos mulierum, inseruitq; Angelorum cœtui. Christum in ipso stupendæ Humilitatis actu, quantopere clarificavit æternus Pater, & Spiritus Sanctus! Sic & in alijs Evangelij ministris vera Humilitas non solet dispendium facere, sed comparare authoritatem fructuosam, benevolentiam hominum, & gratiam DEI.

Quæsivit aliquando ex S. Francisco Maseus, intimus ejus Socius. Unde, quæso, fit Francisce: ut omnes ad te accurrant, ut te videre, au-

dire tibiq; obedire velint? Neq; enim es doctus, neq; illustri genere natus, non forma liberali, aut eleganti, non deniq; eloquens. Undenam fit ergo; ut totus mundus te sequatur, tibiq; obsequenter auscultent? Cui Franciscus, more suo, id est humillime, respondit: Nosse vis Frater, unde mihi hoc veniat; quòd homines ita me colant, & post me currant? Dicam. Ex immensa DEI mei Bonitate, qui me omnium peccatorum maximum, omnium creaturarum abjectissimam & vilissimam respicere dignatus est. Nam infirma, & abjecta mundi eligit DEUS: ut per illa confundat fortia & sapientia, & magna; ut omnis honor & gloria cedat DEO.

Hinc est, cur, ex mente S. Augustini Tr. 7. in Joan: Christus non legerit inter Apostolos Nathanaelem, quamvis hic inter primos Christum accesserit, & insigni elogio fuerit ab eo honoratus: *Ecce verè Israelita, in quo dolus non est.* Videtur, inquit Augustinus, talis vir ante alios omnes ad Apostolatus munus vocari debuisse. Videmus autem: eum non tantùm non vocatum primum, sed ne medium quidem, aut postremum. Nosti, quare? Nathanael erat doctus & legis peritus. Christus autem per idiotas orbem erudire, sibiq; subigere decreverat: ut tantò major ejus appareret virtus & potentia, & illustrior elucesceret gloria. *Ut ostenderet divitias gratiæ suæ:* ait Apostolus Rom. 9. Non hæc eò dicuntur; quasi etiamnum solis idiotis consignandæ essent Cathedræ Ecclesiasticæ, & Missiones Apostolicæ: sed ut appareat; quàm grata sit Christo, & desiderata in Ministris suis, Humilitas; & quomodo tota Scientiarum amplitudo & altitudo, cum omni talentorum naturalium & acquisitorum apparatu, fundari debeat in Humilitate; ut optatum faciant fructum, & ipsi Operarij typho vanitatis non evertantur, sibi tribuentes, quod Domino debetur. In triplici autem fundatos esse oportet Humilitate.

Primò Humiles esse debent erga DEUM: viribus suis & industrijs omnino diffidentes, & sese, etiam cum omnia facienda fecerint, *servos inutiles* reputantes. *Fiduciam habemus per Christum ad DEUM*, inquit Apostolus 2. Cor. 3. *non quòd sufficientes simus, cogitare aliquid à nobis, quasi à nobis: sed sufficientia nostra ex DEO est: qui & idoneos nos facit ministros novi Testamenti.* Hæc humilis diffidentia in nostris viribus, & fiducia in divino auxilio, inter omnia media ad magnum animarum lucrum faciendum, & efficacissimum est, & facile princeps: Hæc item est una de optimis dispositionibus, quas ad hoc operarius DEI afferre potest ex parte sua: inquit Rodriq. parte 3. tr. 1. c. 15.

Secundò Humiles sint erga Prælatos, aliosq; Ecclesiarum, in quibus operari debent, Præpositos: se, & omnem operam suam ex animo ipsis submittentes. Ubi enim talis non est subordinatio; una manus ædificare, alia diruere solet, pluraq; dantur populo scandalorum argumenta, quàm virtutum specimina. Vir planè Apostolicus, S. Xaverius, teste Turselino in ejus vita lib. 6. c. 8. *Divinum Numen in Episcopis & eorum Vicarijs venerans, ex eorum authoritate sua munia obire gestiebat, ejusdemq; prorsus omnibus in rebus, dicto audiens erat. Idem cæteros è Societate facere jubebat.*

Tertiò Humiles esse oportet etiam erga Cooperatores in eadem vinea, quamvis dignitate non emineant. Non enim diu stabit animorum concordia, si non fuerit fundata in spiritu humilitatis. Primùm æmulatio, mox consurget individia, & quæ hanc sequuntur, dissidia & tempestates. Ad Evangelicos potissimùm operarios spectat illud Rom. 12. 10. *Charitate fraternitatis invicem diligentes: honore invicem prævenientes.* Quod ut fiat exterius; observandum inprimis interius id, quod dicitur Philip. 2. *Superiores sibi invicem arbitrantes.* Sic in veros, & verè Magnos, ibimus Ministros Christi,

XIV. FEBRVARII.

DEUS ducit Christum in desertum: CHRISTUS dierum 40 Contemplationem & Orationem præmittit prædicationi: DEIpara V. in civitate ut in solitudine vivit.

1. ADora DEUM O. M. & considera, quomodo eos; quos vocat ad munus docendi & prædicandi, non velit imparatos, aut solâ eruditione scholastica instructos prosilire in cathedram; sed præmissâ sedula, nec modicâ, animi recollectione, & agendorum, modiq; agendi considerationẹ. Ecce Filium suum, hominum & Angelorum Doctorem, VERBUM & Sapientiam suam, antequam auspicaretur prædicationem suam, duxit in desertum, ut ibi contemplando; orando, jejunando, disponeret se ad opus imminens. *Ductus est JESUS à Spiritu* (utiq; Sancto) *in desertum* Matt. 4. S. Lucas habet cap. 4. JESUS autem plenus spiritu Sancto, *agebatur* à Spiritu in desertum. S. Marcus cap. 1. ait: *Et statim* (post baptismum) Spiritus *expulit* eum in desertum. Nimirum ut exemplo suo doceret: Prædicatores, Doctores, & Prælatos Ecclesiæ suæ, antequam laborem, ad quem assumpti sunt, auspicentur, oportere tentari, & varijs experimentis probari, meditatione diligenti rerum agendarum, & insufficientiæ suæ, illustrari, oratione fervente, multaq; muniri. O

vivinissime Spiritus, libens te in tale desertum sequar. Duc, age, impelle tergiversantem.

2. ADora D. JESUM, & considera, quomodo se in eremo disposuit ad prædicationem. Assidua & præcipua ejus occupatio fuit Contemplatio & Oratio. Quibus quamvis a momento Incarnationis continuò inhæserit, at tunc in solitudine liberius sese effundebat in varios affectus & actus, etiam extimos, laudis, Glorificationis, Gratiarum actionis, Humiliationis, Resignationis, Oblationis sui &c. Ibi agebat cum Patre suo æterno negotium Redemptionis & Salutis nostræ, disponebat Ecclesiam suam, eamq; Patri prolixè commendabat, sicut & quemlibet in particulari fidelium suorum. Nos credimus omnes difficultates dexteritati nostræ cessuras; fructum non tam ab oratione, quam ingenio & labore nostro pendere: sed tandem deprehendimus nos miserè deceptos. Immortales tibi ago gratias, Gratiosissime JESU, quòd & mei in illa solitudine memor fueris, curamq; gesseris. Annitar, ut ipse quoq; per diligentem meditationem & frequentem ferventemq; orationem, mei, ac mihi commissorum curam geram.

3. VEnerare DEIparam V. & considera, eam in locis etiam frequentissimis & Civitatibus populosis suum habuisse desertum, in quo & DEUS loquebatur ei ad cor, & ipsa suũ corã Domino omni genere & modo præstantissimorum affectuum effundebat. Non enim se ingerebat turbis, non implicabat alienis negotijs, non cumulabat propria, non quærebat familiaritates. Si comparendum fuit in publico, conversatio tamen manebat secreta in cœlis. Cellula desertum illi erat, imò cœlum. At nos quanto laboramus tædio, si non simus in publico? Non cellæ tantùm, sed palatia nobis carcer sunt, si extra turbam simus. O Domina; avelle levem hanc, & vagam animam à turba hominum, & negotiorum. Due eam ad beatam illam solitudinem, ut amet agere sola cum solo DEO.

Propositum de majore studio Contemplationis & Orationis.

LECTIO PRACTICA.

Quàm utile sit Omnibus, recipere se quotannis in quandam Solitudinem Asceticam.

ET Justis, & peccatoribus nihil est utilius: quàm subinde, minimũ semel quotannis, per dies aliquot secedere ab hominum, etiam domesticorum, turba; & recipere se in quandam Solitudinem, sive ea sit Religiosa quædam cella, sive alter ab arbitris & negotijs remotus locus, ad vacandum soli DEO & Animæ suæ. Suasi superiùs 5. Febr. amorem,

& studium vitæ solitariæ: ut, etiam sæculares domi suæ haberent cellam aliquam vel Oratorium privatum, in quo per horulam, aut dimidiam, mentem colligere, & ad DEUM elevare commodiùs possent. Hic opto: ut etiam domo exeant, negotijs omnibus, domesticis & publicis, pro diebus aliquot valedicant; ut attentiùs considerent: quo loco res suæ sint apud DEUM; in quanta securitate vel discrimine sit animæ salus æterna; quomodo solidè corrigi possint malè acta, bene gesta promoveri strenuè. Contingit enim nobis plerumq;, quod viatoribus & mercatoribus: qui nisi subinde se maturiùs & diligentius recolligant, inspiciantq; vias & regestra sua profundiùs: inveniunt se tandem viatores inter ferarum aut latronũ latibula, aut montium præcipitia; mercatores inter debitorum ineluctabiles acervos; nec modus apparet emergendi. Quod igitur bonus DEUS ad reducendam in viam salutis vagã filiam Sion suggessit medium, Oseæ. 2. *Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor ejus*: juvat apprehendi etiam à nobis. In turba enim negotiorum & hominum raro loquitur nobis DEUS ad Cor: nec satis percipiuntur, aut penetrantur voces ejus.

Porro Solitudines hujusmodi excitavit nuper DEUS per S. P. JGNATIUM in domibus & collegijs Societatis: tradiditq; illi, homini adhuc tunc literarũ rudi (ut magis appareret, cujus id Opus esset) admirabilem Methodum exercendi animas per Contemplationem & Orationem, tum ad pœnitentiam, & vitæ emendationem; tum ad insignem perfectionem & Sanctitatem. Libellus eam Methodum continens, appellatur Exercitia Spiritualia S. Jgnatij Loyolæ Fund: S. J. Conscriptus ab ipso est primo anno Conversionis ad vitam meliorem, in quadam specu agri Manresani in Hispania: ubi Contemplationi & pœnitentiæ operibus vacabat, luminibus cœlestibus copiosissimè perfusus. Inde post annum circiter egressus, simul Grammaticæ inter pueros discendæ se tradidit, & Magistrũ raræ Pietatis agebat, quos opportunè poterat, suis Exercitijs excolendo. Iisdem primos novem Socios, Franciscum Xaverium, Petrum Fabrum, Jacobum Laynez &c. viros scientia & probitate insignes, in Academia Parisiensi excoluit magis, sibiq; Socios individuos adjunxit.

Eadem Eexercitia post diuturnum & rigidum examen, rite & plenè approbavit Paulus III. Pontif: Max: Indulgentiam plenariam absolventibus illa per dies decem concessit Paulus V. At Alexander VII. Anno 1657. extendit etiam ad quosvis absolventes per dies 8. & quidem quoties id egerint in Domibus Societatis, & peccata confessi, Sacram Eucharistiam sumpserint devotè. Innocentius X. in Officio Ecclesiastico de

S. Jgna-

S. Jgnatio, toti Ecclesiæ proposito, insigne adjecit elogium, appellans in Lect: 4. *Admirabilem Exercitiorum Librum, Sedis Apostolicæ judicio, & omnium utilitate probatum.* Tot summorum Pontificum oraculis accedunt innumera amplissimaq; doctissimorum & Sanctissimorum Virorum encomia, è proxima experientia concepta: è quibus paucula decerpo.

Bartholomæus Torres Episcopus Canariensis, spiritu, quem ex his Exetcitijs hauserat, plenus; Utinam, inquiebat, quanti est ille thesaurus, tanti æstimare possemus! DEUM testor! Triginta annis, quibus versor in studijs Sapientiæ, & per multis annis, quibus Theologiam doceo; nunquam ad meam utilitatem me tantum didicisse, quantum me paucis diebus docuerunt Exercitia. Permultis ego & Religiosis & Sæcularibus persuasi, ut ea susciperent: nec quenquam novi, qui non magnum inde fructum retulerit; palamq; prædicaverit: nihil è rebus humanis anteferendum ipsis.

Ludovicus Granatensis præclarum S. Ord. Præd. lumen, palam fatebatur: Tantum doctinæ Spiritualis, à documentis & Exercitijs illis hausi; ut vita tota non sufficiat scribendo illa (scripsit autem plurima & pijssima) quæ in illis DEUS mihi aperuit. Nihil minus dixit alter ex eodem S. Ord. Doctor Theologiæ celeberrimus, Mancius, inquiens: Pluris facio Theologiam Patris Villanova (qui externis Exercitia tradere solebat Compluti) quam omnium simul Doctorum.

S. Carolus Borromæus (quantum Ecclesiæ lumen!) cùm à Patruo Pontifice in sacrum Cardinalium Collegium, licèt ætate juniore, adlectus esset, in Professorum Soc: Domum sese recepit, ut Exercitijs S. Jgnatij operam daret. Dedit, eo fructu: ut ipsis omnia ad ferventiorem in virtute progressum incitamenta adscribere sit solitus. Quotannis deinceps semel, aut bis, si liceret per negotia Ecclesiæ, eadem, quoad vixit, absolvebat. In Synodo quoq; Mediolanensi decrevit . ne quis initiaretur Sacerdotio, nisi per aliquot dies Exercitijs Spiritualibus præpararetur. Vincentio Duci Mantuano, Bibliothecam suam monstranti, reposuit idem Sanctus Cardinalis: Mihi quoq; Bibliotheca est perampla, sed in libelli coacta Epitomen; ex quo plura intelligo, quàm possim ex cæteris omnibus discere: subdiditq; ; hunc esse Exercitia Spiritualia S. Jgnatij. *Hæc & plura Bartol. in Vita S. Jgn. lib. 1.*

Ex his, & similibus prædictorum Exercitiorum Encomijs & Fructibus, qui etiamnum non deficiunt; ampliorem meretur fidem, quod Religiosissimus & gravissimus Scriptor, Ludovicus de Ponte, in Vita P. Baltha-

saris

Chasaris Alvarez S. J. refert c. 43 Nimirum DEIparam V. An: 1600. misso ad quandam eminentis virtutis personam in Hispania, Gabriele Angelo, cùm Exercitia absolvere cogitaret; hæc ei significasse. *Exercitijs, quæ facere cogitas per mentis ratiocinationes & meditationes (in eum fere modum, quo fiunt in Societate) singulare obsequium Reginæ nostræ præstabis. Significat enim tibi: se fuiße, & eße, tanquam Patronam, & Fundatricem illorum Societatis Exercitiorum; seq; adjuviße, & docuiße S. Jgnatium, ut ita fierent.* Deniq; magnorum virorum sensus est, compluribus experimentis comprobatus: *Quem S. Jgnatij Exercitia non corrigunt; nec ipse corriget Infernus.*

XV. FEBRUARII,

DEUS, JESUS & MARIA amant Jejunium.

1. ADora DEUM O. M. & considera eum, ut eximium amatorem jejunij & jejunantium. Cùm enim Jejunium vitijs subtrahat pabulum, imò & incentivum, vigorem verò addat mentibus, & virtutibus, quarum fame quâdam tenetur DEUS; non potest non habere suavissimum gustùm in jejunijs nostris rectè ordinatis. Unde Jejunium Tob: 12. tanquam condimentum quoddam orationis commendatur ab Angelo: *Bona est oratio cum jejunio.* Ninivitæ jejunantes facilè placaverunt iratum DEUM. Jon: 3. Moyses jejunio impetravit tabulas legis. Elias jejunio meruit mirabilis visionis solatia à DEO. 3. Reg. 19. At quàm insipidum est jejunium asino nostro? Qui nisi subinde maceretur, quid novit impingvatus, quàm recalcitrare? Ne sinas, ô Domine, servum tuum fieri mancipium ventris sui. Ut serviat tibi fideliùs anima mea; castigabo corpus & redigam in servitutem.

2. ADora D. JESUM, & considera, quomodo prædicationem Evangelij aggredi noluit, nisi præmisso 40 dierum jejunio. Quâ quidem dispositione ipse non eguit, sed nobis necessariam imprimis esse docuit, tum ad expiandas noxas præteritas, atq; evitandas alias, quas plenus venter parere solet; tum ut aptiores simus ad adorandum DEUM in *Spiritu & veritate*, tum ut capaciores simus divinæ lucis, seu cœlestium illustrationum, quibus recipiendis caput fumans ab escis & poculis aptum non est; tum ut à DEO voci nostræ addatur gratia & virtus; ut placeat & moveat audientes; ne similes simus æri sonanti, & cymbalo tinnienti tantùm. Da, Gratiosissime JESU, quod tam illustri exemplo docuisti. Tu nôsti, quàm avidum copiosi, imò & delicatioris pabuli sit jumentum meum; sed tu, obsecro, da gratiam, ut sapiat illi solitus virtutis cibus,

Jejunium; & agnoscat, non in solo pane vivere hominem; & tenui oleo potiùs, quàm animalium pingvedine ali lampadem luminum cœlestium.

3. VEnerare DEIparam V. & considera, quàm addicta fuerit & ipsa Jejunio. Imprimis illam non momordit gula primorum parentum: ideoq; in corpore ejus integerrimo, innocentissimoq; non reperiebatur ulla immoderatio appetitûs sensualis. Deinde precibus & jejunijs sterilium parentum concepta, magis virtutis & gratiæ, quàm naturæ animalis partus fuit. Ad hæc à teneris annis oblata DEO, orationi, & contemplationi divinorum, diu noctuq; dedita, delicijs cœlestibus innutrita, fastidiebat potiùs quàm appetebat terrestria. At nobis, quàm importunus exactor venter est? Infunde, ô dulcis Mater gratiæ, incrassatæ huic animæ, guttulam roris divini, ut illo inescata minùs inhiet pingvedini terræ.

Propositum de majore studio Abstinentiæ & Jejunij.

LECTIO PRACTICA

Ad agenda & impetranda magna adhibendum Jejunium.

MAgnum opus Prædicationis Evangelicæ auspicaturus Universalis Angelorum hominumq; Magister Christus: in arenam quoq; ad singulare certamen cum Satana descensurus Rex & Dux noster: non Orationem duntaxat Contemplationemq; sed rigidum quoq; dierum 40. Jejunium adhibuit. Non alia autem de causa jejunio illo se maceravit, ut notavit S. Ambrosius epist. ad Vercell: Eccles. *nisi ut nobis exemplo esset ejus jejunium. Volens ergo Dominus JESUS nos adversus diaboli tentamenta fortiores reddere; certaturus jejunavit: ut sciremus; quia aliter illecebras mali non possemus vincere.* Unde etiam dixit Matt: 17. Quoddam genus dæmoniorum non exire ex homine, *nisi in oratione & jejunio,* Vide, monet Aug: Serm. 65. de Temp: quanta sit Jejuniorum virtus: ut id facere jejunia valeant, quod Apostoli nequiverunt.

Meritò Ambrosius, *Certamen nostrum Jejunium est,* ait lib. de Elia & Jejun: c. 1. *quo Christus Dominus præliatus est, ut vinceret, & nobis formam debellandi præscriberet.* Et lib. 6. Hexamer. scribit: *Jejuni hominis sputum si serpens gustaverit, moritur. Vides, quanta vis Jejunij sit: ut sputo suo homo interficiat serpentem & terrenum & spiritualem.* Eandem jejunij vim contra malignos spiritus commendat S. Athanasius lib. de Virginitate: *Quisquis,* ait, *ab immundo spiritu vexatur, certum habere debet hoc pharmaco, jejunio tuquam, statim spiritus malignos afflictos abscedere, vim jejunij metuentes.*

Grave jugum Philisthæorum passi Israelitæ, cùm 1. Reg. 7. sub Sa-

suele animos resumpsissent ad illud excutiendum; jejunio inprimis se armaverunt. Congressi deinde cum hostibus tam insigni clade eos atterverunt; ut temporibus Samuelis non præsumpserint ampliùs consurgere contra Israel. Judas etiam Macchabæus cum gentibus pugnaturus 1. Mach. 3. 47. jejunio suos armavit ad prælium, cætera fere inermes; nam nec tegumen nec gladium habebant: & nihilominus selectum Gorgiæ exercitum felicissimè profligârunt. Hierosolyma à Sennacherib tempore Ezechiæ regis & Isaiæ per jejunium liberatur 4. Reg. 19. & centum octoginta quinq; millia cœlitus interfecti sunt in nocte una: inquit S. August. Serm. 25. ad Frat: in Eremo.

Ad Legem à DEO iterum accipiendam Moyses per 40 dierum jejunium sese disposuit: & quod gula populi dilapidavit, jejunium recuperavit Exod. 34. Elias jejunio cœlum clausit sacrilego populo Judæorum: jejunus filium viduæ ab inferis suscitavit: jejunus pluvias & ignes de cœlo excivit: jejunus curru ad cœlum raptus est, & 40 dierum jejunio divinam acquisivit præsentiam. Tunc deniq; plus meruit, quando plus jejunavit: ait S. Ambros. lib. de Elia & Jejunio. Esther & Judith indicto Jejunio, DEUM conciliarunt, & populum suum ab interitu liberarunt. Similibus eventibus etiam posteriora affluunt sæcula. Plerumq; rebus desperatis remedium opportunum attulerunt jejunia: & exhaustis corporibus, vigor accrevit animis.

Operarijs Evangelicis quantopere conducant, imò necessaria sint crebra & arcta jejunia, docent ab Apostolorum temporibus sæcula omnia. De Apostolis dixit Christus Matt. 9. *Cùm auferetur ab eis Sponsus*, ipse Christus per mortem; *& tunc jejunabunt.* S. Paulus 2. Cor. 11. ait: se Evangelium prædicando vixisse *in fame & siti, in jejunijs multis.* Eorum vestigijs institerunt constanter, quicunq; posterioribus sæculis Christi nomen & DEI gloriam promoverunt notabiliùs, docendo aut scribendo: ut omnino mirum sit, & prodigio proximum; eos in tanta victus parcitate, ac alijs insuper mortificationibus, tantos sustinere potuisse labores. Basilio, Gregorio Naz. Hieronymo, Francisco Borgiæ &c. vix ossa & pellem reliquerunt jejunia. Sed quantò magis ipsi macerabant corpora; tantò magis eorum mentes saginabant cœli deliciæ, laboresq; magis fœcundabat DEUS. S. Franciscum 40 dierum jejunia Seraphinum fecerunt, & SS. stigmatibus vulnerû Christi insigniverunt; S. Jgnatio quanta cœlitus lumina, & quanti Patriarchæ gloriam meruerunt continuata per annum in Manresana specu rigidissima jejunia? S. Xaverij vilissimum tenuissimumq; victum,

ctum, & hunc plerumq; sub noctem sumptum, sæpe biduo triduove, subinde integrâ hebdomade neglectum, quàm fructuosa prædicatione mumeratus est DEUS! Maximis Doctoribus, D. Thomæ Aquin: Bonaventuræ, Francisco Suarez &c. Solemnissimum fuit, occurrentibus in re literaria insuperabilibus difficultatibus, ad orationem ardentem addere jejunium severiùs: & Pater luminum damna corporis liberalius compensabat illustrationibus mentis.

Deniq; fidenter asserit S. Cyprianus lib. de Jejunio: *Quotquot viros virtutum videmus; sine jejunio non legimus ascendiße* (ad aliquod fastigium virtutis) *Nec aliquod magnum moliti sunt: nisi priùs Abstinentia præcesßißet.* Memorabilis sententia; ad quam animum advertere oporteret non solùm mitigati Evangelij sectatores, qui omnia pleno ventre conficere, & in adyta divinorum mysteriorum irrumpere volunt: sed etiam quosdam è Spiritualibus nostris, quos à rigore jejunij facilè absterret labor aliquis mentis, aut oris, aut Valetudinis minùs robustæ. Dij gentium omnia laboribus vendebant: DEUS noster Oratione & Jejunio. Notandum quoq; quod suggerit S. Basilius Serm: de abdicat: rerum: *Si gulam* inquit, *in officio continueris; paradisum habitabis: sin minùs; hoc tibi persuade: pabulum te mortis futurum.*

XVI. FEBRVARII.

DEUS non solo pane, sed etiam verbo suo nos sustentat: CHRISTUS cum Matre sua famem sitimq; tolerant.

1. ADora DEUM O. M. & considera eum, ut locupletissimum patremfamilias, qui familiam suam non solo pane; seu rebus ad nutritionem corporis pertinentibus sustentare potest, sed etiam omni verbo suo, sive scripto, sive inspirato, testante Christo: Matt: 4. & allegante textum Deuter. c. 8. v. 3. *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore DEI.* Alit autem nos verbo suo. 1. Pascendo animam, tum meditatione divinarum scripturarum, tum internis cœlestibus solatijs, & delicijs quas non capit animalis homo. 2. Alendo nos amplissimis & certissimis promissis paternæ suæ Providentiæ. *Nolite soliciti eße, quid manducetis &c. Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis* Matt. 6. Alit nos. 3. VERBO suo æterno, quod nobis factum est caro, & cibus, potusq;. Solicitissime de familia tua DEUS, quidni oculi, omnium sperent in Te, qui non solùm liberali manu largoq; pane, sed ipsis etiam verbis tuis pascere & saginare nos potes? Parce diffidentiæ meæ. In te dein-

deinceps sperabo fiducia majore.

2. ADora D. JESUM & considera eum, ad expiandam gulam nostram, post 40 dierum jejunium divinâ virtute toleratum, famere cœpisse; per quem nec ales esurit, sed omne animal impletur benedictione. Passus autem est famem, sicut & sitim, non eâ solùm vice, sed aliàs sæpiùs, etiam tempore prædicationis. Ut cùm Matt. 21. *mane revertens in civitatem* (Hierosolymam) *esurijt*, & ficulneæ sterili maledixit. Et cùm Joan: 4. *fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem* solâq; voluntate Patris levabat, an solabatur, famem, sitim verò petito à Samaritana pauxillo aquæ. Et quando Matt: 12. discipuli esurientes vellicabant spicas, credibile est, Magistrum dissimulâsse potiùs quàm non sensisse famem. Nos non tam fames, quàm gula vexat: & cùm ventrem opplevimus, adhuc oculi esuriunt. Da, patientissime JESU, ut tecum, & cum Apostolo tuo sciam *& abundare, & penuriam pati, & satiari & esurire.*

3. VEnerare DEIparam V. & considera, ipsam quoq; non rarò inopiam, famemq; passam esse, præsertim in itineribus longioribus, & rigidis jejunijs voluntariè assumptis. Non enim corpus licèt innocentissimum, delicatè aut indulgenter habebat, maximè postquam Filium in corpore suo tanta passum vidit. Nobis prima corporis fovendi, postrema animæ cura est: illud saginamus, istam inediâ interire sinimus: quasi nesciremus, nos angvem, aut hostem alere capitalissimum. Pergimus blandiri Dalilæ, carni nostræ, quæ non semel Philisthæis Tartareis nos tradidit. Averte, ô Domina, à me insanum hunc deterioris partis amorem. Arma me potiùs sancto in illam odio, & tuâ filiiq; tui fame expia gulæ meæ peccata.

Propositum de tolerandis defectibus in victu.

LECTIO PRACTICA.

Quàm indecens sit: Christianos servire Gulæ.

SI nimiùm nos perstringunt exempla CHRISTI, Anachoretarum, aliorumq; è familia & schola Christi, qui spiritu magis, quàm cibo potuq; materiali vivebant: advertamus animum ad gentilium exempla, qui egregia animi magnitudine servire gulæ dedignabantur. Pompejo ægrotanti Medicus turdos præscripserat in cibum, eâ anni tempestate, quâ comparari non poterant: Suggerente verò quodam; apud Lucullum, hujusmodi raritatibus assvetum, inveniri posse; Itane, inquiebat Pompejus, nisi delicijs deditus esset Lucullus, nequaquam viveret Pompejus? Contemptoq; medico, cibis parabilibus usus est.

Agesilaus, cùm per Thasiorum agros, quæ gens ut rerum copiâ abundabat, ita voluptati erat addicta, exercitum duceret; Thasij honoris gratiâ dono liberali miserunt farinas, anseres, bellaria, liba ex melle condita, varijq; generis ac pretij esculenta & poculenta. At ille præter farinas nihil admisit, sed reliqua domum referri jussit, tanquam sibi quisq; prorsus inutilia. Cæterum cùm illum precibus urgerent, ut oblata xenia non repudiaret: jussit ea distribui inter Helotes (id erat apud Lacedæmonios mancipiorum genus) ejusq; facti causam sciscitantibus reposuit: Non decere, qui virtutis fortitudinisq; studio tenerentur, istiusmodi delicias cupediasq; recipere: sapienter ostendens; nihil esse magis servile & abjectum, quàm gulæ servire. *Lohner in Biblioth. v. Abstinentia. § 6.*

Quid ad hæc Christiani? Quid Spirituales? Quid Religiosi? Num delicatiori militiæ adscripti sumus? An magis indulgentem, sive sibi, sive nobis, habemus Imperatorem? Quod infirmus non appetit, imò respuit Magnus Pompejus: sine eo vivere non poterit sanus Christianus? Quod Agesilao servile erat; Christianis honori erit? CHRISTUS, Dux & Rex noster, nostrâ causâ fame tabescebat non rarò, siti torrebatur, obvijs, & piorum liberalitate oblatis, victitabat: inter Christianos reperientur, *quorum DEUS venter est, & gloria in confusione ipsorum*: quales notavit Apostolus Philip: 3. quorum præcipua occupatio est, ingerere, digerere, egerere: ut dixit S. Bernardus?

Non hæc eò tendunt: quasi omnes, cujuscunq; conditionis homines, eodem, idq; plebejo, victu vivere deberent: sed ne vivamus mancipia ventris nostri, & ad regnandum nati, serviamus gulæ. Tunc autem servimus gulæ & ventri: quando non Ratio recta, sed Appetitus sensualis nobis imperat, quali & quanto cibo potuq; uti debemus; nos autem nulli parcimus diligentiæ, sumptui, & tempori; ut ei morem geramus. Quanta hinc oriantur incommoda rei familiari, valetudini corporis, sanitati mentis, negotiorum graviorum expeditioni, officiorum propriorum administrationi, divini cultûs exhibitioni, saluti deniq; animarum æternæ: nemo non videt. Et tamen his omnibus postpositis, satisfaciendum est gulæ, obeditur ventri. Nonne hæc dura & dira, simulq; ignobilissima servitus? Ignobilissima: quia non humana, sed brutalis: imò brutali deterior. Bruta enim pleraq; appetitui suo, solùm eatenus obsequuntur, quatenus ad naturæ necessitati satisfaciendum ducit: ultrà nec pabuli, nec potûs aliquid, etiam obtrusum, admittunt, vel appetunt. Apud homines, nisi maturè se opponant, in tantum invalescit dominatus sensualis appetitus: ut nihil naturæ aut rationi

liceat: sed illius nutu omnia agantur. Extingvatur ratio, succumbat natura, cedat DEUS; quidquid de vita temporali & æterna futurum sit: satisfiat gulæ.

Job 39. laudatur Onager; quòd *clamorem Exactoris non audit*. Per hunc Exactorem intelligit S. Gregorius lib. 30. Mor: c. 12. Ventrem animalis, qui tanquam avarus & importunus exactor, *quotidianum fructum humani laboris sibi impendi* exigit jure quodam naturæ. Verùm natura paucis contenta non multum ei juris concessit: plurimum sibi iniquissimè usurpat stimulante gula. Quòd hunc igitur exactorem non audiat, laudat DEUS ipse loco cit: Onagrum, animal habitans *in terra salsuginis*, seu deserto, patiens famis, & obvijs vilissimis herbis contentum, simile Scytharum Europæorum equis, quos Bachmatos vocant. Quantò minùs decet homines liberos, in sortem filiorum DEI vocatos, Exactoris illius audire vocem? Quò plùs ei tribuitur, plùs exigit; planè dolium pertusum, & vorago inexplebilis, venter gulosus. Si quid extorquere, vel emungere non potest, etiam furtim subducere, non veretur. Primùm agit naturæ exactorem, ut consulatur communi membrorum necessitati: mox fasces assumit, & membra cætera tributaria facit suæ voluptati, & libidini.

Tam iniquo exactori, duroq; dictatori, resistendum strenuè Christiana libertate cum Apostolo 1. Cor. 6. *Omnia*, inquit, *mihi licent*: possum his & illis cibis poculisve uti: *sed ego sub nullius redigar potestate*. Uni Christo, non ventri aut gulæ, serviam. *Esca ventri, & venter escæ: DEUS autem & hunc & has destruet*. Anima æterna primas & supremas meretur curas.

XVII. FEBRUARII.

DEUS varijs tentationibus subjecit homines: Etiam CHRISTUS tentatus: non DEIpara V.

1. ADora DEUM O. M. & considera; eum altissimo judicio suo varijs tentationibus obnoxium fecisse hominem. Tentat nos imprìmis per se ipsum, non inducendo in peccatum (sic enim *neminem tentat*. Jacob. 1.) sed occasionem meriti præbendo; prout tentavit Abrahamum jussum immolare Filium. Tentamur à malignis spiritibus, dolo, arte, usu diuturno valentibus, & quâ parte debiliores sumus, non ignorantibus. Tentamur ab hominibus, plerumq; improbis, subinde etiam probis. Tentamur maximè & assiduè à proprijs pravis concupiscentijs nostris. *Unusquisq; tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus* Jacob. 1. Quis è tot salvus evadat tentationibus, nisi tuâ illustratus & munitus gratiâ, Magne DEUS?

Probo

Proba me Domine, & tenta me, ut placet; *sed fac cum tentatione proventum.*

2 ADora D. JESUM & considera: admirandam ejus dignationem, quâ passus est tentari à Diabolo, & ad peccata jam gulæ, jam præsumptionis, jam avaritiæ solicitari. Permittit se tentatori humillimus JESUS, iteratos ejus assultus impudentissimos mirâ mansuetudine sustinet: non expedit iterum rudentes Inferni, ad retrahendam in Tartara importunam belluam, non vibrat fulmina, facessere solùm jubet: *Vade Satana*: nec alijs quàm divinarum scripturarum armis profligatum conijcit in fugâ. Ostendit Magister Sapientissimus, ex quo armamentario & nobis petenda sunt arma in simili casu. Si dœmon urgeat impurus; recole illud Rom: 8. *Si secundùm carnem vixeritis, moriemini.* Si gulosus; apprehende illud 1. Cor: 6. *Esca ventri, & venter escis: DEUS autem & hunc, & has destruet.* Si elatus & fastu turgidus; produc illud Matt: 20. *Erunt novissimi, primi, & primi novissimi.* Et sic de cæteris. Gratias tibi Infinitas, Sapientissime JESU, quòd tam copiosè instuctum mihi aperueris armamentarium, in quo omnis armatura fortium. Suggere mihi, obsecro, in tempore, quidquid judicaveris opportunissimum, ut nihil proficiat inimicus in me.

3 VEnerare DEIparam V. & considera; quòd quamvis se ipsum Christus exposuerit tentatori, eum quodammodò provocando ad singulare certamen, ut ostenderet, quàm facilè, & quomodo vinci possit etiam à nobis: Matrem tamen suam tantâ munierit providentiâ, ut non tantùm nihil profecerit inimicus in ea, sed etiam non apposuerit Filius iniquitatis nocere ipsi. Ipsa est *Urbs illa fortitudinis nostræ*, de qua prædixit Propheta; *Salvator ponetur in ea, murus & antemurale.* Isaiæ 26. Ipsa loquitur Cant. 8. *Facta sum coram eo, quasi pacem reperiens.* Et quomodo eam lacesseret draco antiqvus, quæ in ipsa immaculatissima Conceptione sua caput ejus contrivit? Gratulor tibi, ô Augustissima, singularem hanc ab omni tentatoris assultu immunitatem, & supplex oro: Adesto servulis tuis, quorum tota vita est militia & tentatio super terram.

Propositum invigilandi diligenter tentationibus.

LECTIO PRACTICA.

Quantâ omnibus, & semper, opus sit Vigilantiâ.

FRequenter, & solicitè, nos excitat Dux, & Magister noster Christus: *ut Vigilemus*; tum quia nescimus diem, neq; horam, qua ad excipiendas à nobis actæ vitæ rationes venturus est: tum quia varijs & periculosis expositi sumus tentationibus. *Vigilate, & orate: ut non intretis in tentationem*; monuit Apostolos suos, & nos in ipsis Matt: 26. Vigilate semper; qua

quia tentator nunquam dormit, nec animum nocendi deponit. Vigilate ubiq; quia tempus omne, & locus omnis opportuna ſunt tentationibus. Vigilate omnes: quia nulla hominum ætas vel conditio immunis eſt à tentatione. Vigilate attentè: quia non tam aperto Marte, quàm fraudibus & inſidijs hoſtilitas exercetur. Vigilate deniq; ſolicitè: quia non ſolùm ab hoſtibus, ſed etiam ab amicis, & amiciſſimis, imminent tentationes, & probis & improbis.

Improbis minùs infeſti ſolent eſſe dœmones tentatores: quia à concupiſcentijs ſuis, & contractis pravis habitibus jam ſatis illaqueati & conſtricti, non videntur evaſuri fauces ipſorum; ſed potiùs magis magisq; proprio motu ituri in profundum vitiorum & damnationis. *Eos pulſare negligit diabolus: quos quieto jure poſſidere ſe ſentit:* inquit S. Gregorius lib. 24. Mor. c. 12. Venator eſt: qui inſidias non tendit jumentis, alijsq; domeſticis animalibus, ſed feris liberis, cervis, damulis &c. id eſt, probis, qui manus & caſſes ipſius fugiunt. Unde etiam non rarò contingit: ut probi in morte graviſſimè infeſtentur: improbi autem ſæpe placidiſſimè decedant. Securi enim ſunt illi Orci ſatellites de ea præda; facilèq; momentaneam concedunt quietem, carnificinam æternam jam jam ſubituris.

Ubi tamen advertunt, ut ſagaciſſimi ſunt, aliquem de pœnitentia cogitare: vel per ſeriam pœnitentiam è caſſibus ſuis jam evaſiſſe: tum deniq; omnibus fraudum artificijs, viribusq; contendunt; ut amiſſam prædam recuperent, vel ne captam amittant. Nec contenti multiplicatione fraudum & machinarum, numeroſa ſociorum cogunt agmina, & quanta poſſunt potentiâ, bellum movent, præſertim in morte. Ad extrema vitæ devenerat Eques quidem Germanus, Cuno dictus, homo prædives, & vitæ licentiâ famoſus: ſed qui jam à triennio in Religione piè vixerat; ut actam vitam expiaret. Ad hunc tentandum, & in ſuas ungves reducendum, convenerunt facile quindecim millia dœmonum: prout faſſus eſt dœmon, qui ab energumena per aliquod tempus abfuerat, ut illi prælio intereſſet. Non tamen ex voto ipſis cecidit alea, ſalvato Cunone. Proh! quanto diſcrimini ſe committunt, qui negotium ſalutis ſuæ ad illum articulum remittunt! *Lohn. in Bibl. V. Mors.*

Cæterùm ſi dœmones nobis tentandis deeſſent: non deerunt homines; idq; non mali ſolùm, ſed etiam boni; qui dum bono fine, rectaq; mente ſibi agere videntur: egregiam ſuppeditant patientiæ materiam, aut labendi occaſionem, niſi attendamus. Si homines deeſſent; non deerunt propriæ paſſiones noſtræ tam concupiſcibiles, quam iraſcibiles; quas levi

motu vel tentatores dœmones, vel fortuitò occurrentia objecta concitant. Ipsa quoq; innata voluntati nostræ levitate fit: ut, dum jam his, jam illis objectis animum sensumq; incauta applicat, tentationes sibi accersat non leves. Deniq; si cætera deessent, non deerit DEUS ipse; qui hac illave data occasione vult experiri: quam probo firmoq; erga ipsum, & virtutem simus animo, ut causam habeat præmiorum. Sic optimo seni Tob. 12. dictum: *Quia acceptus eras DEO: necesse fuit, ut tentatio probaret te.*

Unde Dominus apud Kemp. lib. 3. c. 35. *Fili*, inquit, *nunquam securus es in hac vita: sed quo ad vixeris, semper arma spiritualia tibi sunt necessaria. Inter hostes versaris: & à dextris, & à sinistris impugnaris. Si ergo non undiq; uteris scuto patientiæ, non eris diu sine vulnere. Insuper, si non ponis cor tuum fixè in me, cum mera voluntate cuncta patiendi propter me: non poteris ardorem istum sustinere, nec ad palmam pertingere Beatorum.* Advertendum autem: quòd quàmvis Patientia multum possit in hoc negotio: Vigilantia tamen inprimis sit necessaria. Nam tentationes prævidisse, vel deprehendisse; est eas evasisse, vel magna ex parte infregisse. Deinde vigilandum est 1. Ut non intremus in tentationem. 2. Ut in ea existentes non succumbamus. 3. Ut Victores exeamus. Non somnolento hic oculo opus est, sed experrecta mente, & in omnem partem intenta. Nam & deprehendere oportet: An tentatio sit à DEO, vel à spiritu malo? Et media debent esse perspecta, vel diligenter inquiri: quibus feliciter emergamus. Demùm superata tentatione, videndum: ne vel animo intumescamus per superbiam, vel nimis securi reddamur per socordiam.

Observandum deniq; diligenter monitum Thomæ Kemp. l. 1. cap. 13. *Vigilandum est præcipuè circa initium tentationis: quia tunc faciliùs hostis vincitur, quando ostium mentis nullatenus sinitur intrare.*

XVIII. FEBRUARII.

DEUS victores in tentationibus honorat: CHRISTO ministrant Angeli: DEIpara V. vincit & triumphat in Clientibus suis.

I. ADora DEUM O. M. & considera; quàm largè reficit, & honore coronat eos, qui in tentatione fortiter se gesserunt. Patet in Patriarcha Abrahamo, Josepho. Job, Davide, & innumeris alijs. In Apocalypsi cap: 2do, & 3. quàm ampla & gloriosa proponuntur prœmia & epulæ vincentibus? Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quòd est in paradiso DEI mei. Qui vicerit non lædetur à morte secunda. Vincenti dabo manna absconditum, & dabo illi calculum candidum; & in calculo nomen novum

novum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit. Qui vicerit, & custodierit usq; in finem opera mea: dabo illi potestatem super gentes, & reget eas in virga ferrea. Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis, & non delebo nomen ejus de libro vitæ; & confitebor nomen ejus coram Patre meo, & coram Angelis ejus. Qui vicerit, faciam eum Columnam, in templo DEI mei. Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo. Optime, Maxime DEUS, quàm blandè invitas, quàm gloriosè coronas fortiter certantes! Præcinge me Domine virtute, doce manus meas ad prælium. Tibi vincam.

2. ADora D. JESUM, & considera; quàm libenter & reverenter, jussu Patris cœlestis, ei ministrârunt Angeli post triplicem victoriam de tentatore Lucifero relatam? Quos obtulerint cibos, de optimis fructibus terræ, quo affectu? Credibile est, S. Michaëlem agmen duxisse, & omnium nomine gratulatum esse iteratam victoriam de perduelli; obtulisse adversùs tenebrarum potestates, omnem operam suam, cum summa submissione tanquam Domino & DEO suo, repetitâ solemni illâ acclamatione sua; *Quis ut DEUS*? Exulto, & ego victoria tuâ, gloriosissime JESU, gratulor profligatum hostem, adoro victorem, & humillimè supplico: ut in anima mea undiq; oppugnata renoves victoriam tuam. Pugnabo tecum, Tu vinces.

3. VEnerare DEIparam V. & considera ipsam, quotidianis Clientum suorum victorijs de hostibus stygijs, gloriosam. Fervent etiamnum inter ipsam & serpentem antiquum, ac inter semen utriusq;, positæ inimicitiæ. Genes. 3. Intentus est iste omni tempore ad nocendum: magis intenta illa ad protegendum sibi addictos. Nec protegit solùm, verùm offensivè pugnat in hostem, incitando, ut & fortiter resistant & ex ipsis tentationibus occasionē sumant eliciendi insignes virtutū actus, humilitatis, patientiæ, mortificationis, aliosq; tentationibus planè oppositos. Quod est, totidē lethales plagas hosti stygio inferre. Excita, & arma, etiam me, ô Potentissima Regina ad hoc genus pugnæ. Quascunq; ab hoste profligato feram palmas; sacris tuæ Majestatis plantis substernam devotus.

Propositum v. g. resistendi strenuè tentationibus pravis.

LECTIO PRACTICA.

Incitamenta quædam ad resistendum strenuè tentationibus.

PRimùm est, quod exhibet Meditatio præcedens. quia nimirum DEUS victores insigniter honorat, solatijs cœlestibus reficit, nunc varijs gratijs locupletat, in futuro æternā gloriâ coronabit. Grande sanè mo-

mentum ad pugnandum fortiter, etiam usq; ad sangvinem, & vitæ profusionem. De strenuo quodam milite in oppugnatione cujusdam munitionis occumbente, egregiè dixit Stephanus Bathoreus Rex Poloniæ: *Hic nobilis mortuus est in lecto honoris.* Quantò magis, & in gloriosiore lecto honoris moritur, qui gloriosissimis Martyribus suppar, moritur in acie, pugnans contra hostes Regis sui DEI?

Alterum est insignis voluptas, quam strenuè certantes adferimus Christo Domino nostro, & Matri ejus. Habent reges & belli duces singularem suam delectationem, dum vident milites suos singulari certamine fortiter pugnantes cum antagonistis suis. Undè 2. Reg. 2. cruenta inter 24 robustos pugna *Lusus* appellatur. *Surgant*, inquiebat Abner ad Joab, *pueri, & ludant coram nobis. Apprehensoq; unusquisq; capite comparis sui, defixit gladium in latus contrarij; & ceciderunt simul.* Vocatumq; est nomen loci illius, *Ager robustorum.* Majore cum voluptate spectant, DEUS Dominus noster, & Gratiosissimi Principes nostri, JESUS & MARIA, strenuè certantes cum spiritibus malignis, qui & naturâ, & ingenio, & peritiâ multâ, longè nobis validiores sunt. Videt JESUS militem suum, MARIA Clientulum suum, ut parvulum Davidem cum immani Goliath, non minùs prudenter quàm animosè congredientem; & contra monstrum illud, ingenti gladio, hastâ & loricâ munitum, prævalentem in funda & lapide, atq; proprio gladio provocatorem præsumptuosum jugulantem: & quomodo non exultent, non triumphent?

De S. Antonio scribitur: quòd quodam tempore à dœmonibus graviter delumbatus, flagellatus, & conculcatus; cùm oculos sustulisset, viderit cellæ tectum dividi, & splendissimum cœlitus illabi radium: quo illico omnis dœmonum turba dissipata est, & vulnerum dolor abstersus. Dominus quoq; spectabilem se exhibuit: ad quem cùm Antonius, ductis è fundo cordis gemitibus, dixisset; Ubi eras bone JESU, ubi eras dum tam malè me diaboli haberent? Cur initio pugnæ non adfuisti, ut infestos coërceres? respondit Dominus: Hìc à principio fui: sed aspexi, quomodo te in pugna habebas, & quàm strenuè pugnâsti. Semper tibi auxilio ero: & te per totum terrarum orbem celebrari faciam. Tam grata & jucunda JESU & MARIÆ cùm sit strenua pugna nostra in tentationibus: id solum nobis sufficere deberet ad fortiter certandum; quemadmodum generosis militibus satis est, *Placuisse Duci*, etsi pereundum sit.

Tertium est: quod DEUS & Dominus noster JESUS non sit otiosus solùm spectator pugnæ nostræ, & qui tantùm plausum det, ac prœmium: sed

sed ipse est principalis ac præsentissimus Patronus pugnæ, & Adjutor fortis: imò ipse est primariò, qui pugnat, & vincit in nobis; docet manus nostras ad prælium, & digitos nostros ad bellum. *Oculi Domini contemplantur universam terram, & præbent fortitudinem*. 2. Paral. 16. *Providebam Dominum in conspectu meo semper: quoniam à dextris est mihi, ne commovear*: inquit David Psal. 15. Et Jeremias c. 20. *Dominus autem mecum est, quasi bellator fortis: idcirco qui persequuntur me, cadent & infirmi erunt: confundentur vehementer*. Dum enim in discrimine tentationis versamur: non solùm agitur nobis de anima nostra; verum & illi agitur de creatura sua ad imaginem suam producta, in filiam recepta, tantoq; divini sangvinis impendio redempta: insuper agitur ei de honore & gloria sua, cujus zelosissimus est assertor & vindex. Proinde libentissimè nobis assistit, & necessarium consilium auxiliumq; præbet contra communem hostem diabolum. Unde magnos assumere nos decet animos, & totis viribus consurgere in prælium, constanterq; urgere victoriam, inconcussam reponentes spem in Domino & auxilio ipsius, exemplo Israelitarum, qui *invocato DEO per orationem*, fortissimum Nicanoris exercitum prostraverunt, *præsentiâ DEI magnificè delectati*. 2. Machab. 15.

Quartò deniq; dum urgemur tentatione, alliciente vel impellente nos ad peccatum, undecunq; ea proveniat: res nobis est de Anima, & salute ejus æterna, vel damnatione. Quanto fervore, imò furore, ardent homines in prælia, quàm pertinaciter ducunt bella, dum agitur de puncto honoris vel terræ? Et ignavi complicabimus manus, dum agitur de statu animæ æternùm felici, vel infelicissimo? Si in hac occasione & tentatione succubueris, fortè resurges nunquam: fortè hoc est ultimum peccatum tuum lethale: post quod si non illico præcidetur filum vitæ, sequetur extrema mentis excæcatio, cordis obduratio, & finalis impœnitentia: prout contigit plurimis. Accingamur ergo tanquam filij Potentis. *In DEO faciemus virtutem; & ipse ad nihilum deducet tribulantes nos*. Psal. 59.

XIX. FEBRVARII.

DEUS per Filij prædicationem mundum erudit: CHRISTI labores in prædicando: DEIpara V. laborum consors.

I. ADora DEUM O. M. & considera continuam & indefessam ejus curam in hominibus erudiendis. Imprimis impressit illis indelebile lumen rectæ rationis, conformatum primæ & summæ Regulæ omnis honesti, id est, altissimo judicio divinæ mentis suæ, infallibiliter monstranti, quid

ti, quid nobis fugiendum, quid prosequendum sit. Addidit varios exter- nos in omni ætate mundi magistros veræ probitatis, & religionis, præter- tim Patriarchas, Prophetas, aliosq; divinarum legum peritos. Sed cùm hi parùm proficerent apud populum carnalem, duræq; cervicis; misit tan- dem ipsum Filium suum, ipsam æternam, omniscium & Sanctissimam Sapi- entiam suam, apparuitq; in humana *carne gratia DEI Salvatoris nostri omni- bus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem, & secularia desideria, so- briè & justè & piè vivamus in hoc sæculo, expectantes beatam spem, & adven- tum gloriæ Magni DEI, & Salvatoris nostri JESU CHRISTI.* Tit. 2. Com- mendavit eundem & doctrinam ejus nobis Pater æternus tum prodigio- rum magnitudine & multitudine, tum *voce delapsâ ad eum hujusmodi à ma- gnifica gloria* (in monte Thabor) *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui: ipsum audite.* 2. Pet. 1. Gratias tibi immortales, Gratiosissime DEUS, pro Magistro tali, tantoq;. O fiam totus auris, totus mens, ad excipiendam, & exequendam cœlestem ejus doctrinam!

2. ADora D. JESUM, & considera eum, plenum Spiritu S. & zelo divinæ gloriæ, ex deserto egressum percursantem irrequieto studio, vicos, villas, oppida, castella, Civitates & urbes Galilææ, Samariæ & to- tius Judeæ; totisq; viribus prædicantem: Appropinquâsse regnum cœlo- rum, adesse dies Salutis, tempus veniæ & gratiæ. Tenuit is labor to- tum triennium, & aliquantò ampliùs. Dies solidus dabatur prædicationi; nox, quietis tempus, orationi. Laboris assiduitatem non leviter aggrava- bat auditorum tum crassissima ruditas, tum obstinatissima perversitas Prin- cipum, populi & Pontificum summa invidia, incorrigibilis malitia, & in caput Divini Doctoris sui conjuratio sacrilega. Agebat tamen sibi com- missa JESUS; potens in opere & sermone. Clamabat ore: *Qui habet aures audiendi, audiat.* Matt. 11. & 18. Clamabat exemplo, clamabat vul- neribus & sangvine, donec in cathedra crucis (proh! quàm dedecente talem Magistrum) *clamans* voce magnâ, terram movente & petras con- fringente, *exspiravit.* Apud nos quid operata est, aut operatur divina ejus- dem Magistri prædicatio? Numquid & nostra indocilitas fremitum movet illi, ut olim Judæorum? Joan: 11. Parce, Benignissime Magister ignaviæ & vecordiæ meæ. Loquere jam, quia audit servus tuus, sed da gratiam, ut sermo tuus operetur in me omnem voluntatem tuam.

3. VEnerare DEIparam V. & considera; ipsam fuisse individuam la- borum Christi consortem. Impendit, quidquid poterat, in præ- dicationem ejus & prosperos prædicationis successus, seu fructus copiosissi- mos.

mos. 1. Suppeditando Christo, quantum inopia domestica patiebatur, victui necessaria, labore manuum suarum comparata. 2. Orando assiduè, ut audientium corda efficacibus gratijs moveret DEUS. 3. privatis colloquijs inculcando ijs, cum quibus agere contingebat, veritates à Christo prædicatas. Adlabora obsecro, o Mater zelosissima, etiam in hac rudi, & cervicosa anima instruenda. Non tam eget propositione, quàm praxi æternorum Principiorum. Prævalent in illa carnis, & mundi principia, quorum finis est interitus æternus. Fac me æternæ Sapientiæ discipulum docilem, Prædicatorem zelosum.

Propositum imitandi Christum in docendo, vel alijs modis juvando proximum.

LECTIO PRACTICA.

Nullæ difficultates absterrere nos debent à promovenda gloria DEI, & salute proximi.

CUm Luc. 9. Dominus quendam vocasset: *Sequere me*; ille autem reponeret: *Domine, permitte mihi primùm ire, & sepelire patrem meum*; respondit illi Dominus: *Sine, ut mortui sepeliant mortuos suos; tu autem vade, & annuncia regnum DEI.* Brevis, sed mirè emphatica sententia. Si extremum hoc pietatis officium, quod ipsa natura filijs imposuit, vocatis ad munia Apostolatûs non debet impedimento esse vel remoræ, quin suæ respondeant vocationi: quantò minûs aliæ occupationes, præsertim circa temporalia, aut occurrentes difficultates, excusare nos possunt aut morari. Faciant alij, quod volunt, aut debent: *tu autem vade, & annuncia regnum DEI.* Obstent, sive à natura, sive ab hominibus, sive à feris, sive ab ipso inferno objectæ difficultates: *tu autem vade, & annuncia regnum DEI*, promove DEI gloriam & animarum salutem.

Æquitas hujus rei tam manifesta est: ut rationibus suaderi, vel declarari non debeat. Ad incitandos solùm nos, & urgendos, videamus: quàm stre, nui hoc in negotio fuerint gemini Apostoli, Paulus & Franciscus Xaverius. PAULUS cùm Rom: 8. varia, eaq; horribilia, sibi objecisset, quæ viderentur, ipsum separare posse à Charitate Christi, non illâ solùm, qua justificamur; sed etiam, qua per heroica virtutum opera mutuum illi testamur amorem: ac insuper retulisset; se esse ex eorum numero, de quibus in Scriptura, Psal. 43. dicitur: *Quia propter te mortificamur tota die: æstimati sumus sicut oves occisionis*; subjunxit intrepidè: *Sed in his omnibus superamus, propter eum, qui dilexit nos.* Et sanè gloriosè superavit, prout aureo ore declarat Chrysostomus hom: 25. in ep. 2. ad Cor. Nam quò magis, inquit, Satan pericula multiplicabat, hoc magis vincebatur. Non enim

unum

unum genus tentationum adornabat, sed multa & varia. Nam alia laborem, alia timorem, alia tristitiam, alia dolorem, alia curam, alia confusionem, alia omnia simul habebant: attamen in omnibus vincebat; & quasi miles unus habens totum orbem militantem contra se, in medijs hostium versetur agminibus, nihilq; grave patiatur; ita & Paulus. Solus inter barbaros, inter gentes, ubiq; terrarum, ubiq; marium apparebat, & invictus manebat. Et quasi flamma, in calamos & fœnum incidens, in suam naturam, quæ uruntur, transfert: sic & iste omnes invadens, omnia ad veritatem transferebat. Sicut torrens, qui omnia corripit, & impedimenta revellit: & sicut Athleta quidam, ipse luctans, currens & pugilem agens; vel miles muros oppugnans, in campo prælians, & in navibus belligerans: ita omne genus pugnæ tractabat, & ignem inspirabat; uno corpore orbem comprehendens. *Hæc & plura Chrysostomus.*

XAVERIUS quàm liberaliter spiritus Paulinos participârit, declarat difficillima in Indias expeditio ad unum Jgnatij nutum non tam suscepta, quàm arrepta, tantoq; animo promota; ut homine major videretur, nec frustra alquando gigantæa proceritate apparuerit. Nihil tam remotum, arduum, ferum & immane objicere poterat barbara terra, & Oceanus immensus: quod animum Xaverij formidine vel levi perstringeret, ne dicam, everteret. Quin potiùs attollebatur arduis, augebatur periculis, triumphabat inter mortes. Ne insulam Maurum adiret, omni infelicitate damnatam, à feris crudelissimis, & crudelioribus hominibus antropophagis habitatam, ubi Lusitanorum nemo adhuc comparere sit ausus; agmine facto, & omni argumentorum efficacissimorum apparatu prohibebant tum Indi recenter conversi, tum Lusitani, quorum Præfectus etiam annonam & navigium ad transmittendum negabat. At Xaverio omnia frustra fuerunt: & navigium extorsit, & in Insulam penetravit, & multa barbarorum millia, quàmvis inter continua capitis discrimina, Christo addixit. Japoniam ultra Indias semovit natura, ad id temporis Evangelio occlusam: at Xaverio non satis erat remota, nec satis terribilis Bonziorum potentiâ & odijs. In hujus Metropolim Meacum ut penetraret, iter arripuit periculosissimum sævissima hyeme, nudis pedibus, corpore malè tecto, suppellectilis sacræ sarcinâ onustus, viâ tam lubricâ, ut pedester viator plures numeret lapsus, quàm passus. Ibat tamen Xaverius, suoq; illo, DEO pleno, se animo sustentabat, licet per spinas & acuta saxorum, per fluviorum vada, & glacialium montium juga eundum esset tumidis frigore, & vulnere non uno cruentis pedibus, vestium segmentis inter sentes relictis.

Bis

Bis à prædonibus sagittâ ictus, toto bimestri cum itinere difficillimo & periculosissimo conflictatus est, & heroicâ constantiâ vix tandem eluctatus. Sed non ibi metas invenit ingens ille animus: angustæ erant ipsi, & Evangelij, Gloriæq; divinæ propagationi sexaginta octo Japoniæ regna seu Provinciæ. Vastissimum ergo Sinarum imperium, quamvis pœnâ capitis vel perpetui carceris, omnibus advenis obseratum, vastiore mente complexus, non priùs quievit; quàm in ipsius limine indefessam & infractam animam in cœlum evocaret DEUS.

XX. FEBRVARII.

DEUS ministros suos incommodis exercet: CHRISTI prædicantis, & DEIparæ V. incommoda.

1. ADora DEUM O. M. & considera, quomodo ministros verbi sui licèt sibi ut pupilla oculi dilectos, non habeat indulgenter: & animalia trahentia currum gloriæ suæ non pascat continuò merâ avenâ, & largo fonte, sed non raro pane arcto, & aquâ brevi. Isaiæ 30. Eliæ zelosissimo 3. Reg: 17. præcepit: *de torrente bibes*, non de limpido fonte: & à vidua Sarephtana non lautum epulum, *sed subcinericium panem parvulum* famelico præberi voluit. Vas electionis Apostolus, quantis exercitus fuit incommodis & periculis? *Nullam requiem habuit caro nostra; sed omnem tribulationem passi sumus: foris pugnæ, intus timores.* 2. Cor. 7. Et cap: 11. quàm prolixum, gloriosumq; recitat Catalogum ærumnarum suarum & periculorum! Nec indulgentiùs habuit Filium suum in opere Evangelico desudantem. Nos nihil nobis deesse volumus non solùm ad necessitatem, sed etiam ad commoditatem, ne dicam, voluptatem. Numquid egregij sumus Ministri Evangelij Christi?

2. ADora D. JESUM & considera, quanta passus sit incommoda corporis tempore prædicationis. 1. Incommoda viarum, quas semper conficiebat pedibus, portans pondus diei & æstus, noctium verò rigores & vigilias. 2. Incommoda victûs, quo utebatur obvio & parcissimo, atq; ab aliena liberalitate pendente. Si quando lautiori mensæ invitatus accessit; non deerant, qui sinistro eum oculo observarent, & cibos oppositos insulsis moribus ac dictis corrumperent. Modicum æris, quod suorum necessitatibus servabat, furtivâ manu sublegebat quæstor Judas. 3. Incommoda habitationis ob defectum tecti proprij. *Vulpes foveas habent & volucres cœli nidos: Filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet:* Matt: 8. Deniq; 4. incommoda conversationis, ob copiam non solùm

apertorum inimicorum; sed etiam falsorum fratrum, qui videbantur credere; *ipse autem JESUS non credebat semetipsum eis.* Joan: 2. Vide jam, an melior debeat esse conditio servi, quàm Domini? ministri quàm Principalis? Parce Domine delicato servo, degeneri discipulo.

3. VEnerare DEIparam V. & considera, ipsam magna ex parte hujusmodi incommodorum fuisse participem, sive domi commoraretur, sive Christum prædicantem, quod non infrequens erat, sequeretur. Domus ita instructa erat, ut in ea latè regnaret paupertas cum omni comitatu suo, tanquam in regia propria. Itinerantem non comitabatur asellus, qui culcitram, aut penum, aut lagunculas ferret. Quomodo enim commoditatum suarum esset studiosa, videns filium cum tot incommodis conflictari? O Mater patientissima, dignare, iterum, iterumq; parturire me Filium degenerem, donec formetur Christus in me, & Spiritus tuus, commoditatum corporis incurius, regnet in me.

Propositum de minore cura commoditatum corporis.

LECTIO PRACTICA.

Operarios Evangelicos quàm tolerantes, imò avidos, oportet esse incommoditatum.

NEc DEUS servos, nec JESUS socios amat delicatos. Illi habentur in amore & honore; qui Domino ac Duci suo conformari amant, & egestatem, incommoda, ærumnas in delicijs habent. Non enim splendidæ, honoratæ, abundantis, & nulla re egentis vitæ nobis exemplum factus est JESUS: sed laboriosæ, pauperis & contemptæ. Unde Virorum Apostolicorum vox est 2. Cor. 11. *Et esurimus, & sitimus, & nudi sumus.* Suos quoq; monet S. P. N. Jgnatius p. 3. c. 1. §. 25. *Diligant omnes Paupertatem ut Matrem: & juxta mensuram sanctæ discretionis, suis temporibus ejus effectus aliquos experiantur.* Porro inter tempora, quibus nos oportet effectus aliquos S. Paupertatis experiri: facile primum est, Tempus Missionum, aliorumq; laborum Evangelicorum. Tunc enim vel maximè decet prudentem navumq; operarium, non corporis sui commodis, sed animarum lucris intentum esse; & non verbo tantùm, sed factis testari: quod cum Apostolo, *Philip.* 4. sciat *abundare & penuriam pati.*

Habuit semper Societas nostra, qui hanc regulam sunt secuti, & prædicantem pauperem JESUM imitati. Unum omnium admirationi proposuit Eusebius Niriembergius lib. 5. Doctr: Ascet: c. 18. Andream Oviedum, Episcopalibus infulis jam decoratum, deinde Patriarcham Æthiopiæ acturum. Hunc Henricus Cardinalis, postea Lusitaniæ rex, postulavit è Societate; ut Eborensem Diœcesim lustraret. Andreas cum laborem assum-

assumpsit non gravatus: sed cùm Cardinalis mulas, equos & familiam, quæ Episcopum deceret, designâsset; restitit constanter, & efficaciter, uno solùm in societatem itineris socio, & jumento unico, admisso. Impedire tamen non potuit: quin sibi è Clero adderetur Capellanus, qui Sacramenta conferenti ministraret. Huic in mandatis dedit Henricus: ut omni officiorum genere adesset Andreæ; & providè suppeditaret, quæ non necessitati solùm, sed commoditati & decori servirent. Sed hinc inter Andream & Capellanum assidua quædam nata est, sed ex utraq; parte pia, contentio, ac propè dissidium: dum hic eum ut Episcopum veneretur & honorat: ille ut simplex è Societate Sacerdos tractari urget. Victoria ferè semper penes ipsummet stetit. Toto itinere, nunquam equo ephippiato, vel mulo usus est; sed subinde clitellato tantùm jumento, defatigationis levandæ causâ. Ad communia pauperum Xenodochia semper divertebat, & communi cum ipsis mensa utebatur. Quodam in oppido magnoperè laborabant primates: ut ad hospitium, quod magnificè apparaverant, diverteret, prætendentes: Episcopos non solere in nosodochijs diversari. At ego, ajebat Oviedus, scio: Xenodochium esse locum valde honestum & splendidum: cùm domicilium sit sanctissimæ Paupertatis, cujus hospitio Conditor ille rerum, cùm ad homines homo venit, excipi voluit. Sed age: demus vobis; ad hæc communia mendicorum hospitia, non solere Episcopos divertere: quid obsecro, vel publicæ rei, vel privatæ cujusquam, damni erit; si ab uno me hæc incipiat consuetudo? Aliàs sub noctem ad oppidulum aliquod ignotus pervenit. Is, qui Xenodochio præerat, negavit ibi lectum superesse, in quo quiescere posset. At ille: Non est, cur soliciteris; inter ipsos mendicos ero: nam & ego unus ex ipsis sum. Noctem ergo in illa hominum fæce transegit, humi stratus, librorum sarcinula pro cervicali utens. Alibi quoq; non admissus, utpote ignotus, ad xenodochium: dum diu multùmq; sub noctem, pluvio cœlo, capite detecto, una manu pileum, altera capistrum tenens, solicitat Præfectum domus: adfuit is, cui Capellanus instruendo commodo hospitio curam commiserat; invitat, obsecrat, ac fere vim infert. Sed nihil obtinuit. Dulcior Andreæ quies erat in pauperum turba. De his edoctus Princeps Henricus, illico alterum ex aula sua expedit hominem industrium cum severioribus mandatis. Verùm Oviedus, in proposito firmus, tam validis rationibus hominem convicit: ut ne mutire contra ausus, rebus infectis redierit ad Principem, effusus in præconia Viri Sancti, cui incommoda omni comoditate chariora essent. Idem rigidæ paupertatis stu-

dium, & incommodorum amorem intulit in Æthiopiam, tenuitq; constanter, Patriarcha munere & zelo, non opibus & splendore. Pio V. Pontifici, cùm chartam non haberet, scripsit in præcisis & consutis Breviarij marginibus, illacrymato ad Epistolam lectam Pontifice. In symbolum sibi assumpserat illa verba Psalmi 73. *Dedisti eum escam populis Æthiopum.* Et facile eum devorasset Abassynorum Imperator hæreticus, qui stricto ense Patriarcham impetebat causâ fidei; nisi Regina furentem cohibuisset.

Imitandus gentium Doctor 2. Cor. 11 de se scribens: *Cùm essem apud vos & egerem: nulli onerosus fui. Nam quod mihi deerat, suppleverunt fratres, qui venerunt à Macedonia. & in omnibus sine onere me vobis servavi, & servabo:* quotquot deniq; devoranda erunt incommoda. Demùm memori mente reponendum, quod Christus è tabernaculo Eucharistico dixit cuidā: *Tibi totus labor, Proximo tota utilitas, Mihi tota gloria.* Niremberg. lib. 1. Doctr: Ascet: Doctr. 9. c. 89.

XXI. FEBRUARII.

DEUS operarios suos subinde recreat: CHRISTI & Matris ejus afflictiones tempore Prædicationis.

1 ADora DEUM O. M. & considera, quomodo prædicatores, aliosq; gloriæ suæ promotores, inter labores & incommoda corporis, varijs recreare solet solatijs animi, tum ex fructu laborum, tum ex Oceano cœlestium voluptatum derivatis. Si fructus sit copiosus, gaudent de magno exiguæ operæ suæ pretio, & amplo divinæ gloriæ incremento. Si exiguus; sciunt, de amplissima mercede sibi nihil perire, siquidem DEUS non fructum laborum; sed labores muneratur. Si omnia plena sunt laborum, molestiarum, tædij, persecutionum & dolorum, aperire solet DEUS cellam suam vinariam, & stillicidio aliquo cœlestis ambrosiæ demulcere animos operariorum suorum. Vnde non nemo ipsorum 2. Cor. 7. nesciens dissimulare solatia sua, *superabundo,* inquit, *gaudio in omni tribulatione nostra.* Indignissimum me hujusmodi solatijs agnosco, o Domine, operarius & ignavus & infidelis. Unicum, si licèt, oro: ut multa & magna agere & pati possim propter Te.

2. ADora D. JESUM, & considera, Patrem æternum longè alio modo processisse cum ipso; quàm cum alijs operarijs, & ministris suis. Istorum enim labores & tædia diluit solatijs: illius voluptatem, quâ perfundebatur ex Visione beatifica, ita diluit omnigenis animi afflictionibus; ut planè contabescere videretur anima ejus. Affligebatur intimè 1. innumeris

numeris & gravissimis peccatis, quæ in orbe toto patrari, clarissimè & distinctissimè perspiciebat. 2. Inexplicabili cœcitate, contumaciâ, & incredulitate Judæorum. 3. Exiguo incremento divinæ gloriæ tantis impensis procuratæ. 4. Infelicissimis progressibus hostium suorum, dœmonum, qui ad nutum habebant obsequentem populum illum. Unde justâ indignatione commotus, nunc *infremuit spiritu*, ut in suscitatione Lazari, Joan: 11. nunc acriùs invehebatur: *O generatio incredula & perversa! quousq; ero vobiscum? Usquequò patiar vos?* Matt: 17. nunc largo fletu deplorabat infelicem sortem obstinati populi: *Jerusalem: Jerusalem quoties volui congregare filios tuos? &c.* Matt: 23. nunc altâ voce lamentabatur: *Væ tibi Corozain! Væ tibi Bethsaida! Væ mundo à scandalis! Væ vobis Pharisæis &c!* Compatior animitus, Afflictissime JESU, sterili labori & copiosissimo dolori tuo. Ut plus capias solatij ex anima mea, da plus gratiarum, quia pauper factus sum nimis.

3. VEnerare DEIparam V. & considera; in ipsam quoq; ex ijsdem 4 fontibus, qui indicati sunt, ingentem effusam esse mœroris eluviem: imò eam graviùs quodam modo ipsi incubuisse; quia non temperabatur visionis beatificæ solatijs, & augebatur tenerrimis cordis materni affectibus. Dolebat igitur acerbissimè; multiplicari offensas divinas, ac specialiter Filij sui; fructum exiguum respondere prædicationi ejus, obstinatè resistere populum suum, exultare amplissimis spolijs Tartareos hostes. O quanta hinc & mihi doloris seges! Fac, ô Domina, ut non solùm doleam; sed totis viribus DEI honorem, & animas periclitantes vindicare studeam.

Propositum v. g. laborandi pro DEO constanter in prosperis & adversis.

LECTIO PRACTICA.

Operarij Evangelici quàm patientes esse debent Adversorum.

QUod Apostolus, Ephesi laborans, scripsit Corinthijs 1. Cor. 16. *Ostium mihi apertum est magnum, & adversarij multi*: id omnes, qui strenuè laborant pro DEI gloria, & animarum salute, dicere possunt de se. Adversarij præstò sunt multi: quorum quidam bono, alij malo spiritu aguntur. Inprimis enim adversantur spiritus maligni, per se, & instrumenta sua, per homines non probæ fidei, improbæ vitæ, invidos, elatos, biliosos &c. Deinde cùm non sit idem omnium spiritus, & alij alijs ducantur principijs: non rarò etiam à probis, & qui cum potestate præsunt, copiosa, & non vulgaris suppeditatur patiendi materia. Hi majorem requirunt zelum, alij arguunt nimium. Hi modum conversandi, alij taxant metho-

methodum prædicandi: his nimis familiares, alijs minùs videmur austeri &c. Unde fit: ut qui expeditionem aliquam Apostolicam suscipiunt, præter farcinulam cum reculis suis, magnam Patientiæ sarcinam secum gestare continuò debeant.

Accedit: quod ipse DEUS ad excitandos servorum suorum animos subinde quidem cœlestibus eos demulceat consolationibus; aliàs autem permissis vel immissis non levibus exerceat adversitatibus, ad majus eorum meritum, & gustum suum. Sic processit cum ipso Filio suo evangelizante: sic cum Apostolis, ac specialiter Paulo; qui 2. Cor. 1. scribit de se: *Non enim volumus ignorare vos fratres, de tribulatione nostra, quæ facta est in Asia: quoniam supra modum gravati sumus, supra virtutem; ita, ut tæderet nos etiam vivere. Sed ipsi in nobismetipsis responsum mortis habuimus: ut non simus fidentes in nobis, sed in DEO.* Sic milites suos exercet DEUS, ut faciat Heroes.

S. Franciscus Salesius, Genevensium Antistes, eas mortificationes & cruces præ alijs extollere solebat, quas non ipsi commenti sumus, vel eligimus: sed Divina Bonitas & sapientia nobis communicat, & imponit. Unde interrogatus à nonnemine: quænam optima foret patiendi materia? respondit: Ea, quæ tota à DEO fit; nihilq; nostri contineat. Qui enim se voluntarijs supplicijs affligat: ille sub Christi vexillo pedester miles est. Qui verò à DEI manu immissa jucundè tolerat, inter Equites Crucis stipendia meret.

Docuisse id ipsum visus est Christus B. Henricum Susonem, virum Apostolicum è Dominicana Familia. Graves ille corporis afflictationes identidem usurpabat: cùm inter meditandum illam D. Job sententiam, *Militia est vita hominis super terram*; Factâ mentis alienatione à corpore oblatam sibi juvenis speciem vidit, qui ocreas, scutum, hastam & reliqua Equestris militiæ insignia ad eum afferebat, ipsis eum induebat; & Noveris, inquiebat, Henrice; te hactenus inter pedites meruisse: modò ad Equestrem ordinem vocari à DEO. Antè, ut lubuit, te cæcidisti: deinceps flagello lingvæ iniquæ cæderis ab alijs in existimatione & fama. Antè sævus in te extitisti; sed amicis acceptus: deinceps hi fidem fallent, & contra te calcaneum levabunt. Hactenus uberibus Christi lactatus es, & manna cœlesti pastus: felle potaberis, à DEO & hominibus ablactandus. Cùmq; hæc postridie à sacro Missæ sacrificio ruminaret Henricus: jubetur è fenestra prospicere. Paret. Cernit autem canem per aream cœnobij lacerum panni segmentum ore spumeo raptantem, ac lacerantem. Tum vox eadem cœlitus missa, ei prædixit fore: ut deinceps instar illius sordidi lacerique

panni-

panniculi aliorum dentibus laceraretur. Assensus est statim, patiendi avidus Suso: & mox è cubiculo descendit, ac segmentum illud, velut crucis suæ tesseram tulit, diuq; secum servavit. Et initio quidem præ humana infirmitate titubare visus est: verùm die Purificatæ Virgini sacro, per Christum Infantulum edoctus non tantùm ferendam esse Crucem fortiter, sed & aliam atq; aliam expectandam didicit. Perstitit ergo, constititq; sibi, mille deinceps inter cruces infractus. *Lyræus in Apophteg: S. Jgnatij. lib. 1. Apoph. 3.*

Etiam in lege veteri ministros suos Prophetas egregiè mortificavit DEUS. Oseam, virum virtute & genere nobilem, jussit ducere uxorem, insignem meretricem, *mulierem fornicationum*: quod sine insigni probro apud populum factum non est. Ezechielem jussit agere talia, ob quæ à cognatis conjectus est in vincula, tanquam amens & lunaticus. Deinde Ezech. 3. mutum eum reddidit: insuper spatio dierum 390 debuit in sinistro latere decumbere, & non converti in aliud; postea in latere dextro diebus 40. &c. Isaiam similiter, virum magnæ auctoritatis & sangvinis regij, jussit nudum & excalceatum, acsi amens esset, incedere, mille vulgi convicijs expositum. Jeremias quoq; jussu Domini, plus quam undecim annos, gravibus collo injectis catenis incedere debuit; à populo & principibus vincula, carceres, mortem deniq; crudelem perpessus.

Et certè hæc magna felicitas: si DEUS in præmium temporale laborum offerat insignem aliquam Crucem. Ea enim est pignus magnæ gloriæ in æternitate.

XXII. FEBRUARII.

DEUS ægerrimè fert, contemni verbum suum: CHRISTI Prædicatio contempta: DEIparæ V. dolor inde.

I. ADora DEUM O. M. & considera, eũ ex abundantia Bonitatis suæ non solùm per internos instinctus, sed etiam per externam prædicationem homines revocare à vijs suis pessimis, & vocare ad fidem, ad meliorem statum vitæ atq; possessionem regni sui. At illi ludentium puerorum instar, dum à lusu avocantur, sæpe reponunt illud Isa: 28: *Manda, remanda; expecta, reexpecta; modicum ibi, modicum ibi.* Sed mox respondetur illis simili stylo: *Et erit eis verbum Domini; Manda, remanda; expecta, reexpecta; modicum ibi; modicum ibi: ut vadant & cadant retrorsum, & conterantur, & illaqueentur, & capiantur;* Sic actum cum Judæis contemptoribus prædicationis Prophetarum, sic cum plerisq; alijs, qui ad vocem vocan-

tis DEI, ut aſpides ſurdæ obturârunt aures ſuas, vel ludere luſum ſuum maluerunt. *Quia vocavi, & renuiſtis, extendi manum meam, & non fuit, qui aſpiceret: Ego quoq; in interitu veſtro ridebo & ſubſannabo.* Proverb. 1. O DEUS miſericordiſſime; quàm ſuaviter me vocaſti; quàm fortiter & efficaciter traxiſti! Te etiam deinceps ſequar vocantem: compelle tergiverſantem.

2. ADora D. JESUM, & conſidera, quàm graviter tum ipſe, tum prædicatio ipſius contempta fuerit à Judæis. Habebatur paſſim pro fabri filio, contemnebatur ut oriundus ex Nazareth, unde putabant non poſſe aliquid boni venire. Spernebatur ut Galilæus, unde credebatur Meſſias non venturus; explodebatur, ut plebejus, illiteratus, inſulſus, irreligioſus, imò & inſanus. Joan: 10. Nec proprio nomine ipſum dignabantur, ſed dicebant: *Ubi eſt ille? Hic homo multa ſigna facit &c?* Prædicatio ipſius contemnebatur à nonnullis, ut *ſermo durus*, ab alijs arguebatur, ut oppoſita legi & Prophetis, ut blaſphema in DEUM, cujus Filium ſe aſſereret; ut ſeditioſa & injurioſa Cæſari. Quidquid diceret Chriſtus, accipiebant Phariſæi & Scribæ pro ſuæ gentis, Pontificum, Cæſaris & DEI contumelia: quia corda ipſorum plena erant felle draconum Infernalium. Hunc plauſum habuerunt æternæ Sapientiæ oracula. Nos non niſi emunctis auribus, & pleno annutu accipi volumus dicta noſtra. Ille poſitus fuit *in ſignum, cui contradicetur.* Luc. 2. nos poni volumus in ſignum, cui applaudatur. Averte à me hanc tecum oppoſitionem Patientiſſime JESU.

3. VEnerare DEIparam V. & conſidera, ipſam quidem multum ſolatij accepiſſe, quando audivit, Filium ſuum haberi à multis ut Prophetam magnum, habentem verba vitæ æternæ; & quòd *nunquam ſic locutus eſt homo.* Joan: 7. at longe ſenſibiliore confixam eſſe dolore, quando audivit tam malitiosè traduci doctrinam ejus à doctioribus & honoratioribus. Nihil jucundiùs erat Matri, quàm pendere ab ore Filij. ideoq; nihil acerbiùs, quàm tanto faſtidio repelli gratiam diffuſam in labijs ejus. Pretioſior, mihi eſt, o Domina, doctrina Filij tui, dulcior ſuper mel & favum: fac, ut etiam ſit efficacior in me totumq; componat ad voluntatem, & normam Domini mei JESU.

Propoſitum v. g. reverenter & obedienter ſuſcipiendi verbum DEI, aliaq; monita ſalutaria.

LECTIO PRACTICA.

Patienter ferendum: dum doctrina & monita noſtra negliguntur, vel contemnuntur.

VT agricolæ non tam ſenſibilis eſt labor, quantumvis durus & diuturnus, in colendo agro, quàm defectus optati fructus: ita operarios Evangelicos, aliosq; aliorum inſtitutioni præpoſitos, non tam affligit laboris in docendo magnitudo, quàm ſterilitas. Queritur de hoc Chriſtus ipſe apud Pſalmographum Pſal. 34. *Retribuebant mihi mala pro bonis: Sterilitatem animæ meæ*. Lætificare eam debebant fructu centeſimo, vel ſaltem decuplo: at ecce ſterilitatem reponunt, ſicut terra maligna.

Quid ergo? Manus componemus, & ori ſilentium indicemus? Id verò eſſet rem Domini infideliter agere. & pretioſiorem facere doctrinam ſuam, quàm animas erudiendas. Inſiſtendum naviter labori: adhibendi alij & alij modi dicendi & agendi: ex omnibus poſſibilibus locis ducenda argumenta. Nam imprimis de fructu deſperandum non eſt: quamdiu de finali obſtinatione alterius nobis non conſtat. Ut non omnes anni æquè ſunt fœcundi quo ad fructus agrorum & hortorum: ita quo ad fructus animarum. Unde hortulanus ille Evangelicus pro ſterili ficulnea ad ſecurim damnata deprecatus eſt Dominum, laboremq; ſuum adhuc in annum obtulit circa illam.

Egregiè declarat id S. Chryſoſtomus Conc. 1. de Lazaro. Utinam, inquit, oratio noſtra profectus aliquid adferat! Quodſi poſt noſtram admonitionem in ijſdem vitijs perſeveraverint: ne ſic quidem nos deſiſtemus, illis, quod rectum eſt, conſuere; quandoquidem & aquarum venæ, etſi nullus veniat aquatum, manant tamen; & fontes quamvis hauriat nemo, tamen ſcatebras emittunt; & amnes, etſi nemo bibat, tamen fluunt. Sic oportet illum, qui concionatur, quàmvis nullus auſcultet, tamen præſtare quidquid in ipſo ſitum eſt: ſiquidem hæc lex nobis, qui ſacri ſermonis adminiſtrationem ſuſcepimus, à benigno præſcripta eſt DEO. *Et infrà*. Hodiè non perſvaſi: ſed cras fortè perſvadere potero. Quodſi minus cras: attamen perendie, aut quarto ab hinc die fortaſſis perſvaſero. Qui hodie quæ audivit, repulit! cras fortaſſis audiet, & recipiet; fortaſſis poſt dies complures præbebit animum ijs, quæ dicentur. Quandoquidem & illud crebro fit: ut piſcator, qui per totum diem vacuum attraxit recte, ſub noctem jam abire parans, capto, qui ipſum per totum diem fefellerat, piſce, deſcendat. Etenim ſi agricola protinus ab agricolatione reſileat; quòd ſemel atq; iterum, aut ſæpiùs, aëris acciderit inæqualitas: fame brevi periremus omnes. *Ita Chryſoſtomus*. Idem hom: 41. in Gen. *Non ſemel*, ait; *atq; iterum hoc facite: ſed ſemper. Nam etſi verbis tuis non obtemperat, poſtea obtemperabit, Iterum enim te videns urgentem, forte erubeſcet & reveri-*

tu tuam curam, ab his, quæ offendunt, deſiſtet

Deinde etiamſi nullus omninò ſequeretur fructus, impendendus tamen eſt labor. Quod enim ab operarijs ſuis exigit Dominus, labor eſt, cura, & doctrina, non fructus: ut notavit S. Bernardus lib. 4. de Conſid. c. 2. *Curam,* inquit, *exigeris, non curationem. Deniq; audiſti* (quod dictum ſtabulario) *Curam illius habe: & non; Cura, vel ſana illum. Verum dixit quidam: Non eſt in medico, ſemper relevetur ut æger. At melius propono tibi de tuis:* (Scilicet ex ſcripturis S.) *Paulus loquitur* 1. Cor. 1. *Plus omnibus laboravi. Non ait; plus omnibus profui; aut plus omnibus fructificavi: verbum inſolens religioſiſſimè vitans. Aliàs autem noverat homo, quem docuit DEUS: quia unusquiſq; ſecundum ſuum laborem accipiet, non ſecundum proventum. Et ob hoc in laboribus potiùs, quàm in profectibus gloriandum putavit; ſicut alibi habes ipſum dicentem: In laboribus plurimis. Ita quæſo, fac tu, quod tuum eſt. Nam DEUS quod ſuum eſt, faciet: ſatis abſq; tua ſollicitudine & anxietate curabit; ubi voluerit.*

Idem inculcabat ſuis S. P. N. Ignatius apud Ribadeneiram in Vita lib. 5. c. 11. ubi de operario Societatis ſic loquitur; Si quid efficere in hominum ſalute cupiat; vel ſi quem ab exitio ad ſalutem revocare ſtudeat: ubi diligenter ſuo perfunctus ſit munere; quoquo modo res cadat, æquiſſimè ſibi ferendum ſtatuat. Neq; ſi ille, ad quem juvandum incubuerit reſpuat medicinam, demittat idcirco animum; Angelorum Tutelarium exemplo, qui quos à DEO ſibi commiſſos acceperunt, monent quoad poſſunt, defendunt, regunt, urgent, ad bonum juvant. Sed ſi voluntatis libertate abutantur illi, & inobſequentes atq; obſtinati ſint: propterea tamen nullo anguntur mœrore, nulla afficiuntur moleſtiâ. Curavimus inquiunt Babylonem? & non eſt ſanata. *Ita S. Ignatius.*

Deniq; advertendum eſt: per defectum fructus, non evacuari mercedem laboris. *Nunquam dic: quia ſemel, & iterum, & tertiò, & ſæpiùs dixi, & nihil profeci. Ne quieſcas dicere. Nam quantò magis tu perſeveraveris: tantò magis & merces tibi creſcet:* ait S. Chryſoſt: hom. 41. in Gen: Et Bernardus cit: ſup: *Planta, riga, fer curam: & tuas implevisti partes. Sanè incrementum, ubi voluerit, dabit DEUS non tu. Ubi fortè noluerit; tibi deperibit nihil, dicente ſcriptura* (Sap. 10.) *Reddet DEUS mercedem laborum ſanctorum ſuorum. Secundus labor, quem nullus valet evacuare defectus.* Demum cogita: nec Apoſtolorum, nec Chriſti laboribus ſemper aut ubiq; reſpondiſſe fructum, qui debebat.

Et hæc ſunt ſolida Operariorum Evangelicorum, & aliorum qui circa

alios

alios curam gerunt, solatia: dum doctrinâ & monitis suis salutaribus non proficiunt. Sed, inquis, non solùm negliguntur, quæ dico; sed contemnuntur. Nonne & Christi contempta est à multis doctrina? Numquid tua est pretiosior?

XXIII. FEBRUARII.

DEI amor summus erga CHRISTUM: Judæorum odium summum erga eundem; DEIparæ V. dolor inde.

1. ADora DEUM O. M. & considera, quantus sit ejus amor erga Christum Redemptorem nostrum. Summus omninò omni ex parte: idq; non solùm quatenus DEUS est, sed etiam quatenus homo. 1. In sanctissima ejus Humanitate, ne umbra quidem reperitur alicujus mali, & resplendet tota plenitudo Boni creati & Increati. 2. Humanitas ejus non solùm perficitur, & gratiosa redditur per infusas gratias copiosissimas & maximas; sed per ipsam Verbi Incarnati Infinitam personalitatem & sanctitatem. 3. Per actiones ejus omnes, quarum singulæ sunt excellentiæ & valoris simpliciter Infiniti; honoratur & glorificatur DEUS, summè & Infinitè. Tantæ igitur amabilitati respondeat oportet in DEO, amor omninò summus. Excordes ergo & amentes sumus homines, si & nos D. JESUM non amamus summè. Bruta sumus, & brutis pejores, si odimus. Parce æterne Pater tepori amoris mei. Immitte frigido huic cordi scintillam infiniti, quo ardes in filium incendij. O si amando consumeretur!

2. ADora D. JESUM, & considera, quantâ pravitate tam amabilem non solùm non amârint Judæi, sed summo, implacabili, internecino odio sint prosecuti. Non latuit ipsos testimonium de illo Joannis Bapt: imò Patris æterni: *Hic est Filius meus dilectus &c.* Audierunt publicam plebis attestationẽ: *Bene omnia fecit; & surdos fecit audire; & mutos loqui.* Marc: 7. & tamẽ odisse poterant. Nimirũ tenebræ non poterãt amare lucem. Causam odij accuratè expressit Sapiens cap: 2. ubi eos sic inducit loquẽtes; *Circumveniamus ergo Justũ, quoniã inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostis, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ. Promittit se scientiam DEI habere, & Filium DEI se nominat; Factus est nobis in traductionem cogitationum nostrarum. Gravis est nobis ad videndum: quoniam dissimilis est alijs vita illius, & immutatæ sunt viæ ejus. Tanquam nugaces æstimati sumus ab illo; & abstinet se à vijs nostris, tanquam immunditijs.* Ita illi ibi. Vide, quibus de causis optimus quisq; meretur odia malorum. Numquid ergo à recti tramite & via virtutis recedendum? Absit. Tibi Innocentissime

JESU, adhærebo fidus. Præstat, tecum odia pati, quàm cum improbis, aut minùs probis partem habere.

3. VEnerare DEIparam V. & considera, quàm acerba illi fuerunt iniquissima impiorum odia erga Filium. Vidit Sara Gen. 21. Ismaelem duriusculè ludentem, (& fortè signa invidiæ quædam vel odij alicujus prodentem) cum filio suo Isaac: & mox gravissimè indignata, compellat maritum Abrahamum: *Eijce ancillam hanc & Filium ejus*. Nec acquievit, donec eijceretur Ismael. Quantò justiorem dolendi & indignandi causam habuit virgo Mater, internecinis odijs expositum videns filium? Non tamen eijci petijt impios illos de regno DEI; sed saniorem illis menté precabatur. Compatior tibi, Mater afflictissima, & oro, doce me simili affectu ferre odia hominum. Evitari omnia cùm nequeant, liceat patienter tolerare: Sufficit placere DEO.

Propositum de patienter ferendis sinistris aliorum affectibus.

LECTIO PRACTICA.

De fortiter sustinendis falsorum fratrum odijs.

SInistri erga nos aliorum affectus vel sunt verorum, vel falsorum fratrum. Subinde enim etiam ij, quos sincera charitas, & ejusdem professionis sanctitas, nobis fecit in Christo germanos, concipiunt sinistrum quendam affectum, seu animi aversionem à nobis, non datâ, sed accepta ex aliqua occasione causâ: nec volunt nobis malè, sed potiùs bene, dum correctionem nostram desiderant. Tales talium affectus non sunt odia: proinde nec in numero hostium, seu inimicorum, censeri debent. Et si quid deprehenduntur moliri contra nos, non tam indignationem & vindictam, quàm compassionem ob errorem conceptum, & indulgentiam ob salvum charitatis vinculum, merentur. Alij sinistro feruntur in nos affectu & malignitate sua alieno sunt à nobis animo, voluntq; nobis malè; vel levibus suspicionibus, vel pravis actionum & intentionum nostrarum interpretationibus inducti.

Tales subinde inveniuntur non solùm in civilibus, sed etiam Ecclesiasticis & Religiosis communitatibus: & sunt zizania illa, quæ electis tritici granis superseminat inimicus, permittente DEO ad majus suorum in virtutibus exercitium, & cumulatiùs comparandum meritum. Est equidem difficile, falsos hujusmodi sustinere fratres: sed necessarium; cùm nec eos corrigere, nec sine illis esse possimus. Videndum proinde: quomodo patienter ferri, & fortiter supportari possint.

Primò juvabit: statuere sibi ante oculos Christi, aliorumq; Sanctorum, imò

imò Sanctissimorum exempla, qui hujusmodi declinare non potuerunt odia, eaq; heroicè sustinuerunt cum magno lucro & gloria sua. Ut Christus habuit Iscarioten suum, Hieronymus Ruffinum, Joannes Chrysostomus Theophilum, Martinus Briccium: sic nec alijs viris sanctissimis defuerunt falsi fratres sui. *Hieronymum* adeò denigraverat, tætrumq; hominum oculis etiam Romæ, objecerat Ruffinus: ut vix scelestior aliquis crederetur. Ego probrosus, inquit ipse de se ex aliorum ore, versipellis & lubricus. Ego mendax, & satanæ arte decipiens: alius incessum meum calumniabatur, alius risum &c. nec poterat scriptum aliquod emittere in lucem, quin galeatum illi præfigeret prologum. *S. Basilius* à quibusdam Episcopis tam inique fœdèq; traductus fuit: ut passim, per annos aliquot, tanquam hæreticis colludens, & hæreticus vitaretur: & apud ipsum Pontificem Rom: S. Damasum suspectus fuerit redditus. *S. Chrysostomus*, incitante Eudoxia Imperatrice, à Theophilo Patriarcha Alexandrino innumeris gravissimisq; calumnijs sic oneratus fuit; ut semel iterumq; sede sua exturbaretur, tanquam hostis Cleri, mulierum consortio pollutus, Canonum sacrorum contemptor, redituum Ecclesiasticorum dissipator, læsæ Cæsareæ Majestatis reus, hæreticorum complex, in ipsum Christum blasphemus.

S. Franciscus à proprio Generali, Fratre Elia, tanquam turbator & destructor Ordinis habitus, malèq; tractatus, imò & libris impressis infamatus est. S. Benedictus à suis non solùm calumnijs & odijs, sed etiam veneno appetitus. S. Romualdus à sui Ordinis fratre, disciplinæ impatiente, accusatus nefandi criminis secum patrati, à suis subditis in publico Conventu damnatus est tanquam laqueo & igne dignus: adeòq; & sacra celebrare mysteria prohibitus est. Quæ omnia illi homines DEI stupenda fortitudine tolerârunt, uni DEO causam suam committentes, ejusq; sententiam & de se dispositionem mira patientia expectantes. Quod igitur potuerunt isti, quidni cum divino auxilio possimus & nos? *Simus & nos inter Exempla*: dicebat Seneca.

Secundò persuasum habeamus, ita fieri oportere: ut, sicut necesse est venire scandala juxta oraculum Christi; ita necesse sit, homines eximiæ probitatis, & qui vitam suam ad normam vitæ Christi & Sanctorum componere student, incurrere censuram imperfectorum, & odia improborum. *Nullus unquam ex his, qui DEO maximè cari atq; acceptabiles fuerunt, sine pressura vixit:* inquit S. Chrysostomus lib. 1. de Provid: Et S. Isidorus Pelusiota lib. 2. ep. 137. *Ne odio simus: hoc nostri arbitrij non est; ac fortaße ne quidem fieri potest. Omni enim modo præstantissimi quiq; viri improbis invisi sunt.*

Tertiò accipiamus ea odia, siquidem illis nullā culpabiliter dedimus causam, pro gravi argumento: quòd non simus de hoc mundo, sed Electi, & Dilecti DEO. Solatij plena sunt verba Christi Joan. 15. *Si mundus vos odit: scitote, quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo fuissetis: mundus, quod suum erat, diligeret. Quia verò de mundo non estis; sed ego elegi vos de mundo: propterea odit vos mundus.* Quæ verba ponderans S. Augustinus apud Cornel. à Lap: ibid. *Cur ergo,* inquit, *se membrum super verticem extollit? Recusas esse in corpore si non vis odium mundi sustinere. Cum Capite debemus pro dilectione Christi etiam mundi odium sustinere. Necesse est enim, ut oderit nos: quos cernit nolle, quod diligit.*

XXIV. FEBRVARII.

DEUS summopere odit dolosos: CHRISTUS variè tentatur à Judæis: DEiparæ V. dolor.

1. ADora DEUM O. M. & considera, quantopere oderit homines duplices corde, bilingves, fraudulentos, qui toti sunt in dolis nectendis, foveis fodiendis, & laqueis parandis, quibus circumveniant, implicent, & in ruinam pertrahant proximum suum. Cùm enim ipse sit spiritus simplicissimus, rectissimus, verissimus, sanctissimus, & hominem creaverit rectum; atq; ad imaginem & similitudinem suam, non potest non summè detestari, omnes sinceritatis hostes, duplicitatis authores, dolorum architectos. *Viam pravam, & os bilingve detestor.* Prov 8. *Nam verba bilingvis quasi simplicia, & ipsa perveniunt usq; ad interiora ventris.* ibidem cap: 18. Anceps Joabi gladius sunt tanto certiore & profundiore vulnere saucians, quantò minùs timetur. Proinde *virum sangvinum & dolosum abominabitur Dominus* Psal. 5. *Susurro & bilingvis maledictus* Eccli: 18. Ego autem in simplicitate cordis mei confitebor tibi Domine: & tu benedicees omnibus, qui recto sunt corde.

2. ADora D. JESUM, & considera, quàm vanè, & quàm dolosè sæpius fuerit tentatus à Pharisæis, Saducæis, Scribis, & similibus fraudum architectis; quos ut satellites suos expedivit profligatus nuper in deserto tentator. Accesserunt inprimis Pharisæi cum Saducæis tentantes, & petentes, *ostendi sibi signum de cælo.* Matt: 16. Rursum Pharisæi tentantes Matt: 19. quæsierunt: *Si licet homini dimittere uxorem quacunq; ex causa?* Joan: 8. obtulerunt mulierem in adulterio deprehensam; Periculosius Matt: 20. inierunt consilium, ut *JESUM caperent in sermone,* coram satellitibus Herodianis quærendo, *an liceat censum dare Cæsari?* Pharisæis confusis,

non erubuerunt se ingerere Saducæi, quæstionem moventes de uxore, quæ 7. viros habuit; *cujus sit futura post resurrectionem?* Quibus expeditis iterum *Pharisæi convenerunt in unum*, & per quendam legis doctorem quæsiverunt *de mandato magno in lege?* Quanta hominum impudentia? Quanta JESU mei patientia? Subinde respondit sine ullo aculeo, quasi fraudum ignarus, subinde vibravit aculeum, non ad infligendum vulnus, sed ad aperiendum ulcus. Doce me, Magister Optime, divinam hanc prudentiam, ut sciam proferre responsum tempori & personis opportunum, sinceraq; mente candidum.

3. VEnerare DEIparam V. & considera, quantùm indoluerit, quòd humanæ stultitiæ temeritas præsumpserit divinam tentare sapientiam, quam Christus non solùm sermonibus humanas scientias transcendentibus, sed multiplicatis miraculis sibi asseruerat. Dolebat, homines aliòqui sciolos, & humanarum divinarumq; legum peritiam jactantes, tam rudes & incapaces esse cœlestium disciplinarum; fraudum autem & technarum tam peritos architectos. Adoro ego, ô Domina, divinam Filij tui Sapientiam; detestor dolum omnem. Impetra mihi mentem simplicem & lingvam sinceram.

Propositum fugiendi simulationem & dolos in circumveniendis alijs.

LECTIO PRACTICA.

De simplicitate in loquendo & agendo.

SImplicitas, prout non ruditatem, sed certam hominis bene instructi dotem significat, est virtus moralis, qua homo disponitur: ut talem se præferat exteriùs qualis est interiùs; candidè agendo cum proximo, nec dotes suas exaggerando, vel fucum illis allinendo. Est ergo germana Humilitatis filia, & una è primis dotibus Christianorum, ac potissimùm Religiosorum. Nam ut ait Bernardus apud P. Felicem Lacki. in Theol. Spirit: 1. 2. in Contin. Tr. 2. c. 6. *Omnibus nobis in conversionis initio nulla virtus magis necessaria est, quàm simplicitas humilis, & gravitas verecunda.* Apostolis quoq; suis, dum eos ad prædicandum expediret, inprimis eam commendavit Dominus: *Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.* Matt. 10. Sociavit simplicitatem prudentiæ: Nam ut notavit S. Remigius: *Simplicitas sine prudentia facile decipi potest: & prudentia periculosa est, nisi simplicitate temperetur.* Quòd etiam S. Gregorius lib. 4. ep. 31. ad Mauritium, observavit eò factum: *Ut serpentis astutia columbæ simplicitatem acueret; & columbæ simplicitas serpentis astutiam temperaret.* Nisi enim vis ingenij, qua agenda disponimus, & actis utimur, certa ratione temperetur: facile

in Astu-

in Astutiam declinat; nec absolutè vera Prudentia erit, sed quæ in Divinis Literis *Prudentia carnis* appellatur, & Rom. 8. Mors dicitur: *Prudentia carnis mors est: Prudentia autem spiritûs vita & pax.*

Insignia sunt hujus virtutis elogia in S. Scripturis. In illo absolutissimo virtutum compendio, Sancto Job, eam primam coram Angelis bonis & malis iteratò commendavit DEUS: *Numquid considerasti servum meum Job; quòd non sit ei similis in terra, homo simplex & rectus?* Non commendat ejus, tanquam magni inter omnes Orientales Principis, Prudentiam gubernativam; non Sapientiam quâ naturas rerum, & supernaturalia arcana penetrabat: sed simplicitatem. Unde & David 1. Paral. 29. solemniter offerens DEO collectas opes in structuram templi; *Scio,* inquit, *DEUS meus, quòd probes corda, & simplicitatem diligas.* Non attendis ad verba speciosa, & opera magnifica: sed respicis intima cordis, & consideras: quò, & quibus vijs, ejus consilia & affectus tendant. *Unde & ego in simplicitate cordis mei lætus obtuli universa hæc:* non ad ostentationem & jactantiam, sed sincerè & candidè ad gloriam Nominis tui. Prout non collegi has copias per varias iniquas & arcanas industrias: sic nec eas offero duplici corde; ut & tibi cedant in honorem, & mihi in plausum; sed offero *in simplicitate cordis mei*; idq; *universa hæc*: nec particulam unam cedere volo in commodum meum. Tam simplici corde offerens DEO multa & magna David, meruit profectò eam, quæ Prov. 20. promittitur, benedictionem: *Justus, qui ambulat in simplicitate sua; beatos post se filios relinquet:* & majorem aliam Prov. 28. *Qui ambulat simpliciter salvus erit.*

Ex adverso *Væ duplici corde, & labijs scelestis, & manibus male facientibus, & peccatori terram ingredienti duabus vijs!* Eccli. 2. Et cap. 37. *Qui sophisticè loquitur* (id est captiosis & fallacibus ratiocinationibus) *odibilis est: in omni re defraudabitur. Non est illi à Domino gratia: omni enim sapientia defraudatus est.* Astutiâ quidem abundat, sed qua ipsemet capiatur, & intereat: ut videre est in homine, de quo B. Petrus Damian. ep. 14. ad Desiderium. c. 4. In Longobardiæ finibus vir erat versipellis ingenij, & acutissimæ subtilitatis, duplex animo, sermone lepidus, concinnandis fraudibus exercitatissimus. Nunquam erigebat brachia contra torrentem; sed ex quocunq; latere mundi eum aura afflabat, ille protinus calliditatis suæ pallium opponebat. Accidit; ut quidam frater nocturna visione conspiceret lacum igneum, qui flammivomis evaporabat incendijs horribilem in modum. Lacum illum dæmones trabalis magnitudinis obsidebant, variaq; serpentium genera hinc inde per circuitum grassabantur. Vir autem

ille, quem diximus, in ipsa flammarum stridentium voragine detentus, tentabat quidem effugere, sed ostentantibus bestijs dolebat exitum non patere. Quacunq; parte laborabat evadere; horribili stridore, rictibus diductis, occurrebant & impediebant serpentes. Sic justo DEI judicio factum: ut, qui antè varijs fraudum laqueis noverat alios intricare, se ipsum è voragine ignis, & serpentum (quorum indolem assumpserat) voluminibus non posset extricare.

Optimè monet S. Cyprianus ep. 3. lib. 1. *Hæc est, frater, vera dementia; non cognoscere, & nescire: quod fallaciæ non diu fallunt:* & quòd dolosus aliorum tentator, tandem incidat in foveam, quam fecit. Si nemo alius larvam detrahat, dolosq; detegat: ipsum id tempus facit: ipsi se tandem produnt, & prostituunt. At *qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter*: inquit sapiens Proverb. 11. Nam, ut ait S. Gregor. in Moral. *Nihil simplici corde felicius: quia ex quo innocentiam erga alios exhibet; nihil est, quod pati ab alijs formidet. At contrà mens prava semper in laboribus,* & metu, est: *quia aut molitur mala, quæ inferat: aut metuit; ne sibi hæc ab alijs inferantur.*

XXV. FEBRVARII.

DEUS quantopere oderit Calumniatores: CHRISTUS quantas sit passus calumnias: DEIparæ V. dolor inde.

1. ADora DEUM O. M. & considera, quantòpere oderit homines alienæ famæ detrahentes, & calumnijs proximum onerantes. Rom: 1. Detractores dicuntur *DEO odibiles.* Psal. 108. os detractoris appellatur per excellentiam *Os peccatoris*, quia detractor & calumniator, non est vulgaris, sed insignis peccator. Nocet enim proximo, in re præstantissima, & charissima, id est, in fama, eumq; quasi de culmine bonæ æstimationis præcipitat & opinionis in abyssum contemptûs & infamiæ. Sed non impunè. Vaticinatur enim sacer Psaltes hujusmodi lingvæ extrema mala Psal: 5. *Dilexisti omnia verba præcipitationis, lingva dolosa; proptereà DEUS destruet te in finem.* Unde meritò monet Ecclesiasticus cap: 28. *Attende, ne forte labaris in lingva, & cadas in conspectu inimicorum insidantium tibi, & sit casus insanabilis in mortem.* O Domine tu nôsti; quàm inquietum malum sit lingva mea. *Pone,* igitur, *custodiã ori meo, & ostium circumstantiæ, labijs meis, ad declinanda verba malitiæ.*

2. ADora D. JESUM, & considera, quàm immanes calumnias sit passus non à fece populi, sed ab ijs, qui religiosiores habebantur, Pharisæis, scribis, Senioribus populi, & ipsis Pontificibus, quorum ut maxi-

ma fuit authoritas, ita vis summa ad nocendum famæ innocentissimi JESU. Nunc appellabant ipsum amicum peccatorum, seu complicem, Samaritanū, legum contemptorem, violatorem Sabbati. Nunc traducebant, ut voracem & vini potatorem, ut seductorem populi, turbarum concitatorem; Ecclesiasticæ potestatis contemptorem, Cæsari perduellem, & quid non effutiebat lingva malignantium, *inflammata à gehenna*? Quæ jacula quàm profundè in cor JESU descenderint, quis assequatur? Uni Patri cœlesti commendabat vindicias famæ suæ. *Pro eo, ut me diligerent, detrahebant mihi: ego autem orabam.* Hoc & nostrum debet esse refugium, dum similibus telis impetimur. Compatior tibi, Innocentissime JESU, tibi revelabo causam meam, tu judica & discerne, quantum pro gloria tua expediet. Cavebo autem; ne alteri impingam, quod mihi tolerare grave.

3. VEnerare DEIparam V. & considera, quàm graviter cor ejus maternum venenatæ illæ maledicarum lingvarum sagittæ sauciarint. Perspectissima illi fuit innocentia, & sanctitas Filij. Non ignorabat, quàm sit necessaria DEI ministris & populi doctoribus integritas famæ, honorifica de illis opinio, quam per prædicationem cœlesti sapientiâ plenã, & gloriam miraculorum assertam Christo, corrumpebat illuvies illa calumniarum; ita, ut schola Christi jam audiret secta; cui passim contradicitur, & plurimi de populo timerent accedere illi. In ipsam quoq; Matrem redundabat calumnia; quandoquidem à non paucis digito monstrabatur, & Nonne *hæc est Mater seductoris illius*? sugillabatur. Quid jam querar ego, vitiorum plenus, de lingvis maledicis: quando JESUS & Maria tam graviter illis sunt conscissi? O liceat saltem hoc supplicio impactarum calumniarum, expiare vera delicta mea!

Propositum de non inferendis, & patienter ferendis calumnijs.

LECTIO PRACTICA.

An ad calumnias & convicia sit omnino silendum?

EGregiè tractat hanc quæstionem P. Nicolaus Lancicius *Opusc*: 9. *de ferenda cruce, & persecutionibus*: *cap*. 7. Cum quo Tenendum 1. quòd quamvis quilibet sit dominus famæ suæ: ut cum S. Thoma comm: docent Theologi; ideoq; potest aliquando se ipsum ex rationabili causa infamare. v. g. studio humilitatis & pœnitentiæ manifestando peccata sua, prout fecerunt S. Augustinus, Anselmus & alij: tamen non potest se infamare licitè si sui infamatio redundaret in infamiam alterius v. g. filiorum seu familiæ, Religionis, aut alterius communitatis. Item si esset causa scandali, seu ruinæ aliorum. Item si bona fama esset se infamanti necessaria

ad munus

ad munus suum publicum (quale est Prælatorum & Superiorum) rite obeundum; vel ad divinam gloriam, & animarum salutem secundùm vocationem suam promovendam.

Tenendum 2. Dum superior interrogat, & veritatem vult rescire: debemus fideliter, quid in re sit, aperire. Quia Superior habet jus quærendi: ideoq; silentium, vel non sincera informatio esset manifesta inobedientia, & deceptio.

Tenendum 3. In quibus casibus non licet se ipsum infamare: in ijsdem tenemur famam nostram moderatè defendere, per veram informationem de rei veritate, vel alio competente modo. Nam & hoc exigit charitas, quam proximo debemus, & ratio muneris, si quod gerimus, atq; Divinæ gloriæ juxta Vocationem nostram pro notio. Parum enim refert sive per positivam sive per negativam (qualis est dum omittitur justa defensio) sui infamationem his non satisfiat.

Si igitur tui infamatio vel officio tuo, vel Ordini, Communitati, aut alteri cuipiam, vel Divinæ gloriæ secundùm vocationem tuam promovendæ notabiliter & indubitanter noceret: deberes te vera purgatione defendere, etiam non rogatus, nec interrogatus. In his enim casibus locum habet illud Spiritus Sancti Eccli: 41. *Curam habe de bono nomine*. Est tempus tacendi, & tempus loquendi. *Si pro otioso verbo reddemus rationem: videamus, ne reddamus & pro otioso silentio*: inquit S. Ambrosius. S. Augustin9 serm. 49. de divers: Crudelé appellat eum, qui confidens vitæ & innocentiæ suæ, negligit famam suam. S. Laurentius Justin: de instit: & regim: Prælat: c. 12. ait: *Accuratissimè Sancti & amici DEI famam suam impollutam laudabiliter conversando custodire conantur; non pro se ipsis, sed pro honore DEI, proximorumq; salute* S. Bonaventura de inform: Novitior. p. 1. c. 6. postquam commendavit silentium in objectis criminibus, subjicit restrictionem: *Si verò criminationes objectæ, & non purgatæ possent alios scandalizare: tum humiliter indicandum paucis verbis & modestis; quòd non sis tibi conscius eorum, de quibus accusaris*. Divus Thomas quoq; 2. 2. q 72. a. 3. *Tenemur*, inquit, *habere animum paratum ad contumelias tolerandas, si expediens fuerit: quandoq; tamen oportet, ut contumeliam illatam repellamus*.

S. P. N. Jgnatius, quàmvis planè avarus fuerit persecutionum & opprobriorum; ubi tamen videbat ea redundare in detrimentum proximi, & divinæ gloriæ, fortiter famam suam & Societatis asserebat: prout patet ex Vita ipsius, & Historia Soc: ac specialiter ex Epistola, quam dedit ad Magistrum Joannem Avilam, refertq; cit: P. Lancicius: ubi cùm adductis

Patrum testimonijs ostendisset, teneri Societatem ad vindicandam famam à quibusdam Religiosis Salmanticæ non leviter læsam: subdit: *Atq; ita cogitamus procedere pro majore gloria Divina, priùs cùm omni submissione & amore; mittendo priùs illis unam Epistolam cujusdam Cardinalis, qui videtur multum posse apud illos. Secundò præsentando illis Patentes quasdam eorum Generalis. Tertiò, si prima duo non sufficient, juxta id, quod DEUS Dominus noster, & caritas erga nostros proximos nos obligat & ad adimendas vires inimici naturæ nostræ humanæ, qui id suadet personis, quàmvis doctis & religiosis; procedetur in vigore cujusdam processus punitivi & diplomatis Papæ.* En quàm suavis & fortis in hac materia fuit spiritus S. Ignatij.

Bene tamen monet cit: P. Lancicius: non facile, seu ex levibus argumentis, præsumendum esse; ex privata nostra infamatione notabile damnū redundaturum in proximum, seu communitatē vel gloriā Divinā. Sæpe enim hoc stimulo nos non tantùm ad defensionem, sed ultionem impellit Amor proprius; & nos charitatem putamus vel zelum gloriæ divinæ. Ut ergo securiùs procedamus: Constituamus nos oportet primùm in quodam æquilibrio, ut non in Defensionem magis, quàm ejus omissionem propendeamus. Deinde per ferventem & prolixam orationem petendum lumen à DEO. Deniq: consulendus superior, vel Confessarius, aut alius vir gravis & prudens. Ab eo tamen vult potiùs esse petendum consilium, quem putaveris potiùs propendere in silentium, quàm defensionem: quemadmodum & tu ipse magis in illud propendere deberes, ante decisionem alterius: Et ex duobus consultis, atq; opposita suadentibus, ejus sequenda erit sententia, qui silentium suasit; nisi alterius rationes longè sint potiores. In dubio enim melius est pati.

XXVI. FEBRVARII.

DEUS immanem injuriam patitur à blasphemis: CHRISTUS tempore prædicationis gravibus contumeliis & blasphemiis exagitatus. DEIparæ V. dolor inde.

I. ADora DEUM O. M. & considera, quantam patiatur injuriam ab impudentissima impiorum lingva, qui eum convicijs & contumelijs lacessere audent. Non enim id humanæ fragilitatis peccatum est, sed diabolicæ malitiæ; nec implicitè solùm, ut in alijs peccatis, contemnitur DEUS; sed explicitè & directè: nec in mente solùm hæret is contemptus, sed ex abysso impijssimi cordis per os eructatur, non sine offensa & scandalo audientium, ut meritò scripserit S. Hieronymus in cap: 18.

Isaiæ *Nihil horribilius blasphemiâ: omne quippe peccatum comparatum blasphemiæ levius est.* Et tamen inveniuntur homines; qui audent in cœlum ponere os suum, blasphemantes *Sanctum Israel*, Dominum Infinitæ Majestatis! At tu benedic anima mea Dominum, lauda & superexalta eum in sæcula. Benedicam te Domine in omni tempore, semper laus tua in ore meo.

2. ADora D. JESUM, & considera, quantis convicijs, contumelijs, & blasphemijs exagitatus fuerit à Judæis, non solùm Passionis, sed toto prædicationis tempore. Non enim absenti solùm detrahebant famâ, & impingebant convicia, atq; calumnias, sed in faciem præsentis jaciebant horrenda illa spurcissimi cordis excrementa, nunc DEI Filium negando, nunc impostorem & Samaritanum appellando, nunc in Beelzebub eijcere eum dœmonia blaterando, nunc ut dœmoniacum blasphemando: *Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu* (idolorum cultor) *& dæmonium habes?* Joan: 8. Proh! quàm alto vulnere divinum cor sauciavit tam portentosa malitia! Calumnia, inquit, Sapiens Eccle: 7. *conturbat Sapientem*, aliàs moveri nescium, *& perdet robur cordis illius*; quis jam sensus in Christo fuit tantarum contumeliarum, & blasphemiarum tam densè ac crebrò in eum jactarum; ut aliàs patiendi avidissimus, & insatiabilis JESUS, plenè *saturatus* fuerit *opprobrijs*, teste Propheta Thren. 3. præsertim in cruce. Condoleo tibi, animitus, Patientissime JESU; & accuso imbellem cordis mei teneritudinem; quòd exiguum scommatis, aut dicterij alicujus aculeum tanquam lethale telum horreat. Feram tamen amore tui.

3. VEnerare DEIparam V. & considera, quàm intolerabiles illi fuerint tam crassæ contumeliæ, & horrendæ Blasphemiæ in Christū factæ. Eò magis ipsam afficiebant; quò major zelus gloriæ Christi, per orbem universum, ac inprimis in gente sua, propagandæ, depascebatur viscera ejus, ut verè cum sacro Psalte dicere potuerit: *Zelus domûs tuæ comedit me, & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me* Psal. 68. Cōpatior tibi afflictissima Mater, atq; in compensationem aliquam doloris illius, benedicam Filium tuum in omni tempore, magnificabo & glorificabo eum super omnia in sæculorum sæcula.

Propositum impensiùs laudandi D. JESUM in compensationem aliquam illarum injuriarum.

LECTIO PRACTICA.

Calumniæ & Contumeliæ quò graviores, eò fortiùs ferendæ.

VIx alibi aut major requiritur, aut gloriosior apparet animi fortitudo, quàm in ferendis injurijs Lingvarum. *Nescio, quomodo omnibus re-*

bus amariùs solent mordere maledicta: inquit S. Chrysostomus hom: 25. ad pop: *Multi ad laqueos convolarunt, famæ opprobria non ferentes.* Rationem affert: *Quia alia mala tolerantem multorum præconia consolantur: in maledictionibus verò ipsa consolatio subducitur.* Qui enim malâ famâ laborat, indignus creditur bono verbo, dignus supplicio. Deinde plagæ & vulnera, quæ corpori inferuntur, deteriorem hominis partem afficiunt: calumniæ & convicia nobilissimam. Unde idem Chrysostomus hom: 31. ad pop: *Credite mihi,* inquit, *pejora sunt, quæ nunc patimur, his, quæ Paulus perpessus est. Eum illi lapidibus cædebant: sed nunc accidit, ut verbis, quæ lapidibus duriora sunt, feriamur. Novi multos, non ita doloribus dolentes, sicut verborum percussione; illam quidem plagam corpus excipit, istam anima.*

Cæterùm, dum hujusmodi tormentorum genere nos exerceri contingit: nisi casus aliquis ex memoratis Lect: præced: nos urgeat ad defensionem; colligendus est totus animus, & instanter expetenda vis magna gratiarum divinarum, ad sustinendum fortiter. Nam inprimis si purgationem nostri instruamus, & apologias adornemus; si hinc inde solatiola conquiramus; sæpe contingit ex altiore DEI providentia, ut & solatijs destituamur, & omnis defensionis nostræ apparatus proficiat nihil. Ex alia parte evacuatur nobis meritum Patientiæ; reatus pœnæ per varias culpas contractus, quem heroicâ tolerantiâ tollere, vel multùm minuere poteramus, manet integer; & qui inter Heroes Christianos censeri poteramus, inter gregarios delitescere debemus. Deinde privamus nos valde magnis gratijs & donis, quibus in hac vita incruentos hujusmodi Martyres suos munerari solet DEUS. Quò difficilior pugna; eò gloriosior victoria, pretiosior corona.

B. Henrico Susoni Ord. Præd: cùm per annos complures exquisitis modis macerasset corpus suum, revelavit DEUS: eum ad id temporis solùm egisse pedestrem militem suum; deinceps autem promovendum ad Equestrem gradum (ut sup: 21. Feb. relatum) per tria insignia experimenta. Nam *Primò,* inquiebat Dominus, te cæcidisti manibus tuis, macerando corpus; ac tui misertus, cessabas ubi volebas. Deinceps flagellum tradam in manus aliorum, qui te pro libitu suo cædent in honore & fama: quæ res longè tibi erit acerbior, quam crux illa acutis referta clavis fuerit dorso tuo. *Secundò,* quamvis te antea acerbissimè afflixeris: alijs tamen eras amabilis & gratiosus. Sed jam amicorum, quorum florebas gratiâ, experieris infidelitatem & odia, longè acerbiora corporalibus supplicijs. *Tertiò,* Hucusq; ubera suxisti, velut infantulus nondum ablactatus, atq; in divinæ dulcedinis affluentia tanquam in pelago natasti. Id posthac neutiquam

quam tibi præstitero: sed præ interna paupertate arescere ac tabescere te sinam: erisq; & à DEO, & ab hominibus derelictus, pariterq; & ab amicis, & ab inimicis immaniter divexaberis. *Et quidquid pro tui consolatione & commodo molitus fueris, prorsus in contrarium abibit.* Sic factum omnino. Nam præterquam quòd annis novem graves in fide passus sit tentationes, annis octo tam gravi pressus fuerit tristia, quasi montem sibi incumbentem haberet; annis decem cogitationibus desperationis de beatitudine sua æterna gravissimè exagitatus fuerit, & horrendis dœmonum apparitionibus vexatus: tam enormes in fama sustinere debuit calumnias, convicia & contumelias, acsi hominum omnium flagitiosissimus esset. Cum autem quidam vir pius commiseratione ductus clamaret pro innocente Susone ad Dominũ: Qui tandẽ pijssimè DEus tam acerbam amici tui molestationem ferre potes? Respondit Domin9 *Ego illum mihi elegi; ut per afflictiones Unigenito Filio meo conformetur.* Questus est ipsemet aliquando coram Domino confidenter: Quandoquidem me pati, necesse estDomine; si cruces ejusmodi mihi evenire permitteres, quæ me non dehonestarent: ferrem eas lubens ac lætus. At ea te permittente mihi accidunt, quæ famam meam omnino extingvunt. Erant autem ei damna famæ eò acerbiora, quò magis illâ egeret ad agendum cum proximo, & prædicandum. Sed nihil impetravit. Quõcunq; se vertebat, pessimè traducebatur. Unde cùm pia quædam matrona ipsi suasisset: ut à Senatu urbis cujusdam acciperet literas, publico sigillo munitas, innocentiæ suæ testes, quas secum deportaret: respondit; Si una sola mihi incumberet crux ferenda: facile me hujusmodi literis tuerer. Atqui ejus generis tot mihi quotidie infestationes occurrunt; ut me rem omnem oporteat DEO committere, nec quidquam reniti. *Surius in Vita 25. Jan:*

Fortem hanc in acceptis famæ & honoris injurijs Patientiam, præ cæteris avidius amplecti deberent illi, qui corpus suum, quàmvis non paucarum noxarum causam, macerare nolunt. Cùm enim nos oporteat pati cum Christo, & ita intrare in gloriam ejus: si pati nolumus in carne per jejunia, vigilas, castigationes, morbos &c. patiamur saltem verba quædam aspera, & aliqua honoris detrimenta: ne patiendi necessitas in alteram nos sequatur vitã. *Si pati non vis: recusás coronari*: inquit rectè Kemp: l. 3. c. 19.

XXVII FEBRVARII.

DEUS conversos ad se exercet adversis; CHRISTUS & DEIpara V. dolent, Fideles vexari à Judæis.

1. ADora DEUM O. M. & considera, quomodo eos, qui convertuntur vel ad fidem vel ad vitam probam, vel ad studium majoris perfectionis; plerumq; varijs adversitatibus & tentationibus egregiè exercet. Facit, quod militum Præfecti, opificum Magistri, & religiosorum Prælati solent; Tyrones suos in ipso Tyrocinio variè exercentes, & duriusculè habentes: tum ut vexatio det intellectum, tum ut in formam suscepti statûs accuratius redigantur, atq; in ea solidentur. Unde maturè præmonet Spiritus S. per Ecclesiasticum cap: 2. *Fili accedens ad servitutem DEI, sta in Justitia & timore; & præpara animam tuam ad tentationem.* Ecce Domine, quàm informis adhuc sim discipulus tuus; cui jam incumberet idoneum agere Magistrum: Ecce ut placet, versa & reversa; donec tandem conformis fiam imagini Filij tui.

2. ADora D. JESUM, & considera, quàm graviter illum affecerit malitia Judæorum; qua persequebantur credentes in ipsum. Nam & affligebant eos, quos ipse ut pupillam oculi sui amabat, sibi imputans, quidquid ex minimis credentium in ipsum factum fuisset, & absterrebant alios, ne ad accipiendam ejus doctrinam confluerent; vel certè nocturni solùm essent discipuli cum Nicodemo. *Imò conspiraverant, ut si quis eum confiteretur esse Christum, extra Synagogam fieret.* Joan: 9. prout factum cœco illuminato. Lazaro resuscitato necem inferre moliti sunt, ne evidentiâ & magnitudine miraculi converterentur plures, conversi firmarentur in fide. Excita Benignissime JESU, ardentem gloriæ tuæ zelum ut non solùm neminem avertam à te vel virtutis studio, sed innumeros convertam ad te, faciamq; tibi populum acceptabilem.

3. VEnerare DEIparam V. & considera, quantopere & ipsam afflixerit illa Judæorum malitia & persecutio. Inhiberi cursum Evangelij, animarum salutem, & quodammodo partum suum, (Nam & ipsa parturiebat Christo fideles & fratres.) non poterat non acerbè dolere. Condoleo tibi, ô Mater Afflictissima, & supplex oro, per illam afflictionẽ tuam, impetra mihi gratiam, ut in omnem opportunitatem lucrandi animas DEO sim intentus.

Propositum juvandi & fovendi Conversos ad fidem, & Vitam perfectiorem.

LECTIO PRACTICA.

Quàm fortis patientia necessaria sit Conversis ad Fidem & Vitam perfectiorem.

GEnerale & admodum salubre, monitum est Spiritûs Sancti, Eccli: 2. 1. *Fili, accedens ad servitutem DEI, sta in justitia, & in timore: & præpara animam tuam ad tentationem.* Debet hoc altissimè insidere animis eorum

rum potissimùm, qui relictâ synagoga Satanæ, se recipiunt in Ecclesiam Christi; & relictâ vitâ imperfectiore, aggrediuntur perfectiorem. Utrisq; non paucæ, nec leves imminent tentationes, quibus à suscepto proposito revocentur: ad quas superandas non solùm opus est prævia diligenti præparatione; sed etiam forti constantiq; patientia.

Conversos ad fidem Catholicam videmus passim cæteris acrius graviùsq; exagitari, tum immissis circa fidem, vel vitam anteactam scrupulis, tum illatis in bonis fortunæ damnis, tum impactis gravibus calumnijs & convicijs. Contingit autem non raro mirari: cur id fiat? Causa se offert triplex. 1. Rabies dæmonum, indignantium, ereptam sibi prædam, cujus videbantur securi. Cùm enim obstinatus error circa fidem, sit error circa fundamẽtum salutis: firmissimo teneri videtur laqueo, quem hujusmodi errore dæmõ irretitum tenet. Qui ergo miseratione divinâ è talibus laqueis evadunt, non bilem tantùm movent Orci satellitibus, sed acerrimum & indefessum studium, sive recuperandi amissam prædam, sive assiduo infestandi, ut ultionem aliquam sumant. 2. Rabies implacabilis sectariorum erga Ecclesiam Catholicam: cujus incrementa vident sua esse detrimenta. Ideoq; omni, qua possunt occasione, & modo, persequi non negligunt deficientes ab ipsis, & illi accedentes. 3. DEUS ipse varias illis tentationes partim immittit; partim permittit, tum ad magis radicandos in fide, & pietate, tum ad expianda commissa antecedenter delicta, præsertim hæsitationem & tergiversationem per longius tempus, propter humanos quosdam respectus, in amplectenda fide; tum ut qui novissimè venerunt ad vineam Christi, & non portârunt cum alijs pondus diei & æstûs, per fervorem in operando vel insignẽ patientiam in tolerando, pares fiant alijs; tum deniq; ob alia, nobis incognita, justissima judicia sua.

Eos quoq;, qui à vita improba, vel imperfectiore & tepida in studio virtutum, convertuntur ad perfectiorem & ferventiorem, atq; eluctari conantur ad insignem sanctitaté, mirandum omnino est, quantæ excipiunt tentationes & infestationes, ab hominibus & dæmonibus, ab inferioribus, æqualibus, & Superioribus, ab amicis & inimicis. DEUS ipse egregiè & variè eos exercet nunc desolationibus, nunc scrupulis, nunc sinistris interpretationibus gestorum dictorumve ab ipsis, nunc infamationibus, nunc infirmitatibus, & miris alijs modis, non aliter: ac opifices exercent vexantq; tyrones suos, præsertim dum ad altiorem gradum sunt promovendi.

Cæterùm non omnes eodem tempore hujusmodi tentationibus exponit, vel gravioribus Satanæ vexationibus permittit. Quosdam statim initio conver-

fionis exagitari finit: quamdiu fcilicet fpiritus adhuc fervet; ut animofius refiftant. Alios longiùs jam provectos, vel circa finem vitæ, poftquam maturiores, peritiores, & valentiores facti funt, experimentis illis exponit. Seriùs an citiùs, veniet certò tentatio & adverfitas. Si Chriftum impetere aufus eft tentator: quomodo finet nos immunes? *Semper obfervatum eft*, inquit S. Therefia Manf. 7. c. 4. *eos, qui Chrifto Domino viciniores fuere, plus alijs laboribus adverfis lancinatos, & divexatos fuiffe.* Et S. Gregorius lib. 6. ep. 27. *Ego fidenter dico: quia minùs piè vivis: fi minùs perfecutionem pertuleris.*

Quamdiu in mundo fumus, fine tribulatione & tentatione effe non poffumus, inquit Kempenf. lib. 1. c. 13. Unde in Job fcriptum eft: Tentatio eft vita hominis fuper terram. Non eft homo fecurus à tentationibus, quamdiu vixerit: quia in nobis eft, unde tentamur, ex quo in concupifcentia nati fumus. Nullus Sanctus fuit tam altè raptus, & illuminatus: qui priùs vel poftea non fuerit tentatus. Quidam in principio converfionis fuæ graviores tentationes patiuntur; quidam autem in fine; quidam verò quafi per totá vitam fuam habent: nonnulli fatis leniter tentantur, fecundùm Divinæ ordinationis fapientiam & æquitatem: quæ ftatum & merita hominis penfat, & cuncta ad Electorum fuorum falutem præordinat. Sunt autem tentationes homini fæpe valde utiles, licèt moleftæ fint & graves: quia in illis homo humiliatur, purgatur, & eruditur; & ibi majus meritum exiftit, & virtus meliùs patefcit. Ita ille.

Senex quidam in Vitis Patrum lib. 3. dixit ad alium: Ego jam mortuus fum mundo. Sed alter repofuit opportunè: Ne confidas in te ipfum, donec egrediaris de corpore hoc. Nam etfi tu dicas: quoniam mortuus fum, diabolus tamen necdum eft mortuus, cui innumerabiles funt artes nocendi. Proinde quifquis DEO vivere deftinafti: juxta monitum S. Spiritus, maturè *præpara animam tuam ad tentationem*; circumfpiciendo, qua parte fis debilior, & tempore pacis comparando arma, quibus utaris in bello. DEI auxilio, & forti patientia armatus *fta in juftitia & in timore*. Poft tribulationes non deerunt folatia, poft pugnas coronæ.

XXVIII. FEBRVARII.

DEUS dedit nobis Chriftum in vitam: CHRISTO intentatur mors: DEIparæ V. dolor inde.

I. ADora DEUM O. M. & confidera, quàm follicitus ab æterno fuerit de falute noftra; quàm varia & præftantia in tempore adhibuerit media, ad nos vindicandos à morte æterna: quantâ charitate dederit nobis Chriftum,

Christum, ut per eum vitam habeamus. Joan: 10. quam amanter & magis materno, quàm paterno affectu expostulat cum Judæis Ezech: 18: *Et quare moriemini domus Israel? Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus DEUS: revertimini & vivite.* Ecce dedi vobis Salvatorem, Medicum, Magistrum, Fratrem, Vitam; quare moriemini? Salvare potest & vult, pro nihilo vos salvos faciet; quare moriemini? Misericordissime DEUS, quam dulcis est tua erga nos dilectio, qui Filium nobis dedisti in Salutem & Vitam? Dignissimi sumus morte æterna, si tibi vivere nolumus, & insani nos præcipitamus in mortem.

2. ADora D. JESUM, & considera, tristem ejus inter homines sortē. Datus nobis in vitam æternam & divinam, non potuit securè frui vitâ suâ temporali. Eo ipso, quòd verba vitæ æternæ haberet, & spargeret, in necem suam concitavit impios Judæos. Jam satellitibus immissis captivare conabantur concionantem Joan: 7. Jam sublatis lapidibus obruere studebant, etiam in templo: Joan: 8. & iterum Joan: 10. jam ipsi Pharisæi infestas manus ei injicere parabant; jam patriotæ sui, Cives Nazaretani, apprehensum ejecerunt ex civitate, & ex supercilio montis præcipitare nitebantur. Luc: 4. Amabilissime JESU, in quæ tempora, in quos mores incidisti? Reddiderunt tibi improbi mala pro bonis, odium pro dilectione tua. O si saltem à Christianis, ac inprimis à me ipso, meliùs habereris, & majorem gratitudinem experireris.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: quo animi & Materni cordis sensu acceperit hujusmodi pericula & infestationes Filij. Nūquid cogitabat: post talia præludia, quàm tragicus secuturus esset exitus? Quā libenter ipsa pro illo caput suum objecisset? Molestissimum sanè ei erat, in medio latronum eorum quasi inter feroces belluas, & quotidiana Filij pericula vivere. Sed jam periculis & solicitudinibus perfuncta in populo honorificato clientum tuorum inhabita, ô Domina, & in electis DEI, ac inprimis in me servulorum tuorum infimo, solidas, mitte radices.

Propositum de patienter ferenda Ingratitudine eorum (presertim N.) quibus bene fecimus.

LECTIO PRACTICA.

Benefaciendum etiam Ingratis.

NIhil ita obstruit fontem beneficentiæ & liberalitatis, ac Ingratitudo. S. Bernardus serm: 52. in Cant: *Ingratitudo*, inquit, *ventus urens, siccans sibi fontem pietatis, rorem misericordiæ, fluenta gratiæ.* Et serm: 2. de Evangelio 7. panum: *Ingratitudinem prorsus odit anima mea. Peremptoria siquidem*

 res est

res est ingratitudo, hostis gratiæ, inimica salutis. Dico ego vobis: quoniam pro meo sapere nihil ita displicet DEO, præsertim in filijs gratiæ, in hominibus conversionis, quemadmodum ingratitudo. Vias enim obstruit gratiæ. Vulgari quoq; parœmiâ conclamatum est: *Ab ingratis tolluntur beneficia.*

Sed quamvis hæc sit vox populi; non tamen est vox DEI nostri. Ipse enim cùm & verbo & exemplo doceat: Dilectionem & Beneficentiam extendendam esse etiam ad inimicos; *Ego autem dico vobis. Diligite inimicos vestros: benefacite his, qui oderunt vos; & orate pro persequentibus & calumniantibus vos*: Matt: 5. utiq; etiam ingratos non vult exemptos à sorte eorum, quos dilectioni & beneficentiæ nostræ commendat? Verbis quotidiana addit beneficentiæ exempla, dum super bonos & malos facit oriri solem suum; & pluit super justos & injustos. Quicunq; enim mali, & injusti; utiq; & ingrati sunt erga DEUM? Si desideramus expressa & palpabilia divinæ beneficentiæ in ingratos argumenta: recolamus, quanta fecerit ingratissimo illi populo, cui exprobravit Moyses Deuter. 32. *Hæccine reddis Domino popule stulte & insipiens? Numquid non ipse est Pater tuus &c?* Et Dominus ipse per Isaiam c. 5. *Quid est, quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci? An quod expectavi, ut faceret uvas & fecit labruscas?* Rursus per Jeremiam c. 18. *Numquid redditur pro bono malum? Quia foderunt foveam animæ meæ?* Et per Psalmographum Psal. 34 *Retribuebant mihi mala pro bonis; sterilitatem animæ meæ.* Ego attuli fœcunditatem, ipsi retribuebant sterilitatem: ego honorem, ipsi contumelias: ego medicinam, ipsi vulnera: ego vitam, ipsi mortem: inquit ibid. Augustinus. Et tamen etiam hanc ipsam sterilitatem, has contumelias, hæc vulnera, ipsamq; mortẽ convertit in bonũ illorum: si illis uti voluissent.

Est equidem perarduum, & planè divinum; beneficum esse etiam in ingratos: ut meritò dixerit Seneca lib. 4. de benef: c. 14. *Si Deos imitaris, da etiam ingratis*; eluctati sunt tamen homines, etiam à vera fide alieni, ad hoc fastigiũ virtutis. De Augusto Cæsare scribit Suvetonius: quòd Cinnæ ex hoste recepto in gratiam, necem tamen sibi molienti liberalissimo animo scelus condonaverit, dicens: *Cinna iterum tibi do vitam; priùs hosti, nunc insidiatori, & parricidæ.* Quin & consulatum ei obtulit, & perpetuò habuit amicissimum. Numquid Christianus, nedum Religiosus, non assurget eò, quò evasit gentilis? Ad altiora nos vocat Christus. Cùm enim Petrus rogasset Matt. 18. *Domine quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? Usq; septies?* Nam, ut habet S. Lucas c. 17. Christus dixerat: *si septies in die peccaverit in te, & septies in die conversus fuerit ad te dicens: Pœnitet me; dimitte illi.* Respondit JESUS Petro: *Non dico tibi usq; septies; sed usq; septuagies septies.* id est toties, quo-

es, quoties. Unde S. Augustinus ferm. 15. de verbis Domini: *Audeo dicere*, inquit: *Etsi septuagies octies peccaverit, ignoscas. Et si centies: & omninò quoties peccaverit, ignosce. Si enim Christus millia peccatorum invenit, & tamen omnia donavit; noli subducere misericordiam. Ait enim Apostolus: Donantes vobismet ipsis, si quis adversus aliquem habet querelam: sicut DEUS in Christo donavit vobis.* Quamvis post sæpiùs datam veniam repetita culpa multùm exaggeret ingratitudinem: nihilominus impertiendū beneficium remissionis. Nec solùm dimittenda culpa, verùm & reali aliqua gratiâ seu munere testanda reconciliatio, non tam exemplo Augusti, quàm ipsius DEI: qui quoties remittit offensam, toties infundit justificationis gratiam.

Nec existimandum: sterilem esse & infructuosam erga ingratos beneficentiā. Imò tantò est fructuosior, quantò minor apparet spes gratitudinis. Recolamus, quod suadet Christus Luc. 14. *Cum facis prandium, aut cœnam; noli vocare amicos tuos, neq; fratres, neq; cognatos, neq; vicinos divites* (idem est de alijs, à quibus sperari potest compensatio, seu gratitudo) *ne fortè & te ipsi reinvitent, & fiat tibi retributio. Sed cùm facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos & cæcos: & Beatus eris; quia non habent retribuere tibi. Retribuetur enim tibi in resurrectione Justorum.* Unde refert S. Chrysostomus in Catena: *Igitur non turbemur, cùm non recipimus beneficij compensationem: sed cùm receperimus. Quia si recepimus: non ampliùs recipiemus illic; sed si homo non retribuat; tunc tibi retribuet DEUS.* Retribuet autem non tantùm juxta proportionem dati beneficij, sed etiam insignis victoriæ, quam de te ipso retulisti, benefaciendo ingrato.

Eximia in hujus beneficentiæ exercitio fuit S. Catharina Senensis, quæ pauperem morosam, mordacem & ingratissimam fœminam domi alebat; & licèt ab ea gravissimè infamaretur, omni eam officiorum genere colebat. S. Joannes Eleemosynarius cùm pauperi petenti jussisset dari decem nummos æreos: is indignatus de modica eleemosyna in gravia erupit convicia. Famulos plagas homini inferre parantes coërcuit Sanctus dicens: Sinite eum fratres. Habeo ego 60 annos, per opera mea blasphemans Christum: & unum convicium non portabo ab isto? Præcepit ergo conviciatori dari sacculum: ut sibi sumeret, quantum vellet. *Leontius in Vita S. Joan:*

XXIX. FEBRUARII.

DEUS quàm graviter sit offensus contumaciâ Judæorum tempore Prædicationis CHRISTI: Hujus & Matris ejus dolor inde.

I. ADora DEUM O. M. & considera: eum ex altissimis & æquissimis causis non rarò magnos labores, quantumvis sincerè, & naviter pro

sua gloria susceptos, exiguo solari fructu. Noë centum annorū prædicatione, & linguâ & manu in ædificatione Arcæ profecit nihil. Elias, Isaias, Jeremias. &c. zelosissimi Prophetæ, Christus ipse, quam modicum prædicatione laboriosissima pepererunt fructum? Contingit id passim, vitio auditorum, non admittentium vel repellentium verba vitæ; & fœdissimis moribus indignos se reddentium efficacibus gratijs divinis. Unde act: 13. Paulus & Barnabas *constanter dicebant Judæis: vobis oportebat primum loqui verbum DEI: sed quoniam repellitis illud & indignos vos indicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes.* Ipsorum quoq; operariorum intuitu DEUS negat non rarò fructum optatum, quòd vel non præstent ex parte sua, quæ præstanda erant, vel modū non servent debitum, vel ne cumulato fructu, evanescant gloriolâ aliquâ; deniq; ut frequentiùs & ardentiùs, per orationem, sibi & auditoribus suis conciliare studeant gratias efficaces. Benignissime DEUS, utinam in conspectu tuo pleni inveniantur labores mei! fructum tibi committo.

2. ADora D. JESUM & considera: quam parcus responderit fructus tam publicæ ipsius prædicationi, quam familiaribus ejus doctrinis. Se ipsum descripsit in illa seminantis parabola. Mat. 13. spargebat longè lateq; semen purissimum, optimum, divinum, sed vix quarta pars fructum tulit, non defectu seminis vel seminantis, sed vitio terræ. Quæ pravitas hominum non poterat non esse summo dolori optimo Magistro; præsertim, quando audivit, & vidit, auditâ doctrinâ suâ, alios alienari à se, alios scandalum sumere: ut cum Mat. 15. accesserunt ad eum discipuli dicentes: *Scis: quia Pharisæi, audito verbo hoc, scandalizati sunt?* Dolebat cœlestis medicus. tam pretiosam Medicinam vel per fastidium repelli, vel vitio stomachi verti in venenum; adeoq; sibi ingeminandum esse illud Jerem: 51. *Curavimus Babilonem & non est sanata: derelinquamus eam.* Vide anima mea, ne per contemptum aut neglectum divinarum inspirationum, aliarumq; salubrium instructionum similis sententiæ fulmen merearis, & evadas in carbonem desolatorium. Parce Magister optime: audit, & paret servus tuus.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: quanto cum gustu exceperit cœlestem Filij doctrinam; tum quia sciebat ex quo fonte flueret, tū quia tenerrimè amabat docentem: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua: super mel ori meo!* ingeminebat cum Patre suo Davide Psal: 118. stupebatq; & dolebat, reperiri insulsos homines, quibus non saperet, imò stomachum moveret divinum illud nectar & manna. Dolebat tam multos divini verbi contemptores, non ex DEO sed ex Patre Diabolo esse. O Domina, corrige palatum etiam animæ meæ, ut majorem gustum habeat in doctrina Christi.

Fac;

Fac: ut semen, verbi Divini centuplum in me fructum ferat.

Propositum obedienter exprimendi doctrinas & monita salutaria.

LECTIO PRACTICA.

Superiorum & Prædicatorum doctrina & jussa excipienda, ut ipsius DEI.

ARgumentum, quo moveamur, ut nos sine contradictione & tergiversatione morigeros præbeamus ijs, qui cum potestate præsunt, vel docent; nullum habemus efficacius: quàm si in ipsis personam DEI, seu Christi, cujus vices agunt, intueamur. Declarat & demonstrat id latè ac solidè Alphõsus Rodriquez in Exercit: Perf: tom. 3. tr. 5. c. 11. & seqq. Sufficere possunt, si maturè expendantur, ea; quæ S. P. N. Ignatius in aurea Epistola sua de obedientia, in hanc rem adfert. Inprimis hanc agnitionem Christi D. in Superioribus, vult esse signaculum quoddam discretivum personarum Societatis ab alijs obedientiâ præstantibus suis Moderatoribus. Deinde ostendit hanc Agnitionem non esse commentum quoddam Ascetarum, sed in scripturis Divinis manifestè fundatam esse.

Ab alijs, inquit, Religiosis Ordinibus facilius patiamur superari nos jejunijs, vigilijs, & cætera victûs cultusq; asperitate, quam suo quiq; ritu ac disciplinâ sanctè suscipiunt: verâ quidem ac perfecta obedientiâ, abdicationeq; voluntatis atq; judicij, maximè velim, Fratres charissimi, esse conspicuos quicunq, in hac Societate DEO Domino nostro deserviunt: ejusdemq; Societatis veram germanamq; sobolem hac quasi notâ distingvi; qui nunquam intueantur personam ipsam, cui obediunt; sed in ea Christum D. cujus causâ obediunt. Siquidem superiori, nec si prudentia, bonitate, cæterisve quibuslibet Divinis donis ornatus, instructusq; sit, propterea obtemperandum est: sed ob id solùm, quod vices gerat DEI, ejusdemq; auctoritate fungatur, qui dicit (Luc. 10.) *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit.* Nec contrà sive consilio aut prudentia minus valeat, quidquam idcirco de Obedientia remittendum quatenus ille superior est: quando illius personâ refert, cujus sapientia falli non potest; supplebitq; ipse, quidquid ministro defuerit: sive probitate alijsq; ornamentis careat; siquidem disertis verbis Christus D. cùm dixisset, *Super cathedram Moysi sederunt scribæ & Pharisæi, protinus addidit: Omnia ergo, quæcunq; dixerint vobis, servate, & facite: secundùm opera verò eorum nolite facere.* Quocirca sedulò vos in eam curam atq; exercitationem incumbere cupio: ut Christum D. in superiore quolibet agnoscere studeatis, in eoq; divinæ Majestati reverentiam atq; obedientiam summa cum religione præstare. Quod vobis minus mirum videbitur, si animadvertentis: præceptum esse ab Apostolo, ut superioribus

bus etiam sæcularibus ethnicisq; pareamus ut Christo, ex quo omnis potestas bene instituta descendit. Sic enim scribit ille ad Ephes. cap. 6, *Obedite Dominis carnalibus cum timore & tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo: non ad oculum servientes quasi hominibus, sed ut servi Christi; facientes voluntatem DEI ex animo, cum bona voluntate servientes, sicut Domino, & non hominibus. Ita S. P. N in ea epist:.*

Idem inculcavit sæpiùs in Constitutionibus: ut p. 3. c. 1. §. 23. *Expedit inprimis ad profectum, & valde necessarium est; ut omnes perfectæ obedientiæ se dedant, Superiorem (quicunq; ille sit) loco Christi Domini agnoscentes, & interna reverentiâ & amore eum prosequentes.* Et §. 24. *Assuescant, non intueri, quis ille sit, cui obediunt: sed potiùs quis ille, propter quem obediunt, qui est Christus D.* Secutus est S. Ignatius in hac doctrina S. Basilium Constit: Monast. c. 23. & S. Benedictum, cujus sententiam refert S. Bernardus lib. 3. de disp. & præcept. additq; vulgatam illam apud religiosos gnomen: *Sive DEUS, sive homo, vicarius DEI mandatum quodcunq; tradiderit; pari profectò obsequendum est cura, pari reverentiâ deferendum: ubi tamen DEO contraria non præcipit homo.* Nimirũ homines per homines vult docere & regere DEus.

Hæc quàmvis præcipuè concernant Religiosos, pertinent tamen etiam ad sæculares, maximè Ecclesiasticos, respectu Superiorum & Prælatorum suorum. Oracula enim Evangelica & Apostolica, in quibus fundatur doctrina illa Ascetica, procedunt universaliter: imò Apostolus loco cit: & alibi, expressè & directè loquitur ad sæculares subjectos dominis sæcularibus, etiam ethnicis. Deinde quod dicitur de Superioribus; ut in illis intueamur Christũ, tanquam in vicarijs ejus: cadit etiam in Prædicatores. Nam & ipsi agunt vices Christi, dum non suos aëreos conceptus, sed solidum DEI verbum prædicant, salutemq; promovent animarum. Sicut ergo nemo est etiã sæcularium; qui, si Christus ei loqueretur in persona propria, & quidpiam quantumvis arduum, demandaret; non totis viribus, & summâ reverentiâ incumberet in executionem: ita par est, ut idem præstemus, dum agit per vicarios suos. Non minus, imò plus meriti hinc colligere possumus.

I MARTII

DEUS labores CHRISTI, & Matris ejus curas Passione muneratur.

I. ADora DEUM O. M. & considera quòd quàmvis naturâ suâ sit liberalissimus, & planè profusus bonorum suorum; Filij tamen sui exantlatos in prædicatione labores, & Matris ejus curas multorum annorum circa eundem, eo potissimum præmio in hac vita munerari voluerit

ut plurima & gravissima paterentur. Exercet idē genus remunerationis plerumq; etiam circa servos suos fideliores magisq; strenuos. Non enim exiguus honor est, pro DEO pati. Act. 5. *Ibant*. Apostoli, *gaudentes à conspectu concilij: quoniam digni habiti sunt, pro nomine JESU contumeliam pati*. Et Paulum animaturus Christus, hoc illi laborum proposuit præmium per Ananiam. Act. 9. *Ego enim ostendam illi, quanta oporteat eum pro Nomine meo pati*. Videant jam, vocati ad Apostolicos labores, quod præmium illos maneat in hac vita, si strenuè laboraverint. O Domine, numquid melior sum patribus meis, & Domino meo: ut delicatius haberi velim? Absit à me.

2. ADora D. JESUM & considera, quam prono promptoq; animo hoc stipendium, seu præmium gravissimorū laborum suorum exceperit. Omnia illi pretiosissima & dulcissima erant, quæ de manu Patris veniebant; quæ etiam crucibus splendorem, pretium, & dignitatem conciliare novit. Unde non semel Petrum talium donorum adhuc rudem, repulit: *Calicem quē dedis mihi Pater, non bibam illum?* Joan. 18. Et acriùs, Mat. 16: *Vade post me Satana, scandalum es mihi: quia non sapis ea quæ DEI sunt*. Respice jam Anima mea, Christum Filium DEI, flagellatum, spinis coronatum, cruci affixū; & puta, tibi inclamari illud Esther 6. *Sic honorabitur*, in hac vita, *quemcunq; voluerit Rex* cœli & terræ, *honorare*. O si & me hoc dignareris honore, Rex meus & DEUS meus! sed adde fortem patientiam.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: quàm alacri, constanti, gratoq; animo exceperit & ipsa similem maternarum curarum & laborum suorum remunerationem. Nihil illi magis in votis erat, quam conformari exactissimè Filio suo. Et quia Princeps erat Prædestinatorum ad gloriam æternam; decebat quoq;, eam conformissimam fieri Imaginis Filij sui patientis. Obfirma & mihi animum, ô Mater dolorosissima: ut hujusmodi divinam remunerationem non averser, sed avarus expetam; & gratus suscipiam dolores pro laboribus, cruces pro crucibus.

Propositum de adversis alacri animo vultuq; excipiendis.

LECTIO PRACTICA.

Adversa, ut laborum præmia in hac vita, expetenda.

PLacuit sermo coram Domino: quòd Salomon ad factam sibi liberalissimè copiam, petendi à Domino, quod vellet; non aliud petierit, quàm *Sapientiam ad discernendum judicium*. 3. Reg. 3. Celebratur etiam prudentissimum responsum D. Thomæ Aquinatis; quòd rogatus à Christo, quam vellet mercedem pro bene scriptis de ipso? responderit: *Non aliam Domine nisi Te*. Sapienter. Nam ut optime scripsit S. Paulinus epist. ad Aprum: *sibi habeant li-*

teras suas Oratores; sibi habeant sapientiam suam Philosophi; sibi divitias suas divites, sibi regna sua reges: nobis gloria, & possessio, & regnum Christus est. Imò tota summaq; beatitudo, temporalis & æterna, Christus est. Ego eximium quiddam, & huic vitæ statui convenientissimum, suspicio in responso ad similẽ quæstionem dato à B. Joanne à Cruce, Carmelitarum Excalceatorum Patre. Cùm multis exhaustis laboribꝰ & ærumnis Segobiæ, familiariùs loqueretur cùm DEO, seq; ab eo interrogari persentisceret: quodnam prœmium pro his laboribus peteret? respondit: *Domine, Pati & Contemni pro Te.* Lyræus in Apophtegm: Quid magis heroicum dici potuit? Quid gratius Domino? Quid ipsi petenti vel utilius, vel gloriosius? Sed quid etiam rarius: quàm in prœmium laborum, ærumnarum, & mille adversitatum toleratarum, petere Cruces?

Non placet mundo, nec congruum videtur, hoc prœmium: nec æstimant illud, nedum appetunt, qui ut gregarij serviunt DEO; sed placet, & summè æstimatur, & ardenter expetitur ab Heroibus militantibus Christo. Nec Christus quemvis proborum dignatur hoc præmio. Collatum sibi, & Matri suæ, à Patre (ut in Meditatione notatum) non cuilibet communicat: quia non quivis novit pretium ejus. Obtulit illud Apostolis suis: & ipsi *Ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt, pro nomine JESU contumeliam pati.* Quid verò pro ipsa contumeliarum aliarumq; persecutionum perpessione contulit illis prœmij in hac vita? Petro, Andreæ & Philippo Crucem, Paulo & Jacobo gladium, Simoni serram, & alia similia alijs.

Olim, cùm DEUS arduum quidpiam imponeret fidelioribus servis suis; larga simul, opulenta & splendida morigeris pollicebaturpræmia, Benedictionem amplissimam, etiam in temporalibus, exaltationem nominis &c. ut patet in Patriarcharum Primate Abrahamo; cui cùm Gen: 12. dixisset: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quàm monstravero tibi*; adjunxit mox illicium? *Faciamq; te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum eris q; benedictus. Benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi: atq; in te benedicentur universæ cognationes terræ.* At in lege nova novo utitur stylo. Cùm Paulum assumpsisset in Vas electionis, ut portaret nomen suum, non per solam Palæstinã, sed *coram gentibus & regibus & filijs Israel*: vide qualibus eum cumulat promissis. Ego, inquit, *ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* Act: 9. Hæc digna Paulò illecebra, qua trahatur; hoc competens, quo muneretur, præmium.

Alterum quoq; Apostolum, Franciscum Xaverium, cùm non in terram sanctam,

ctâ, sed è terra sancta, Italia, educeret Dominus usq; ad fines mundi, ad gentem convulsam & dilaceratam, ad populum terribilem, post quem non est alius; quibus, quam splendidis & opulentis oneravit promissis, invitavit præmijs? Indum aspectu fœdum & horribilem, pondere graviorem saxo, ei ostendit humeris bajulandum decennio. Ad hæc Cruces monstravit, non solùm in India & Japonia natas, sed etiam cœlo deciduas. Quarum cùm pretium & honorem probè nollet Xaverius; non solùm avidè arripuit oblatas, sed mira aviditate plures grandioresq; expetebat.

Moveat alios, ad terrã suã, & cognationẽ suã deserendã promissũ Centuplũ in hoc sæculo, & vita æterna in futuro: incitent alios ad paupertatem Evangelicam amplectendam, ad labores pro Christo suscipiendos & exantlandos, promissæ inter Judices orbis cathedræ, erecti inter Angelos throni, paratæ in cœlis epulæ, & gloria æterna: Viros Apostolicos validiùs incitant ad quosvis pro Christo labores & dolores, ipsa laborum gravitas, dolorum acerbitas, tribulationum varietas, tormentorum immanitas. Crux est illis & materia meritorum, & præmium dolorum, & summa votorum. Felix, quem DEUS hoc præmio dignum censet. Nam ut præclarè dixit Elias Cretensis Orat. 23. *Qui pro DEO patitur, futuræ DEIficationis pignora jam accepit.* Et hæc pignora non sunt otiosa in anima, ut gemmæ in annulis, aut annuli in digitis: sed ut docet Apostolus 2. Cor. 4. *Momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Non dixit: Operabitur in cœlo; sed jam *operatur*, & quidem *in nobis*, idq; *æternum gloriæ pondus.* Gloriosissimi igitur sunt, & quidem gloriâ non vanâ, sed in qua æternum pondus: qui digni habentur DEI, & virtutis causâ, multa & gravia pati. Quod aliud præstantius desideremus in hac vita prœmium pro laboribus & doloribus nostris? Sufficiat nobis nunc corona spinea, sceptrũ arundineum.

II. MARTII.

A DEO & Concilio Judæorum decernitur Mors Christi: DEIpara V. offert eum in victimam Paschalem

I. ADora Deum O. M. & considera: cur, cùm facilè potuerit, & quivis Christi actus sufficiens ex se fuerit ad satisfaciendum pro peccatis nostris; non aliter nos redimi, & salvari voluit, quàm per mortem ipsius? 1. Ut eò evidentius summam suam erga nos charitatem demonstraret. *Commendat charitatem suam DEUS in nobis: quoniam cùm adhuc peccatores essemus secundum tempus, Christus pro nobis mortuus est.* Inquit ad Rom. 5. A-

postolus. 2. Ut ostenderet mortiferum fuisse vulnus, quod â serpente accepimus. 3. Ut magis pateret rigor justitiæ divinæ; & ingenium sapientiæ Divinæ morte vitam operantis. 4. Ut majorem ostenderet potentiam in resurrectione Christi: magisq; confunderet hostes ejus. Adoro æquitatem & sapientiam consilij tui. O. M. DEUS: & supplico humillimè ut tam pretiosa mors sit mihi in vitam.

2 ADora D JESUM & considera Concilium malignantium adversus eum celebratum Joan. 11. à Pontificibus & Pharisæis. *Quid facimus? quia hic homo multa signa facit?* Non promovent quæstionem: an ergo sit credendum in eum? nec de salute sua & scripturarum intellectu sunt soliciti; sed de Republica. *Si dimittimus eum sic: omnes credent in eum.* Nũquid temere? *Et venient Romani & tollent nostrũ locum*, templum scilicet cum urbe, *& gentẽ* Convicit omnes ratio status politici: iveruntq; mox in sententiam Caiphæ Pontificis: *Expedit, ut unus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat.* Expediebat sanè sed non ex ratione illa politica, verùm ex æterna ordinatione divina, & summa necessitate totius generis humani. Sic miseros nos occupavit & dementavit cura rerum temporalium: ut ad eas salvandas non dubitemus & Animæ propriæ & DEI jacturam facere.

3 VEnerare DEIparam V. & considera: quam humiliter, ferventer & frequenter solita fuerit, imminentibus festis Paschalibus, offerre Filium suum in victimam Paschalem & propitiationem pro peccatis nostris. Agnum scilicet sinè macula, cujus sangvine liberandi essemus seu defendendi ab exterminatore Angelo. Offer eundem etiamnum pro me Gratiosissima Mater; ut per illum felix mihi contingat Pascha, seu transitus ad beatam immortalitatem.

Propositum de sæpiùs offerenda DEO Morte Christi, & Mortificatione nostra.

LECTIO PRACTICA.

De assumendo serio Mortificationis propriæ studio.

SI nullo alio urgeremur stimulo ad serium Mortificationis propriæ studiũs Mors acerbissima, cui propter nos Pater æternus addixit Filium suum Unigenitum, & hic promptissimè se subjecit amore nostri; irrefragabiliter nos ad illud impellere deberet. Paucorũm est felicitas: quòd cruenta morte propter Christum illata, possint eidem aliquatenus respondere, & gratificari: at omnibus licet, imò necesse est, in se ipsis mortificare, & quodammodò è vivis tollere Veterem Hominem; id est, se ipsos, viventes secundùm vetera prava cordis sui desideria, & insolentes motus passionum, seu concupiscentiarum suarum.

Nihil

Nihil DEO est gratius, nihil nobis utilius, aut necessarium magis. Nam ut ait S. Ambrosius lib. 3. de Virginib: *Qui dominari nescit cupiditatibus; is quasi equus raptatur indomitus, volvitur, obteritur, laniatur, affligitur.* Et Spiritus S. per Eccle: c. 18. *Si præstes animæ tuæ concupiscentias ejus: faciet te in gaudium inimicis tuis.* Christus quoq; Matt: 11. satis expressit necessitatē mortificationis, dicens: *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud:* utiq; qui non alijs, sed sibi ipsis violentiam inferunt, coërcendo, & supprimendo consurgentes intra se pravos motus, rationi & DEO rebelles. Qui hanc inferre sibi violentiam negligit: non solùm regnum cœlorum non occupabit, sed ad inferni supplicia sine dubio abripietur. Quanquam abripi eum à dœmonibus necesse non est, qui ultro per insolentiam suam se illuc præcipitat. Cui extremo malo ut maturè nos subducamus: Mortificationi propriæ ut serio & indefesso studio incumbamus, oportet.

Advertendum autem 1. Mortificationem non tam consistere in externa maceratione corporis; quàm in domandis pravis affectibus. Potest enim aliquis valde esse addictus jejunijs, vigilijs, cruentis sui castigationibus; & tamen esse effusus in iram, libidinem & similes affectus. Isti sunt, qui ipsum concitant corpus & membra ejus, juxta illud Jacob 4. *Unde bella & lites in vobis: nonne ex concupiscentijs vestris, quæ militant in membris vestris?* Quàmvis enim in exhausto corpore ita ferocire non possunt, ut in succulento: vivunt tamen, & rationi bellum movent, nisi alijs modis magis domentur. Nam & Apostolus corpus indulgenter non habebat · & tamen queritur Rom. 7. *Condelector legi DEI secundùm interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.* Quodsi in corpore laboribus, vigilijs, jejunijs attrito adhuc spirabant inordinati aliqui affectus: quomodo non ferocient, & regnabunt in delicatè habito?

Advertendum 2. dùm dicitur; incumbendum nobis esse Mortificationi: non requiri, ut passiones & affectus sensuales omnino opprimamus, seu extingvamus ita; ut nullos, etiam primos, quod ajunt, eorum inordinatos motus sentiamus. Id enim naturaliter impossibile est: ut ex SS. Patribus docet Lancicius Opusc. 4. c. 7. nec utile nobis esset; siquidem multis privaremur meritis. Solùm igitur requiritur, ut continuò eis supprimendis studeamus; ut non magis nocere nobis possint, quàm si penitus extincti & extirpati essent. Imitandus nobis industrius hortulanus: qui cùm herbas quasdam, & virgulta, nimiùm luxuriantia, radicitus extirpare non possit: continuò ea succidit, ubi aliquantum emerserint,

Imitandi principes & reges; qui dum rebelles subditos non possunt (nec

expedit) exſcindere omnes: in capita rebellium advertunt ſeveriùs; reliquos autem ita ſtringunt, & enervant; ut deinceps inſoleſcere non facile poſſint. Sic nobis procedendum cum inſolente turba paſſionum noſtrarum, cujus Capita ſunt Senſualitas & Appetitus concupiſcibilis cùm Iraſcibili, ſeu Vetus homo. Exultat DEUS, dum videt, nos alacriter fortiterq; inſurgere in communes hoſce hoſtes, & novo Homini Chriſto fideliter militare contra Veterem & concupiſcentias ejus. Claſſicum egregiè canit contra illum Bernardus apud Rodriq: p. 2. tr. 1, c. 4. *Exurgat DEUS: cadat armatus iſte: cadat & conteratur inimicus homo, contemptor DEI, amator ſui, amicus mundi, ſervus diaboli. Quid tibi videtur? Certè ſi rectè ſentis, mecum dices: Reus eſt mortis, Crucifigatur: Crucifigatur!*

III. MARTII:

DEUS voluit pro omnibus mori CHRISTUM: Judæi, quàm ſolicitè ipſum quæſierunt ad mortem: Matris dolor.

1. ADora DEUM O. M. & conſidera, quantæ curæ illi fuerit ſalus omnium hominum, quandoquidem Chriſtum mori voluit *non tantùm pro gente Judaica*; prout Caiphas prædixerat. Joann. 11. *ſed ut Filios Dei, qui erant diſperſi per totum mundum, congregaret in unum*; in unam Eccleſiam: prout S. Joannes addidit ibidem. Imò, ut ampliùs explicuit in ſua ep. 1. cap. 2. *Chriſtus eſt poſitus propitiatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris autem tantùm; ſed etiam pro totius mundi.* Et Apoſtolus 2. Cor. 6. *Pro omnibus mortuus eſt Chriſtus.* Stupenda miſericordia Dei! Prævidit certiſſimè, plurimis ex hominibus, ipſorum vitio, non profuturam mortem Filij ſui, & tamen eam etiam pro ipſis ſuſcipi voluit! O Pater miſericordiarum, quis jam peccatorum deſperet de ſalute ſua, cui conſtat de Bonitate tua? Voluiſti Filium tuum mori pro me; per vulnera & mortem ejus ſalva me.

2 ADora D. JESUM & conſidera, quàm ſolicitè eum Judæi quæſierunt ad mortem, tractantem tunc ſolicitiſſimè negotium ſalutis noſtræ cum Patre. Poſt latum in Concilio decretum de ejus nece; *Ab illo ergò die cogitaverunt, ut interficerent eum*; Joan. 11. Pridem id mente agitârunt; ſed tunc toti erant in ea cogitatione. Impatientes moræ, quærebant: *Quid putatis, quia non venit ad diem feſtum?* ſcilicet tàm maturè, ut aliàs ſolebat. *Dederunt autem Pontifices & Phariſæi mandatum: ut, ſi quis cognoverit, ubi ſit, indicet, & apprehendant eum.* Ubi verò paulò pòſt viderunt: JESUM inter feſtivas populi acclamationes Hieroſolymam ingredi, tabeſcentes invidiâ, *Videtis*, ajebant, *quia nihil proficimus; ecce mundus totus poſt eum abijt.* Minima pars

ma pars populi videbatur illis totus mundus: Sic in oculis lividis multiplicatur prosperitas aliena, extenuatur propria. At ubi occasionem capiendi Domini illis obtulit proditor, quanto perfusi sunt gaudio! Tàm avidi & studiosi sumus in exequendis cogitationibus nostris pessimis. Quæram ego te, mi JESU, deinceps studiosiùs in Tabernaculo Eucharistico, quæram in cruce, ut stringam amplexibus charitatis.

3. VEnerare Deiparam V. & considera, quàm acerbus illi fuerit rumor de Studio Judæorum solito majore in capiendo Christo & interficiendo. Agebatur enim ei de jactura & crudeli nece Filij, quem habebat unigenitum, omni ex parte amabilissimum. Solet autem mors, præsertim immatura, Unigenitorum inconsolabili luctu afficere Matres. Unde Zachar. 12. dicitur: *Plangent eum* (Christum occisum) *planctu quasi super Unigenitum.* Insuper Christus solus & unicus pretiosior erat, quàm omnes homines & angeli simul sumpti, ideoque tolerabilior istorum omnium interitus, quàm illius unius. O Mater afflictissima, quid multis accusem Judæos sitientes sanguinem Filij tui? Ego; ego, inter primos sum fera illa pessima, quæ devoravit Filium tuum. O liceat sanguineis lachrymis deflere tantum nefas!

Propositum de studiosè quærenda Mortificatione nostri.

LECTIO PRACTICA.

Quomodo continua in rebus omnibus Mortificatio facilè exerceri possit.

S. Patriarcha noster in Exam. c. 4. §. 44. studiosè nobis commendat, ut *in omnibus*, præsertim in contemptu, opprobrijs, alijsque injurijs patienter & libenter ferendis, *quoad ejus fieri poterit, divinâ gratiâ aspirante, Christum D. imitari & sequi, cùm vera sit via, quæ ducit homines ad vitam, velimus.* Quod ut tantò expeditiùs fiat, addit §. 46. *Ut meliùs ad hunc perfectionis gradum in spirituali vita tàm pretiosum perveniatur: majus ac impensius studium cujusque sit, quærere in Domino majorem sui abnegationem, & continuam in rebus omnibus, quoad poterit, mortificationem.* Verùm hæc continua in rebus omnibus mortificatio non tantùm duriuscula, sed etiam valdè operosa videtur: ut scilicèt homo semper sit intentus mortificationi sui.

Sed advertendum est: nihil ibi esse præscriptum, quod non practicârint, & practicent Sancti. *Propter te mortificamur totâ die*: inquit sacer Psaltes, simulque rex, regijs affluens commoditatibus & delicijs, & innumeris negotijs distractus. Apostolus quoque 2. Cor. 4. *In omnibus*, ait, *tribulationem patimur, sed non derelinquimur: dejicimur, sed non perimus: semper mortificationem JESU in corpore nostro circumferentes.* Deinde multo aut magno labore opus

non est in quærenda continua mortificatione: ultrò enim & continuò sese nobis ingerunt variæ occasiones, in quibus quivis facilè, & nemine advertente, mortificare se potest egregiè sine magno, aut ullo incommodo suo.

Rem propono in exemplis. V. g. Adest hora surgendi manè. Adhuc libenter aliquantisper sterteres, saltem donec fumi ex oculis evanescant, & caput magis relevetur: Mortifica te; & prorìpe alacriter, ut primùm audis horam, vel campanulam. Expergefacto variæ occurrent de rebus & negotijs varijs cogitationes: Mortifica te; rejice vel differ illas; animum cogitationibus pijs applica, linguam in laudem Dei & gratiarum actionem solve. Inter vestiendum hoc illudve incommodi patieris: Mortifica te, nullum da signum impatientiæ; extra conclave ne prodeas, nisi decenter vestitus. Adest hora orandi: adhuc velles primùm expedire negotiolum aliquod; cum hoc vel illo conferre: stando vel sedendo, aut deambulando vacare orationi, seu meditationi: Mortifica te; sis punctualis, abrumpe cætera omnia, compone te secundùm leges bonæ orationis, submitte genua, sensus coerce &c. Ad templū est progrediendum? Mortifica te; ne nimis festines in incessu, ne colloquia non necessaria misceas in via, ne tardè venias; oculos coerce, manus pedesque decenter compone &c. Negotia sunt tractanda? Studendum, vel aliud quidpiam agendum? Mortifica te: ne nimis avidè, & non satis recollectus accedas, ne minùs necessarijs aut inutilibus interea te impendas, ne obiter & raptim tantùm agas, ne vanam gloriam veneris, ne tædio vel difficultate victus desistas &c. Adest tempus prandij? Quanta ibi seges mortificationis, idq; necessariæ mortificationis! Coercendus appetitus sensualis, ne avidè involet in cibos, aut potum, ne excedat in quantitate, ne violet urbanitatis leges. Coercendi oculi, qui passim sunt illicia gulæ: coercenda lingua, ne in futilia colloquia solvatur, ne in absentium famam stringatur &c. &c. Et sic de cæteris diei occupationibus.

En quanta Mortificationis materia, non procul quæsita, nec magnam importans difficultatem, sed magna apud Deum merita, & ædificationem apud homines. En quomodo sine magnis austeritatibus potest quis, etiam sæcularis, esse insignis, ut ajunt, Mortificatus. Meritò S. Xaverius non solùm ipse omnes appetitus animiq; motus sub suo habebat dominio: sed identidem socijs inculcabat illud S. P. Ignatij monitum. *Vince te ipsum: Vince.* Causam rogatus tam frequentis moniti, respondit: *Quia hoc à S. Patre meo didici.* Sufficit, si ut decet, fiat.

Si IV. MARTII *venerit ante Quinquagesimam: Meditatio institui potest de* S. CASIMIRO; *ut infra inter Festa: Lectio verò sumi ex Festo S. Joannis Evang. vel Fer: 6. Dom: 15. post Pent:*

BREVIARII ASCETICI

Quotidianis per Annum
MEDITATIONIBUS & LECTIONIBUS,
De
DEO ET PERFECTIONIBUS DIVINIS
CHRISTI, ac DEIPARÆ V. Vitâ & Excellentiâ
STUDIOQUE PERFECTIONIS CHRISTIANÆ
instructi

PARS II. VERNA.

Continens
MEDITATIONES & LECTIONES
à Dominica Quinquagesimæ ad Dominicam Pentecostes.



Ecce ascendimus Hierosolymmm; & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de Filio hominis. Tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur, & postquam flagellaverint, occident eum.

Luc: 18.

Magna & multa sunt, quæ mihi, Domine DEUS, contulisti beneficia; pro quibus mihi diligendus, & semper es laudandus. Unum autem est, quod me plus omnibus accendit, urget & promovet, ad Te diligendum super omnia, Amara Mors, quam sustinuisti, Opus nostræ Redemptionis. Hoc solum, vel hoc omnino totam vitam nostram, totum laborem nostrum, totum obsequium nostrum, amorem deniq; nostrum facilè tibi vendicat. Totum hoc est, quod devotionem nostram & excitat melius, & quærit suavius, & auget amplius.

S. August: cap. 16. Medit:



DOMINICA QVINQVAGESIMÆ.

Tessera Diei: *Amor meus iterum tradetur in manus peccatorum!*

MEDITATIO. *DEUS insanienti mundo exhibet triste spectaculum, Christum passum & occisum: CHRISTI & DEIparæ V. iter Hierosolymam.*

1 ADora DEUM O. M. & considera: quàm opportunâ ejus Providentiâ factum sit: ut hodie in Ecclesia legatur & populo proponatur Evangelium de Passione & Morte Christi, ab ipsomet prædicta discipulis; Luc: 18. *Ecce ascendimus Hierosolymam; & consummabuntur omnia; quæ scripta sunt per Prophetas, de Filio hominis. Tradetur enim gentibus, & illudetur; & flagellabitur, & conspuetur, & postquam flagellaverint; occident eum: & tertiâ die resurget.* Quid enim efficacius ad retrahendum à vijs suis pessimis, insanientem his diebus mundum, esse potest: quàm passio, mors, & resurrectio Christi, Filij DEI? Passio crudelis, mors miserabilis, resurrectio terribilis. Quem non coercet patiens & moriens, timeat resurgentem: quia *omne judicium Pater dedit Filio.* Joan. 5. Vindicans vindicabit sangvinem suum de manibus impiorum. Defige anima mea oculos in grande hoc spectaculum, quod tibi proponit Pater æternus; & Mater Ecclesia: & vide, quid hoc triduo agas.

2. ADora D. JESUM, & considera, quomodo etiam tunc pertransierit benefaciendo; quando non ignoravit extrema Hierosolymis sibi parari mala. Nam in eo itinere & Zachæum respiciens; convertit ad saniora: & Bartimæum cœcum donavit videndi facultate. Ora ardenter: ut etiamnum aperiat beneficam manum suam; & cœlesti lumine aspergat cœcum mundum: ut videant; & intelligant & novissima prævideant, JESU, Fili David, miserere nostri. Ecce in tenebris & umbra mortis, & in medio laqueorum, & horrendo præcipitio constituti, non sedemus, sed insanimus, & ultrò ruimus ad Tartara. Domine: videamus & periculum nostrum & beneficentiam tuam.

3 VEnerare DEIparam V. & considera: quibus æstuaverit affectibus, quando imminente tempore Paschali, & ipsa pro more Hierosolymam se contulit. Sciebat celebrandam ibi esse solemnitatem Paschalem, ritu, à templo, imò orbe, condito, non viso; nec amplius un-

quam videndo: Pro Agno immolandum esse Filium suum; sed quàm crudeliter excoriatum; quanto furoris igne assum? nec tam comedendum, ut ab hominibus; quam *vorandum*, ut à canibus & lupis. Nec ignorabat: quàm amaræ ipsam ibi lactucæ expectarent. Nunc igitur totâ animâ exhorrescebat; totisq; artubus contremiscebat; nunc hominum peccata deplorabat; nunc innocentissimæ victimæ compatiebatur, nunc totius cordis æstu rapiebatur in DEUM &c. O Domina, hoc potissimùm tempore similes infunde nobis affectus: ut à mundi illecebris abstracti, constanter adhæreamus DEO nostro. Duc me tecum ad montem myrrhæ, & collem thuris.

Propositum v. g. de hoc triduo innocenter, imò devotè, transigendo, & cavendis periculis N. N.

LECTIO PRACTICA.

Quomodo Bacchanalia sanctè celebranda.

DUm mundus Baccho & Veneri propudiosissimè litat: sinceros DEI & virtutis cultores in id intentos esse decet; ut hoc potissimùm triduo fidelitatem suam & devotionem Domino suo probent. Nunquam ita se prodiderunt fideles servi, & veri amici Davidis, quàm dum omnis Israel toto corde sequebatur perduellem Absolon. Nec ullum gratius exhibitum est unquam Regi obsequium, quàm quod in generali defectione præstiterunt pauci. Unde jam jam moriturus, Salomoni impensè commendavit filios Berzellai, qui fidem servaverat fugienti, & constans præstiterat obsequium: *Filijs Berzellai Galaaditis reddes gratiam, eruntq; comedentes in mensa tua: occurrerunt enim mihi, quando fugiebam à facie Absolon fratris tui.* 3. Reg. 2. Ipsi seni Berzellai amplissimè regiam obtulit gratiam: *Omne, quod petieris à me, impetrabis.* Miphiboseth autem, quamvis filius amicissimi Jonathæ, & pedibus claudus; quia eodem tempore similia neglexerat officia, graviter mulctatus est, translato bonorum dimidio (2. Reg. 19.) ad Sibam ipsius Miphiboseth procuratorem, qui promptus ad obsequia afflicti regis accurrerat.

Non minùs grata sunt Christo DEO ac Domino nostro sinceræ pietatatis exercitia, hoc tempore exhibita; multòq; majoribus ea remuneratur gratijs. S Catharinæ Senensi, quia ferijs his antecineralibus se in conclave abdiderat, ne videret vanitatem & insaniam amentis mundi: apparuit Christus cum Matre sua & Angelis Sanctis, dixitq; ; Quia tu sprevisti vanitates mundi, amplexa crucem, & pœnitentiam, quærens summum, & æternum Bonum his diebus, dum mundani vacant gulæ & luxuriæ;

riæ; ideo ego te desponsabo mihi. Mox annulo in digitum inserto Catharinam sibi adoptavit in Sponsam. *In Vita 30. April.*

S. Gertrudis, quia viderat Christum triduo Bacchanaliorum instar languentis supra pectus suum recumbere: per totum illud tempus, susceptis varijs afflictionibus non aliud egit, quàm ut silentio & orationi vacaret, ad placandum DEUM. Quod tam gratum fuit Domino: ut in alia visione illi apparuerit, sedens in solio gloriæ suæ, assistente S. Joanne Evang. & characteres quosdam formante. Cùm Gertrudis quæsivisset: quid Joannes scriberet? responsum accepit; eum annotare omnia opera bona, & obsequia sibi Bacchanaliorum tempore impensa; ut pro ipsis Patri æterno præsentatis, mensura gratiæ & gloriæ coagitata & superaffluens obtineatur.

Eidem apparuit aliàs Christus in Dominica Quinquagesimæ eâ specie, qua flagellatus fuit: è lictoribus, latera stipantibus, unus coronam spineam in caput ejus adigebat, acerrimo sensu doloris. Tenerrimè compatienti Gertrudi, & quærenti: an aliquis esset dolorem tantum mitigandi modus? respondit Dominus: Si quis passionem meam devoto corde recoluerit, & pro peccatoribus DEUM precatus fuerit: is afflicto cordi meo suavissimum, & leniendi dolori aptissimum, imponet emplastrum. *In Vita lib. 4. c. 15.*

S. Lydvina, cùm in gravissimo morbo exulcerati, instar Jobi, corporis, tempore Bacchanalium audisset bacchantium in plateis clamores & tripudia: rogavit Dominum; ut pro diluendis insanientium offensis, novo quodam, eoq; vehementi, morbi genere eam exercere dignaretur. Auditam se sensit, ubi intensissimis novis doloribus correpta, & usq; ad Pascha excruciata fuit. *In Vita.*

B. Henricus Suso, videns Fratres antecineralium dierum tempore, esu carnium, viniq; potu aliquantò largiùs uti, noluit illis immisceri, sed famelicus & sitibundus abicessit. Nocte sequente suavissimo Angeli cantu est recreatus, & ramulo cœlestium fructuum oblato, insuper visione & benedictione Pueri JESU, à quo amari se præ multis alijs teneriùs, audivit. *Surius in Vita 25. Jan.*

S. Carolus Borromæus totus erat in abstrahendo populo à conuersationibus & insolentia ludorum, inveniebatq; semper novas rationes & artes, quibus eum varijs pietatis exercitijs in Ecclesia distineret, & exomologesim sacramq; synaxim, præ mundi voluptatibus persuaderet. Habuitq; pius ejus conatus tam prosperos successus, ut uno Bacchanalium die per

ſex integras horas Carolus ipſe Communionem S. diſtribuerit, licèt idem duo Canonici ſeparatis in locis agerent. *Carolus Epiſc. Novar. in Vita lib. 2.*

Alij alias adhibent induſtrias, tum ad abſtrahendos homines à Baccho & Venere, tum ad placandum DEUM pro cumulatis offenſis, tum ad ſe ipſos à noxis immunes ſervandos. Opportuniſſima eſt prolixior Oratio coram Venerabili expoſito, ſeverior cuſtodia ſenſuum, rigidior mortificatio gulæ, abſtinentia à ludis etiam honeſtis, captata opportunè ſolitudo. His potiſſimùm diebus convenit Chriſtianis, præſertim ſpecialiter DEO ſacris, quòd ſcripſit Seneca ep. 18. *His*, inquit, *maximè diebus animo imperandum eſt: ut tunc voluptatibus ſolus abſtineat; cùm in illas omnis turba procubuit!*

FERIA II. poſt Dom: Quinquageſ:

Teſſera diei. *Amor meus inter plauſus luget!*

MEDITATIO. *DEUS parat Chriſto triumphalem ingreſſum Hieroſolymam: CHRISTI & Matris ejus dolor.*

1. ADora DEUM O. M. & conſidera: quomodo ante luctuoſiſſimā Tragœdiam paraverit Salvatori noſtro glorioſiſſimum triumphum in ingreſſu Hieroſolymæ. Præmonuerat maturè cives; de hoc ingreſſu, ut parati adeſſent: *Dicite Filiæ Sion: Ecce Rex tuus veniet tibi Juſtus & Salvator; ipſe pauper & aſcendens ſuper aſinum. Zach: 9.* Effunditur ergo obviam pia turba: pars præciſos palmarum ramos: pars detracta ſibi veſtimenta ſubſternunt adventanti; & qui præibant, & qui ſequebantur clamabant dicentes: *Hoſanna! Benedictus qui venit in nomine Domini! Benedictum quod venit regnum Patris noſtri David:* Hoſanna *in excelſis! Mar: 11.* Sic etiam hodie præmiſſis proſperis, excitat animatq; ſuos DEUS, ad fortiter excipienda adverſa. *Si enim bona ſuſcepimus de manu DEI, mala quare non ſuſcipiamus?* Job. 2. Poſt Bacchanalia ſequuntur Cineres. O Domine; para me ad utramq; fortunam: ut nec extollar proſperis, nec opprimar adverſis: ſed in omnibus benedicat tibi anima mea. Averte autem oculos meos; ne videant, & ament vanitatem nunc tripudiantis mundi.

2. ADora D. JESUM, & conſidera: plùs doloris, quàm gaudij attuliſſe ipſi triumphalem illum plauſum. Nam potior pars Civitatis invidia rumpebatur; diraſq; vomebat: quidam apertè monebant: Luc: 19. *Magiſter increpa diſcipulos tuos; ſileant.* Quin illos ipſos, qui tunc officioſiſſimi, & ramos & veſtimenta ſubſternebant venienti, & Benedictus,

ctus, atq; *Hosanna in excelsis*, clamabant, prævidit; post dies 5 vociferaturos: *Tolle, tolle, Crucifige eum.* Unde appropinquans Civitati inter festivos applausus, non exultavit gaudio, *sed flevit super illam.* Luc: 19. Amabilissime Salvator; si in plausu populi lacrymæ tibi exprimuntur: quid facient diræ, falsa testimonia; blasphemiæ, tormenta? Quomodo insolescam ego leni motu popularis auræ, si tam citò vertitur in tempestatem? Condoleo tibi, Rex dolorum: da, ut caveam mihi.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: ipsam quoq; nullâ vanitate afflatam fuisse, audito (si non interfuit) triumphali ingressu Filij in urbem. Solent Matres titillare gloria Filiorum: at illa probè gnara; cui sorti parabatur Filius; ingemuit ad plausus illos, recolens oraculum Isaiæ cap: 25. de Christo: *Sicut obstupuerunt, super te multi admirantes gloriam tuam*, etiam in paupertate tua: *Sic ingloriùs erit*, paulò post, *inter viros, aspectus ejus.* Compatior tibi Mater afflictissima; quæ neq; ex gloria Filij sincerum capere poteras gaudium; Doce me, suspectos habere humanos plausus.

Propositum contemnendi plausus, gaudia & voluptates mundi.

LECTIO PRACTICA

Non inhiandum voluptatibus, quæ sine dolore non sunt.

VEteri Platonis apologo fertur, Voluptas & Dolor ad tribunal Jovis contendisse, ibiq; mutuis convitijs se graviter proscidisse, atq; accusâsse. Jupiter cùm in pace & amicitia inter eos concilianda multùm laborasset, nec quidquam profecisset: tandem adamantinâ catenâ eos colligavit; ut quantumcunq; odijs dissiderent, semper tamen sibi cohærerent, alter alterius vel comes, vel pedissequus. Divinè hæc Plato: sed diviniùs Salomon Prov: 14. *Risus dolore miscebitur: & extrema gaudij luctus occupat.*

Oraculum hoc quàmvis vel maxime concernat improbos, tangit tamen & probos, imò probissimos, in hac mortali vita. Ratio est. 1. Quia bona temporalia, ex quibus voluptatem & lætitiam aliquam capimus, non sunt mera bona, sed multos involvunt defectus & qualitates nobis adversantes, quæ cieant dolorem. Non absimilia sunt corporibus ex quatuor Elementorū contrarijs qualitatibus compositis, quæ se invicem lacessunt & impetunt, ipsisq; corporibus nunc sanitatem, nunc morbos adferunt & interitum. Arborum quoq; fructus imitantur, quibus quantumvis speciosissimis & sapidissimis, suus innascitur vermis: nec ullum est tam merū vinum, quod suas non habeat fæces. Adhæc quàmvis temporalia, quibus dele-

delectamur, bona essent meracissima: hoc ipso, quia temporalia sunt & transitoria; nata sunt generare, dolorem, & hunc velut posthumam prolem infundere cordi. Apiculæ sunt, quæ ubi aliquid mellis fuderunt, aculeum relinquunt infixum. *Nunquam sine dolore amittitur, nisi quod sine amore possidetur*: ait S. Gregor. l. 1. mor. c. 5.

Altera ratio est ex sapientissima DEI dispositione: Ut enim terrigenas à terrestribus, alijsq; transitorijs bonis avocaret ad cœlestia & æterna; atq; metu dolorum abstraheret à culpa: voluit, ut in cœlo quidem essent mera & pura gaudia; in inferno meri & puri dolores; in terra verò, quæ inter utrumq; media est, gaudijs permiscuit dolores. *DEUS felicitatibus terrenis amaritudines miscet: ut illa quæratur felicitas, cujus dulcedo non est fallax*: inquit S. Augustinus serm: 29. in Matt. *DEUS delicijs & gaudijs nostris ponit modum: ne supra alveum effusa rationem obruant*: ait S. Ambrosius lib. 1. de Cain & Abel. c. 4. Pronissimum enim est: ut voluptatum copiâ etiam probi, velut Noë & Lot uberiore haustu vini, dementati, agant ea, quæ dicere pudet. Quid ergo juvat, inhiare gaudijs; quæ necessariò comitatur, vel sequitur dolor?

Noluit immunis esse ab hoc gaudiorum & dolorum temperamento Sanctus Sanctorum, Filius DEI, non solùm in triumphali ingressu in urbem Hierosolymitanam, sed in omni vita sua. Apud nos communiter sola est vicissitudo prosperorum & adversorum, gaudij & luctus, ita; ut post nubila sequatur Phœbus, & post hunc iterum nubila, & sic deinceps: in Christo, quamvis clare Divinitatis suæ visione beato, à primo conceptionis momento usq; ad ultimum agonem, semper gaudio junctus fuit acerbus dolor. Nulla ei fuit gutta mellis sine felle. Quomodo jam mera gaudia speret peccator: & non timeat porrigendum sibi Calicem Domini *plenum mixto, cujus fæx nondum exinanita: bibent omnes peccatores terræ*? Psal. 74. Biberunt hunc bibuntq; innumeri, quos in ipso gaudiorũ æstu Bacchus tradidit Plutoni.

S. Bernardus serm. 1. in Dom: Palm: consideratâ & expositâ luctuosissima illa vicissitudine, quæ quinto die à triumpho illo excepit Christũ, subjungit: *Videat secularis anima: videat, & intelligat, quoniam extrema gaudij luctus occupat*. Videat, & intelligat, inter has potissimùm Bacchi ferias, & insanientis mundi tripudia: quoniam *DEUS non irridetur*. Galat. 6. Intelligat: gaudia cum offensa DEI, longam gravemq; post se trahere dolorum catenam. Audiant bacchanales animæ periculum suum: *Væ terræ & mari! Descendit diabolus ad vos, habens iram magnam, sciens, quòd modicum*

modicum tempus habet. Apoc. 12. *Est tempus hoc tempus descendendi de peccato in peccatum; & per consequens ad infernum:* inquit S. Vincentius Ferrerius serm. 3. in Quinqug. *& ideo dicitur: Tenent tympanum & citharam; & ducunt in bonis dies suos; & in puncto ad infernum descendunt!* O punctum, momentanei gaudij terminus, æterni supplicij initium! Videant, & intelligant: si etiam honesta gaudia suos habent pedissequos dolores: quid merebitur voluptas, quam offerunt Bacchus & Venus?

Videant quoq;, & intelligant religiosiores animæ: triduum hoc non tantùm sibi transigendum esse sine gravi offensa DEI: sed cum Angelis pacis, iterum amarè flentibus, dolendum sibi esse, & gemendum super interfectione animarum Christianarum. Gaudeant sanè, si ita placet, in Domino: sed dolorem non differant ad Cineres. Nunc, nunc immania, innumera, horrenda patitur Amor noster JESUS: nunc, quoq; compatiendum illi. Nunquam, per omnem vitam mortalem, fuit ille sine dolore nostrâ causâ: nobis saltem uno alterove die, libeat ipsius amore dolere & lugere magis; quàm gaudio, etiam honesto, dissolvi. Major nunc, quam in die Parasceves, est causa dolendi. Tunc enim universus orbis Christianus ad pietatem & compassionem erga Crucifixum Salvatorem est compositus: nunc in gravissimas ejus offensas est effusus, & quasi conjuravit. Quisquis ergo Domini est: voluptati indulgendum non putabit.

FERIA III.

Tessera Diei: *Amor meus vilissimè venditus, & vendendus est!*

MEDITATIO. *DEUS permittit Christum vendi à Juda: CHRISTI & Matris ejus dolor.*

1. ADora DEUM O. M. & considera miranda ejus consilia: quòd Christum non quocunq; modo venire in manus hostium voluerit, sed per venditionem. 1. Ut inde clariùs pateret: quàm liberaliter Filium suum hominibus permiserit, ut de illo disponerent pro arbitrio, tanquam de re sua, pretio acquisita, quámvis iniquissimo contractu. 2. Ut satisfieret pro iniquissima venditione, qua homines se ipsos vendunt diabolo in perpetua mancipia pro pomo putrido, pro splendida aliqua vanitate, vel momentanea voluptate: quæ tam vilis est: ut de hujusmodi venditione dicatur Isaiæ 52. *Gratis venundati estis.* Nonne & tu similes nundinas celebrare consuevisti? O Domine prohibe à me hanc insaniam, hodiè potissimum.

2. ADora D. JESUM, & considera: quàm ignominiosa:, & dolorosa sue-

sa fuerit illi hæc venditio. Inprimis enim venditor: *Quid vultis mihi dare*, inquit, *& ego eum vobis tradam?* Non dignatur JESUM proprio nomine enunciare, sed dicit: *eum* vobis tradam; fortè & ignominiosius aliquid addidit. Ad hæc non vendidit JESUM amicis, sed capitalissimis hostibus neci ipsius intentis. Deniq; vendidit eum 30 argenteis oblatis, quod pretium erat venalium mancipiorum. Obstupescite cœli, moveatur terra! Quàm vilis est homini DEUS! O JESU pretiosissime, quis dolor confixit sanctissimam animam tuam, quando hujusmodi transactionem vidisti? Quæ injuria irrogatur tibi, dum etiamnum non raro hujusmodi venditiones celebrantur? Parce Domine: pretiosior mihi deinceps eris, præsertim hac die.

VEnerare DEIparam V, & considera: quo animi sensu acceperit insanissimam illam venditionem. Nemo tam plenè noverat pretium Filij ejus ac ipsa. Valori ipsius intrinseco ingens pondus accessit ab amore Matris. Pretiosissimum nobis est, quod tenerrimè amamus. Infinito ergo dolore eam configi opportuit; quando intellexit, infinitum summumq; Bonû tã vili esse venditû. At hujusmodi venditorû quantus, his præsertim diebus, est numerus? Aperi Domina oculos cœcorum, ut videant. *Quem*; *quanti*, vendunt; si tamen vendunt: quia nihil omninò est; quod accipiunt. Ego tuum, ac meum JESUM honoribus immensis, voluptatibus Infinitis non vendam. Non vendam!

Propositum sanctè transigendi hunc diem.

LECTIO PRACTICA.

De contestando hodie, quàm pretiosus & charus nobis sit JESUS.

DIligentibus *DEUM omnia cooperari in bonum*: oraculum Apostoli est. Rom: 8. Ex Bacchanalibus inter alia illud commodi percipiunt probi: quod opportunissimam habeant occasionem, contestandi Salvatori suo summam, quam de eo habent, æstimationem, affectus sinceritatem, in obsequio fidelitatem, in charitate constantiam. *Plures invenit JESUS socios mensæ, paucos abstinentiæ*; inquit Kempensis lib. 2. de Imit: c. 11. *Omnes cupiunt cum eo gaudere; pauci volunt pro eo aliquid sustinere. Multi JESUM sequuntur usq; ad fractionem panis: sed pauci usq; ad bibendum calicem passionis.* Multi protestantur coram cœlo & terra: quòd diligant JESUM, idq; toto corde, & super omnia; quidam non verentur cum Apostolo provocare hostes & tentationes: *Quis nos separabit à charitate Christi?* At ubi Bacchus vitreos suos inflat lituos, ubi mundus & caro suas explicant illecebras; terga vertunt Christo, Judâ pejores.

Judas

Judas enim argenteorum triginta mercede illectus, facinus suũ aggressus est: in hodiernos proditores & traditores Christi cadit illud Ezech. 13. *Violabant me propter pugillum hordei, & panis fragmentum: ut interficerent animas, quæ non moriuntur.* Tam demens etiamnum est mundus: ut homines non jam propter honores & divitias comparandas Divinam violent Majestatem; sed propter ingluviem suam, propter pugillum hordei, & panis fragmentum. Tam modicum, tam vile est, propter quod deseritur, contemnitur, violatur tanta Majestas, Summum Bonum. Non dicit: propter coros aliquot seu modios electi tritici, aut propter cados generosi alicujus liquoris, aut propter exquisitas copiosas & pretiosas quasdam dapes: sed propter *pugillum*, idq; *hordei*, eliquati in potum, quo se ingurgitant. Propter *panis fragmentum.* Habent propositum sibi Panem integrum, Panẽ vivum & vivificum, qui de cœlo descendit, Panem habentem in se omne delectamentum saporis: sed super hoc nauseat anima eorum; magis sapiunt Fragmenta, quæ cadunt de mensa Veneris & Bacchi; Fragmenta, quæ non ad satiandam, sed magis irritandam gulam valent; Fragmenta, quæ mox convertentur in cineres & vermes conscientiam acutissimo dente rosuros. Tam modicum, tam vile, tam noxium est: propter quod hodie à Christianis deseritur & violatur Summum Bonum DEUS.

Hodie tempus est, quo opere completur: quod S. Patriarcha Noster in Spiritualibus Exercitijs suis accuratæ considerationi proponit. Exhibet erecta duo Vexilla duorum sibi adversantium Ducum, Christi & Luciferi, in amplissimis duobus campis. Lucifer suum defixit penes Babylonem, nimirum in terra *Confusionis*: ubi ipse in ignea & fumosa cathedra sedens, truci horribiliq; vultu, satellites suos expedit in universum mundum; ut homines ad se alliciant, invitent, trahant, proposita amplissimâ pro genio suo vivendi licentiâ, in affluentia divitiarum, honorum, & omnigenarum voluptatum. Christus vexillum suum fixit juxta Hierosolymam, in campo amœnissimo, loco quidem humili, sed ipse speciosus præ filijs hominum, & totus amabilissimus. Vel, si placet, intueamur Christum in ara hujus Ecclesiæ sub speciebus Eucharisticis residentem. Expedit & ipse Ministros suos in orbem terrarum; ut homines incautos admoneant periculi sui, abstrahant à Lucifero, & invitent ad se; collectos jam sub vexillum suum confirment in proposito, promittendo ipsis amplissimos favores suos & gratias in hac vita, in altera gloriam & Beatitudinem æternam.

Quis crederet: fore vel unicum, qui non potiùs ad Christum, Creatorem, Redemptorem ac Dominum suum naturalẽ gratiosissimumq;, convo-

laret, quàm ad Luciferum? Quis crederet: fore vel unicum, qui à Christo deficeret, & ad castra Luciferi transfugeret? Et tamen hodie millia, aut milliones numerantur. O tristem Domini mei JESU, sic contempti, sortem! O intolerabilem insolentium hominum insaniam! Lucifer promittit gaudia, bruto magis, quàm sanæ menti convenientia, post paucas horas, non sine luctu terminanda; & ad illum homines non currunt, sed ruunt! Christus pollicetur centuplo plura & meliora, ac insuper gloriam æternam; & ægrè quis perducitur ad ipsum; & qui accesserunt, turmatim deficiunt ab illo! Non advertunt miseri: graviorem ipsos manere pœnam, quàm olim Israelitas *Num:* 25 Qui cùm Baccho, qui ibi Beelphegor vocatur, & Veneri festum facerent, fornicando cum filiabus Moab; præcepit DEUS Moysi: ut tolleret cunctos principes populi, & *contra solem in patibulis suspenderet*; ut unusquisq; videret proximos suos, qui Beelphegor initiati erant.

Scitè S. Augustinus Bacchanalia vocare solebat *Sacramenta diaboli:* apud Lohn. tit: 15. Ut enim Sacramenta instituta sunt ad sanctificandas, ita Bacchanalia ad depravandas animas, & æternæ damnationi initiandas. Deinde sicut per Sacramenta tanquam signa quædam Discretiva seu distinctiva, discernuntur & segregantur fideles ab infidelibus: sic per Bacchanalia improbi à probis, Luciferiani à veris Christianis. Cæterùm cadant à latere Christi mille, & decem millia vel milliones à dextris ejus: nos per gratiam ipsius fidi adhærebimus, & inhærebimus ei. Obtrudant, quidquid possunt, mundus, caro, dæmon: pretiosior nobis erit JESUS, & gratia ejus.

DIE CINERUM.

Tessera Diei. *Amor meus ab ingratissimo discipulo venditus est!*

MEDITATIO. *DEUS permittit Christum vendi à discipulo: CHRISTI & Matris ejus dolor.*

I. ADora DEUM O. M. & considera: quo consilio permiserit; ut non à quovis alio, sed à discipulo, & quidem uno ex 12 primarijs, proderetur; ac venderetur Christus. 1. Ad cumulandos Christo dolores, quem voluit à quovis hominum genere pati. 2. Ne facile scandalum sumant homines, dum in oculos incurrit nævus aliquis personæ Ecclesiasticæ aut Religiosæ. En unum è 12 principibus Ecclesiæ, Magistri, Domini ac DEI sui proditorem! 3. Ne delicta discipulorum facilè imputentur Magistris. Sagaciùs est ingenium humanum in malum, quàm in bonum,

bonum. Illud ex ipsomet pullulat: hoc vix inferi potest. 4. Ut ab exemplo Christi graviora passi, solatium haberent Prælati, Benefactores, & Magistri: dum ingratos & injuriosos experiuntur, Subditos, Clientes, Discipulos. Adoro suavissimam providentiam tuam, Amabilissime DEUS, qui lapsu unius è schola Filij tui consulere voluisti solatio, & honori nostro. Da gratiam· ut nullam præbeam justi scandali causam; & honori sim Magistro meo Christo.

.2 ADora D. JESUM & considera: quàm sensibiles illi fuerint tot, tamq; graves injuriæ à discipulo in se commissæ. Non dissimulavit dolorem suum. Psal. 54. *Si inimicus meus maledixißet mihi; sustinuißem utiq;. Et si is, qui oderat me, super me magna locutus fuißet*, convicia, calumnias, immania probra; abscondissem me forsitan ab eo. *Tu vero homo unanimis* mecum, antequam per avaritiam diabolus occuparet cor tuum; *Dux meus*, quem in Principem Ecclesiæ meæ assumpsi *&* *notus* atq; intimus, *meus*, cui revelavi secreta cœlestia, dum alijs loquerer in parabolis; *Qui simul mecum dulces capiebas cibos*, & doctrinæ cœlestis & divini Corporis mei in cœna ultima: *in domo DEI ambulavimus cum consensu*, ferè triennio: quomodo effectus es mihi in Satan, in proditorem, in paricidam, in Deicidam? At nunquid plus solatij ex nobis, quàm ex Juda, habet JESUS? Diutiùs in ejus schola eruditi sumus; sæpiùs divino ejus Ore refecti, utinam minorum, pauciorumq; offensarum inveniremur rei! Doleo! Non ampliùs, mi JESU, non ampliùs. In sacco & cinere lugebo commissa.

3 VEnerare DEIparam V. & considera: quantòpere indoluerit, tum ob cæcitatem, ingratitudinem, & perversitatem Judæ; tum ob gravissimas injurias illatas Filio à discipulo. Sciebat; quo affectu illum prosecutus fuerat JESUS; quàm sanctâ instituerit doctrinâ, quàm liberaliter habuerit, committendo ei pauper ærarium totius collegij Apostolici; impertiendo gratiam miraculorum; dissimulando furta &c. & tamen plus in corde hominis potuisse diabolum, stupuit, & ingemuit! Utinam minora ingratitudinis portenta reperires in corde meo, o Domina! Ejice, obsecro, & sanctiores infunde affectus: ut æstimem Dominum meum JESUM super omnia. Hac me accende avaritiâ, ut malim omnium pati jacturam, dummodo JESUM lucrifaciam.

Propositum satisfaciendi aliquatenus DEO pro peccatis in Bacchanalibus commissis.

LECTIO PRACTICA.

Quomodo ex Paßione Christi proficere debemus, præsertim in Charitate, Mortificatione & Patientia.

QUod de Cruce Christi Redemptoris dicit S. Augustinus tr. 119. in Joan: *Crux Christi non tantum est lectulus morientis, sed etiam Cathedra docentis:* accomodari potest toti ejus Sanctissimæ Passioni. Tota enim Passio ejus non tantùm fuit Pretium redimentis, sed etiam Instructio docentis; & quidem uberior & efficacior instructio, quàm in Prædicatione Vocali. Nam in Prædicatione ore solùm & linguâ docebat: in Passione tot lingvis, quot vulneribus, quæ etiamnum non silent. Quin & sangvinis acutior vox est, quàm oris: ut patet in sangvine Abel; qui, postquam obriguit lingva, disertiùs clamavit de terra ad DEUM. Clamat ergo & Christi sangvis clamant Vulnera, clamat Passio tota, primò quidem ad DEUM, Misericordiam non Justitiam postulando; deinde clamat ad nos, Pœnitentiam urgendo, peccatorum malitiam exaggerando, Imitationem & profectum in Virtutibus, præsertim Charitate, Patientia, & Mortificatione nostri, poscendo. In nullis Doctorum libris tam accurata & perfecta virtutum omnium proponitur idea; nullis Prædicatorum sermonibus & rationibus tam acres ad virtutem admoventur stimuli: ut in Passione Dominica. Charitatem exigit Dilectio usq; in finem, Patientiam tolerantia injuriarum maximarum, Mortificationem Passio tormentorum immanissimorum.

Unde meritò S. Bonaventura de Pass: Dom: *Si vis,* inquit, *ô homo, de virtute in virtutem, de gratia in gratiam, de bono in meliùs proficere: quotidie quanta potes devotione, mediteris Dominicam Passionem. Nihil enim in anima ita operatur universalem sanctificationem, sicut Meditatio Passionis Christi* Et Ludolphus Carthus: p. 2. c. 58. Frequens, ait, Passionis memoria indoctum reddit doctissimum, imperitos & idiotas facit proficere in magistros, Magistros inquam, non scientiæ, quæ inflat, sed Charitatis, quæ ædificat. Ipsa est velut quidam Liber Vitæ, in quo omnia saluti necessaria inveniuntur. Felix, qui in ejus studio seriò se impendit: quià in contemptu mundi, & in amore DEI proficiet, cunctarumq; virtutum & gratiarum incrementum sumet. Idem attestatur Ludov. Blosius *in Conclavi cap.* 10. §. 7. ubi ait: Vita Christi Liber admodum præclarus est, doctis & indoctis, perfectis atq; imperfectis (qui DEO placere cupiunt) communis. Qui bene terit hunc Librum, efficitur eximiè sapiens, facileq; adipiscitur peccatorum veniam, pravorum affectuum mortificationem, mentis illuminationem, conscientiæ pacem & tranquillitatem, firmamq; erga DEUM sincera dilectione fiduciam. Etiamsi omnes codices, qui toto orbe habentur, intercidissent: Vita & Passio Christi Christianis omnibus sufficiet ad vir-

tutem

tutem omnem, & veritatem perdiscendam. *Ita Blosius.*

Indiarum Apostolus S. Franciscus Xaverius non alio argumento magis se incitabat ad omnem sanctitatem, quàm Passione Domini, in cujus crebra meditatione exardescebat in ipso ingens humanæ salutis, & sangvinis pro Christo fundendi cupido: totumq; se ad ipsius imitationem componebat. *Vita lib. 1. c. 3* Rectè Thomas Kemp: lib. 1. de Imit: c. 25. *Religiosus, qui se intentè & devotè in Passione Dominica exercet: omnia utilia, & necessaria sibi abundanter ibi inveniet.*

Quàmvis autem omnibus, tam perfectis quàm imperfectis plurimùm prosit consideratio Passionis Dominicæ: incipientibus tamen familiariorem esse convenit; ut tantò majorem concipiant peccatorum omnium horrorem & dolorem; cùm Christus ad ea delenda tam atrocia sit passus: disponantur quoq; & incitentur magis ad studium solidarum & fundamentalium virtutum in Christi Passione clarissimè relucentium; ut Humilitatis, Abnegationis sui, Patientiæ, Mortificationis, Obedientiæ &c. Sic S. P. N. initio conversionis suæ, tum aliàs, tum præcipuè cum Divino Missæ Sacrificio interesset, Passionem Dominicam legebat, & meditabatur. Magnus quoq; Magister spiritûs, P. Balthasar Alvarez, cùm adhuc junior rogaretur: quem in orando modum teneret? respondit: sibi statim in ipso orationis seu Meditationis ingressu offerri SS. Crucifixi Christi pedes, ad quos post demississimam adorationem provolutus, auscultabat Divinum Magistrum ex cathedra crucis docentem: sentiebatq; se inde vehementer accendi ad se mortificandum, cruciq; affigendû, atq; ad juvandos proximos, pro quibus tanta tulit DEUS. Hortabatur proinde postea omnes incipientes, ad sedulò meditandam Christi Passionem tanquam spiritualis eorum profectûs fontem: & in ordinarijs Exhortationibus suis identidem id repetebat; Ne existimemus, nos aliquid fecisse, donec eò perveniamus, ut semper Christum Crucifixum in corde habeamus. *Vita cap 3. §. 2.*

Ex dictis colligitur: In Consideratione Passionis Christi D. non esse nobis sistendum in pijs affectibus Admirationis & Compassionis: sed curandum, ut concipiamus ingentem peccatorum quorumvis etiam levissimorum horrorem, atq dolorem de commissis; deinde incitemur ad studium solidarum virtutum; præsertim Patientiæ & Mortificationis tum carnis, tum passionum, seu indomitorum affectuum nostrorum. Hoc enim maximè placet Christo, & nobis utilius est. Sic oportet, non solùm ad radices arboris jacere, & mirari fructus ejus: sed laboriosè ascendere in

palmam, & apprehendere fructus ejus. *Cant. 7.*

FERIA V. post CINERES.

Tessera diei: *Amor meus se mihi in cibum & hostiam dedit!*

MEDITATIO. *De DEI, JESU & MARIÆ affectibus in institutione Sacrificij Incruenti ante Cruentum.*

1. ADora DEUM O. M. & considera: quomodo sublaturus vetera sacrificia & victimas taurorum, vitulorum, hircorum &c. mundumq; sibi reconciliaturus per unicum sacrificium cruentum à Filio sibi exhibendum, in ara crucis, voluerit ab eodem præmitti & institui sacrificium incruentum Corporis & sangvinis sui; quo sæpiùs repetito uti possent homines ad iratum Numen placandum & quotidianas offensas suas delendas. Mira res! Erant tunc homines in flagranti crimine Deicidij: nihil aliud spirabant; quàm necem ignominiosissimam & crudelissimam Filij DEI; in eum finem colligebantur cohortes, expediebantur satellites, fervebant concilia, conclamabant Sacerdotes, & Pontifices: Euge, euge, devorabimus eum! At bonus DEUS cogitabat cogitationes pacis, ordinabat nova & efficaciora media expiationis, quantocyùs offerri sibi volebat unam hostiam, quæ simul esset sacrificium propitiationis & Sacramentum amoris. O DEUS quàm multus es ad ignoscendum! Quàm longè aliæ sunt cogitationes tuæ à cogitationibus nostris! Tibi sacrificabo hostiam Laudis æternæ, pro tam mirabili sacrificio propitiationis nostræ.

2. ADora D. JESUM, & considera: eum in cœna illa ultima, mirabili ferbuisse æstu affectuum, Amoris & doloris. Amorem incendebat ipsa personæ ejus ingenita bonitas, clementia, misericordia, & liberalitas; movebaturq; & proprio motu & voluntatis paternæ impulsu, ad communicandum se hominibus, non solùm in holocaustum offerendum DEO, sed etiam in cibum, & nutritivum & medicinalem animarum. Alia ex parte dolorem provocabat, & mirè acuebat excessiva malitia hominum in necem ipsius intentorum, proditoris obstinatio summa, nullis summi amoris & venerationis in pedum lotione, argumentis domita, indignitas hominum, qui prævidebantur abusuri, imò in interitum suum usuri, hoc cibo divino. Prævaluit tamen Amor, non pulso, aut oppresso, sed dissimulato dolore: maluitq; JESUS optimè facere pessimis, quàm delicijs epuli divini privare bonos. O ingenium Infiniti Amoris! O potentiam summi doloris! Semper & in omnibus mihi amabilis & mirabilis es, ô JESU; at amabilissimus in hoc sacrificio & Sacramento Amoris; mirabilissimus in-

tanta

tanta tolerantia doloris. Da ut accedens ad idem sacrificium ac Sacramentum, & summè amem bonitatem tuam, & summè doleam de malitia & indignitate mea.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: quantis, & ipsa concita fuerit motibus amoris & doloris in ultima illa cœna. Amabat tenerrimè & ardentissimè profusionem illam divinæ bonitatis, ob mirabilem illam communicationem, quâ se Christus hominibus obtulit in hostiam pariter ac cibum. Gaudebat quoq; in hostia illa & cibo divino; esse partem aliquam substantiæ suæ. At simul acerbissimè dolebat: eidem mensæ assidere proditorem Filij sui, intingere unà cum Christo manum in eadem paropside, & sacrilegâ impudentiâ sumere panem & poculum divinum; adeòq; devorari Filium suum à bestia immanissima. O quàm acuto mucrone scindebantur viscera Matris! Compatior, ô Domina, acerbissimo dolori tuo. Fac, ne unquam simili polluar sacrilegio: sed sancta sanctè suscipiam, & JESUS cum gaudio veniat ad me.

Propositum mortificandi Appetitum sensualem, & acuendi spiritualem erga Epulum Eucharisticum.

LECTIO PRACTICA.

De Mortificatione Gulæ.

VT sacrum Jejunij Verni tempus, quod ingressi sumus, qua decet, observantia, religione, & fructu transigamus; capaces nos spiritualium deliciarum ex Verbo Divino & Epulo Eucharistico percipiendarum reddamus; aptioresq; simus ad recolendam venerandamq; Passionem Dominicam: necesse est, ut Vitio Gulæ, quod est *inordinatus appetitus cibi vel potûs*, bellum indicamus, & toti in ejus mortificationem intenti simus. Tam latè grassatur hoc Vitium; ut etiam religiosa Asceteria impetat: tam potenter dominatur; ut vix ab Ascetarum heroibus plene subigatur; imò inexpugnabile esse, si alicubi invaluit, & temporis tractu firmatum est, docet S. Bernardus in epist: *Qui gulosus effectus est, vix aliter*, inquit, *quàm morte mores mutabit.* Et S. Basilius de Abdicatione rerum: *Multos*, ait, *sæpe adverti, qui cùm alterius cujusvis generis vitijs laborarent, ad sanitatem tamen redierint postea: qui autem hoc morbo tenerentur neminem ex omnibus vidi unquam, qui convaluerit.* S. Joan: Climacus gr. 14. ait: *Miraculi loco duco, si quis ante mortem & sepulchrum ab hac domina se in libertatem vindicavit.* Tenet enim captivos suos firmissimis vinculis; necessitatis, humanitatis, hospitalitatis, hilaritatis &c. prætextibus.

Unde Magistri spiritûs passim monent: primùm omnium hoc vitium oppugnan-

pugnandum esse à perfectionis studiosis. *Nemo potest virtutum perfectionem attingere; nisi prius ventris edomuerit ingluviem*: inquit S. Isidorus l. 1. c. 42. Et S. Gregorius lib. 30 Moral. *Nullus palmam spiritualis certaminis apprehendit, qui non in semetipso prius per afflictam Veneris concupiscentiâ carnis incentiva devicerit.* Rationem dat: *Neq; enim ad conflictû spiritualis agonis assurgitur; si non prius inter nosmetipsos positus hostis,* Gulæ videlicet appetitus, *edomatur.* Enervatur quippe animus, & ad spiritualia redditur langvidus & ignavus; dum continuò illi obversatur cura & cogitatio, quomodo ventri satisfaciat, & demulceat gustum. Hæc solicitudo evigilantem è somno excipit prima: hæc dormiturientem dimittit ultima. Nunc de non sufficientibus cibis appositis, nunc de malè conditis &c. oritur indignatio: jam de potu, ut non satis forti, aut fæculento, vel insipido &c. querimur. Unde fit: ut conturbatus animus aptus non sit ad exequenda munia sua, nec satis habeat vigoris sive ad resistendum tentationibus, sive ad aggrediendum insigne quiddam in materia virtutum, sive ad superandas difficultates occurrentes in bene cœptis. Bene Bernardus Serm: 24. de mod. viv. *Non potest quisquam perfectionem virtutum accipere; nisi prius intra se domuerit ventris gulam: neq; potest à semetipso tentationes dæmonum expellere, nisi refrænaverit in se appetitum gulæ.*

Sed minimum id est damnorum è gula promanantium, quòd obstet virtutum exercitio & perfectionis: universitas malorum, quibus humanum genus premitur, non injuriâ ipsi adscribitur. *Gula Paradisum clausit, primogenita vendidit, suspendit pistorem, decollavit Baptistam. Nabuzardan princeps coquorum templum incendit, & Jerusalem totam evertit*: inquit Innocentius PP. de Vilit: condit: hum: Quod Hierosolymæ Nabuzardan, id in toto genere humano operata est, & etiamnum operatur gula in cujusvis statûs & conditionis hominibus. *Ut apud eos, qui in sæculo sunt, Avaritia est radix omnium malorû: ita in religione gula*: ait S. Joan: Climacus gr: 26. n. 37.

Cùm igitur nunc sit tempus, quo solent Reges sensuum suorum aliarumq; affectionum, ad bella procedere: contra Capitale, imò & Originale, hoc vitium arma sumamus. Ut autem illud feliciùs & directiùs oppugnemus: nosse oportet Actus ejus proprios, quibus nos expugnat, & mancipatos tenet. *Quinq; nos modis Gulæ vitium tentat.* inquit S. Gregorius l. 30. Mor. c. 26. *Aliquando namq; indigentiæ tempora prævenit: aliquando cibos lautiores quærit: aliquando præparari accuratiùs præcipit: aliquando in ipsa quantitate sumendi mensuram moderatæ refectionis excedit: nonnunquam ipso æstu desiderij immensi deteriùs peccat.* Cæterùm Actus etiam plures inordi-

inordinati appetitus recenseri possunt. 1. Excedere legitimam quantitatem, seu mensuram. 2. Extra tempus comedere vel bibere, sine rationabili causa. 3. Nimis delicatos, vel præter morem proprij status paratos cibos aut potum appetere. 4. Defectus contingentes circa victum ordinarium impatientiùs ferre, acerbè conqueri, murmurare &c. 5. Nimio desiderio inhiare cibo vel potui, ut Esau. 6. Nimis avidè comedere vel bibere. 7. In convictu aliorum seligere sibi meliora, alijsq; præripere, nec servare mensales urbanitates seu civilitates. 8. Non fraudare appetitum bolo aliquo, sed totum, quatenus licet, explere.

Porro ad extirpandos hujusmodi in victu excessus & defectus, præter salutis æternæ, temporalis sanitatis, & perfectionis studium, ad quod obligamur; acriter nos incitat Circumstantia temporis, tum Anni Vernantis, quo sangvis ebullire, & corpus periculosiùs inflammare solet; tum Jejunij Quadragesimalis, quo & delicta commissa, præsertim per insolentiam carnis, expianda sunt: & nostrâ causâ passo in carne DEO compatiendum est. *Induimini D. JESUM Christum: & carnis curam ne feceritis in desiderijs*; monet Apostolus Rom: 13.

FERIA VI. post CINERES.

Tessera diei. *Amor meus tristis est usq; ad mortem!*

MEDITATIO. *DEUS in horto incipit derelinquere Filium: CHRISTI tristitia, pavor, &c. DEIparæ V. dolor in abitu ipsius post cœnam.*

1. ADora DEUM O. M. & considera: quomodo non solùm in cruce pendentem dereliquerit propter nos Filium: sed jam in horto derelinquere cœperit; substrahendo illi ordinarias consolationes (quæ ex visione beatifica in illum redundabant) & auxilia, quibus potentiæ sanctissimæ illius animæ in suo vigore, & ad operandum expeditissimæ reddebantur. Unde beata illa anima illico cœpit mœrere, pavere, tædio laborare: & factus est JESUS, Angelorum voluptas; sibimetipsi gravis amarus, invalidus. Jam in cœna turbatus fuerat spiritu ob inexpugnabilem proditoris duritiem. Joan: 12. & ecce Pater non solatur, sed aggravat mœrorem & dolorem! Nos autem continuò in bonis ducere volumus dies nostros; omnes volumus serenos & lætos etiam Quadragesimales. At si quando, nunc certe melius est ire ad domum luctus, quàm ad domum convivij. *Cor sapientium, ubi tristitia est, & cor stultorum ubi lætitia.* Eccle. 7.

2. ADora D. JESUM, & considera: quàm gravi oppressus fuerit tristitiâ. *Tristis est*, inquit, *Anima mea usq; ad mortem.* Anima illa,

 clariss

clarissimâ DEI visione beata, quæ post DEUM, præcipuum est beatitudinis nostræ objectum, quæ lætificat omnes Angelorum choros, tristis est; non sine gravissimo tædio, & metu imminentium malorum: tristis est usq; ad mortem; tum quia ei nulla dabitur consolatio usq; ad extremum agonem; tum quia adeò gravis erat, tristitia; ut mortem causaret, nisi divinitus hæc arceretur: ut majoribus tormentis sit locus. Neq; in prolixa oratione, quæ sanctis animabus fons est cœlestis voluptatis, aliquid levaminis, aut solatij affulsit mœsto. Tandem apparuit quidem Angelus, sed confortans tantùm, non recreans. Nostra inordinata gaudia, vetitos lusus, & dissolutionem expiare hoc lethali suo mœrore voluit JESUS. Ergo adhuc ludam? & illudam afflicto? Differ, o anima mea gaudia: placeat nunc pœnitentiæ luctus: Dilata crescent gaudia.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: quo mœrore & dolore obruta fuerit; quando ei post ultimam cœnam *Vale* dixit JESUS. Præsciverat ipsa pridem, quæ eventura essent: at grandia mala minùs afficiunt, dum eminus videntur, quàm dum cervici jam imminent. Divisio sola amantium non paucis lethalis fuit: quid si alter in captivitatem, in catastas aut rogum rapiatur? Abibat JESUS non rediturus; ibat; in vincula & carceres conjiciendus, flagris & spinis discerpendus, in crucem tollendus: quæ hic vita relinquebatur cordi materno? Eja Mater fons amoris, me sentire vim doloris: fac: ut tecum lugeam?

Propositum cavendi Quadragesimali tempore effusionem in jocos & lusus.

LECTIO PRACTICA.

De Mortificatione in lusu, jocis, & gustu.

OPportunissima huic loco est pia Meditatio S. Bernardi, quam exhibet serm. 3. in Nat: Dom: *Ludebam*, inquit, *ego foris in platea: & in secreto regalis cubiculi super me ferebatur sententia mortis. Audivit hoc Unigenitus ejus; exijt posito diademate, sacco vestitus, aspersus cinere caput, nudus pedes, flens & ejulans, quòd morte damnatus esset servulus ejus. Intueor illũ subitò procedentem, stupeo novitatem, causam percunctor, & audio. Quid facturus sum? Adhuc ne ludam, & deludam lacrymas ejus? Planè si insanus sum, & mentis inops, non sequar eum; nec cum lugente lugebo.* Hæc pijssimus Bernardus ex consideratione pauperrimè nati, & amarè flentis JESU.

Quid nos ex consideratione ejusdem, Viri dolorum, eadem de causa procedentis ad hortum Oliveti; tædio, pavore, & lethali tristitia laborantis; procidentis in faciem suam, & pro salute servuli insolentis non lacrymas solùm, sed sangvine toto corpore fundentis, & luctantis usq; ad ago-

niam? Quid nos, inquam? Adhuc ludemus, & deludemus sangvineas lacrymas ejus? Cum lugente non lugebimus? *Compatitur DEI Filius & plorat: homo patitur, & ridebit?* Ob nostra pericula pavore concutitur JESUS; ob nostram animi dissolutionem tædio laborat JESUS: ob nostra intempestiva & immoderata gaudia tristis est usq; ad mortem JESUS; nos pergemus, in bonis, in jocis, & lusibus solitis ducere dies nostros? Quid dico, *Nostros*; quos publico luctui, & Patienti Salvatori consecravit Ecclesia, & Gratitudo debita?

Dedecet laxior hic in Quadragesima vivendi modus eos potissimùm, qui speciali ratione divino cultui se agnoscunt mancipatos. Inconvenientissimum enim est: ut familia indulgeat genio liberiùs, dum Domino, ipsorum causâ, iniquissimè & atrocissimè sublato, parentandum est. Melioris notæ non Religiosi tantùm, sed Eminentissimi, Illustrissimiq; Præsules Quadragesimam totam Meditatione Dolorum Christi, & singulari austeritate, non epulis & facetijs; multiplicatis laboribus, non otio vel lusibus, celebrare consueverunt. S. Carolus Borromæus toto eo tempore super nudos asseres cubabat, animum assiduis pietatis officijs exercebat, corpus solo pane & aqua, exceptis Dominicis diebus (quibus tamen pisces non admittebat) sustentabat: alternis nihilominus diebus zelosam ad populum concionem dicebat. S. Franciscus Salesius, quàmvis assiduis difficillimisq; propter viarum asperitatem, suæ Diæceseos Visitationibus attritus, Quadragesimali tempore residuas colligebat vires, atq; diebus singulis Apostolico Spiritu populum erudiebat, incitabatq; ad pietatem. Hæc sunt otia, hæ feriæ & deliciæ Servorum DEI, qui JESUM Patientem præ oculis habent.

Mirum sanè est: Christianos, ne dicam Ecclesiasticos & Religiosos, posse lætos agere dies, dum ipsis proponitur JESUS tam dira passus non solùm pro ipsis, sed etiam ab ipsis. Petrus propter trinam negationem metu extortam, flebat amarè, quoties gallum audiebat cantantem: nos quoties ex mera insolentia vel malitia, peccavimus in JESUM? Et tamen non tantùm non libet plangere, sed libet indulgere genio, imò novas cumulare offensas! Civis Romanus, quòd in publico urbis luctu, serto roseo cinctus frontem comparuisset, in carcerem conjectus est: quantò majus piaculum erit, dum Ecclesia publico luctui proponit Christum spinis coronatum; cum lascivis illis Sap: 2. juvenibus coronare se rosis intempestivæ lætitiæ?

Accusabit non paucos pius ille captivus (apud Cantiprat: lib. 1. de apib. c. ult.) ex quo cum herus continui mœroris causam quæsivisset, respon-

sum tulit: Non posse se non condolere Domino ac Salvatori suo, acerbissima pro se passo: nec posse frontem serenare, cùm ejus vulnera cordi impressa assiduè saucient mentem. Volens id experiri tyrannus, concidit hominem; in cujus diviso corde Imaginem reperit Crucifixi. Omnia tempus habent. Tempus gaudendi adferent Paschales Feriæ, & major vernantis anni amœnitas, imò tota beata Æternitas: placeat interim aliquid concedere modico huic tempori lugendi, & justo S. Matris Ecclesiæ postulato. Amoveri vult lautiores mensas, præcipit parciorem victum. Nam, ut notavit S. Gregorius lib. 31. Moral. *De ventris ingluvie inepta lætitia, scurrilitas, immunditia, multiloquium, hebetudo sensus circa intelligentiã propagantur.* Deinde, ut observavit S. Augustinus Quæst: Evangel: lib. 2. c. 18. *Scriptura docet generale Jejunium, non à concupiscentia ciborum tantùm, sed ab omni lætitia temporalium delectationum.*

Audiamus deniq; Christum ipsum, apud S. Angelam de Fulginio (in Vita c. 6. apud Bolland. 4. Jan:) amplissimè benedicentem lugentibus secum, sibiq; compatientibus. Inter cætera ait: *O vos verè beati, & omnino benedicti! Si in cruce pro meis Crucifixoribus cum lacrymis rogavi Patrem meum, & excusavi eos: quid pro vobis, qui mihi compassi, devoti, & consocij fuistis, dicturus sum, cùm non in cruce, sed in gloria orbem judicabo?* Hoc vel maximè tempore locum habet illud Matt. 5. *Beati qui lugent: quoniam ipsi consolabuntur.*

SABBATO post CINERES.

Tessera Diei: *Amor meus positus in agonia, sanguine manavit!*

MEDITATIO. *DEUS permittit Christum devenire usq; ad agoniam & sanguineum sudorem: CHRISTO quàm gravis ea agonia: DEIpara V. anxia de Filio.*

I. ADora DEUM O. M. & considera: quomodo Filium suum mœrore & metu tabescentem permiserit devenire usq; ad agoniam, & sanguineum sudorem. Subvenire facilè poterat, sed nolebat: quia tempus patiendi erat. Vide, quàm rigido amore amet DEUS unigenitum suum; per omnia & super omnia amabilissimum. Sic etiamnum amat chariores sibi, Non solùm permittit illos tempestatibus jactari, sed etiam naufragia pati, imò à belluis marinis, ut Jonam, devorari. Servat tamen animam seu vitam eorum, donec suo tempore illos, de profundis educat; & collocet cum Principibus populi sui. Sustinendũ igitur, & cogitandum; quod Pater sit, qui nos ad hunc agonẽ pervenire permisit, sciens & amans.

2. Adora

2. ADora D. JESUM & considera: quàm gravis & acerba ei fuerit agonia illa in horto. Argumento est sudor, non aqueus & frigidus, ut solet in moribundis; sed fervidus & sangvineus, quod vix auditum, tamq; largus, ut non solùm faciem, corpus & vestimenta imbuerit, sed in terram usq; decurrerit; ut indicat Evangelista; *Factus est sudor ejus sicut guttæ sangvinis decurrentis in terram.* Luc: 22. Causa hujus sudoris proxima, fuit ingens & ineffabilis lucta Spiritus cum parte sensitiva, quæ naturali horrore imminentium, tot, tantorumq; malorum correpta, totis viribus ea aversabatur, & evitare contendebat: at pars Superior, seu voluntas altioribus instructa principijs (quamvis & ipsa ingenti horrore consternata,) amplectebatur voluntatem Patris, & omnium tolerandorum fortem constantemq; perpessionem imperabat. Accessit vivacissima apprehensio infinitorum, & maximè enormium peccatorum (inter quæ mea non ultimò loco erant) pro quibus patiendum erat; uti etiam summa hominum ingratitudo, & in plurimis nullus fructus acerbæ passionis. Vide, quomodo resistendum tentationibus, & pugnandum usq; ad sangvinem etiam, & agoniam: ne à voluntate, & mandatis divinis recedamus. Doleo, Domine: quòd tam leviter sæpè defecerim à te. Afflictissime JESU, per acerbissimam illam agoniam tuam, ne deseras me nunc, & in ultima mortis lucta, à qua tota pendet æternitas.

3 VEnerare DEIparam V. & considera: quàm fuerit solicita & anxia de filio. Est enim amor præsertim Matrum, affectus valde inquietus, solicitus & anxius. Cogita Matrem junioris Tobiæ; quàm inquieta fuerit & anxia de Filio non comparente statuto tempore. Quid? si vidisset, irruentem belluam marinam, jam jam devoraturam Filium? Quid si audisset; filium cum sponsa sua adijsse thalamum, in quo jam septem proci necati erant à dæmonio? De imminente longè tristiore sorte Filio suo, DEO, certa erat MARIA: quantâ igitur anxietate eam laborâsse oportet! Compatior tibi intimè ô Afflictissima; & per ineffabilem illam anxietatem tuam; adesto mihi, in confinio æternitatis, anxio de Salute æterna.

Propositum maturè amovendi, quæ in agone anxium reddere possent.

LECTIO PRACTICA.

Resistendum tentationibus præsertim gulæ, & inordinatis affectibus, etiam usq; ad sangvinem & mortem.

ETiam inchoantibus Quadragesimale Jejunium admodum opportuna est illa Sancti Spiritus per Ecclesiasticum cap. 2. præmonitio: *Fili,*

accedens ad servitutem DEI, sta in justitia & timore ; & præpara animam tuam ad tentationem. Accedimus ad servitutem DEI, non nunc primùm exhibendam ; sed majore studio, fidelitate, diligentiâ, submissione & charitate præstandam Redemptori DEO. Standum ergo inprimis *in Justitia*, & ab omni impietate quàm longissimè recedendum, omni tentationi quàm strenuissimè resistendum: aliàs & servitus nostra fidelis non est, & Jejunium meriti nullius. Nam ut Jejunium, seu abstinentia à cibis sit meritoria, conjunctam esse oportet abstinentiæ à peccatis quibusvis, saltem gravibus: quam abstinentiam Jejunium magnum & generale vocant Theologi cum S. Augustino; qui tr. 17. in Joan: ait: *Jejunium magnum & generale est, abstinere ab iniquitatibus, & illicitis voluptatibus sæculi; quod est perfectum jejunium. ut abnegantes impietatem & sæculares cupiditates, temperanter, & justè, & piè vivamus in hoc sæculo.* Fundatur hæc doctrina in illo Isaiæ 58. *Nonne hoc est magis jejunium, quod elegi? Dissolve colligationes impietatis; solve fasciculos deprimentes, dimitte eos, qui confracti sunt, liberos; & omne onus dirumpe. Frange esurienti panem tuum, & egenos vagosq; induc in domum tuam &c.*

Standum quoq; *in Timore*; tum quia monet Apostolus, ut qui stat, videat, ne cadat: tum quia etiam de propitiato peccato non debemus esse sine metu. Eccle. 5. tum quia solicitè cavendum; ne passo Domino, per nova peccata, quæ hoc tempore commissa magis sensibilia sunt, super dolorem vulnerum susceptorum novos addamus dolores. Deniq; *præparanda anima ad tentationem*: quæ certè non deerit hoc tempore; imò multiplex, & non leviter infesta, aderit. Quod prævidens solicita Mater Ecclesia, per crastinum de Tentatione Christi in deserto Evangelium, præmonet fideles: ut maturè ac strenuè se arment contra tentationes imminentes. Tentabit Satanas, tentabit malus socius, tentabit caro propria cum concupiscentijs suis, præsertim gulâ.

Tentatis & tentandis inclamat Apostolorum Princeps 1. Pet. 5. *Resistite fortes in fide*; credentes, DEUM non permissurũ tentari vos supra id, quod potestis, & facturum cum superata tentatione proventum. Inclamat & alter, Rom 12. efficax aliud suppeditando medium ad quamvis superandam tentationem: *Recogitate enim eum, qui talem sustinuit adversùm semetipsum contradictionem: ut ne fatigemini animis vestris deficientes.* Sustinuit omnigenas impugnationes Christus: ut vos doceret vincere, & erigeret ad appetenda victoribus destinata prœmia. Sustinete; quàmvis complures futuri sint insultus. Ne fatigemini; quàmvis diutiùs duratura sit tentatio. Resistite; quàmvis valetudo corporis sit atterenda, quàmvis non

pauca alia incommoda sint subeunda. *Nondum enim usq; ad sangvinem restitistis, adversùs peccatum repugnantes.* In hoc genere pugnæ, etiam immori victoriæ necesse est. Recogitate eum: qui non solùm ab externis adversarijs, sed etiam intra semetipsum adversùs semetipsum talem sustinuit contradictionem partis inferioris contra superiorem; ut & toto corpore sangvineo manârit sudore. & in suprema positus fuerit agonia: non tamen defecit animo, sed valentior assurgens; *Non mea*, inquiebat, *sed tua*, Pater *fiat voluntas. Surgite; eamus*, quò sensus refugit, sed ratio vocat, & Pater.

Recolere juvat & aliud fortis usq; ad mortem resistentiæ exemplum, quod tradit Cæsarius lib. 4. cap. 77. Miles quidam non paucarum nec levium noxarum reus, confitebatur quidem illas subinde; sed pœnitentiam injunctā implevit nunquā. Tandē Sacerdos ex ipsomet quæsivit: *Est ne demum aliquid, quod pro peccatis tuis implere possis?* Ille respondit: *Est pomus in possessione mea talis, cujus fructus pessimus, & amarus est adeò: ut nunquam ullum comedere possim. Si videtur vobis bonum; pœnitentia mea sit: ut quo ad usq; vivam, de ejusdem pomis non gustem.* Advertit Sacerdos: nos passim niti in vetitum, & cupere negata: eam igitur homini pœnitentiam assignavit. Abijt miles, contentus pœnitentiâ, quam serio, an joco, sibi poposcerat. Stabat autem arbor illa eo situ: ut quoties ædibus suis egrederetur, vel illas ingrederetur, arborē & fructus ejus haberet in conspectu. Incessit eum paulò pòst vehementissima cupido vetitorum fructuum: sed retrahebat religio impositæ & susceptæ pœnitentiæ; fuitq; lucta tam gravis, ut similem nullam senserit in acie militari. Deniq; eò evasit anceps hoc prælium: ut quadam die arborem accesserit, jamq; manum extenderit ad pomum decerpendum, sed mox pœnitentiâ ductus retraxerit: tenuitq; ea extensio & retractio manûs totum diem, luctante divina gratiâ & bona voluntate cum tentatione; donec vir fortis, fragilitate humana & victorijs fatigatus, sub arbore concidit exanimis.

Rectē monet S. Gregorius hom: super Evang: *Cogitandum summóperè est: ut qui se illicita meminit commisisse; à quibusdam etiam licitis studeat abstinere: quatenus per hoc Conditori suo satisfaciat.*

DOMINICA I. QVADRAGESIMÆ.

Tessera Diei. *Amor meus amarissimum Passionis Calicem pro salute mea bibit!*

MEDITATIO. *DEUS persta: in decreto de Passione & Morte: CHRISTUS & Mater ejus conformant se voluntati Divinæ.*

1. Adora

1 ADora DEUM O. M. & considera: quomodo non exoratus humillima, ardentissima, & ter prolixè repetita oratione Christi, perstat in sententia de tolerandis omnibus omninò, quæ in concilio Sanctissimæ Trinitatis ab æterno definita fuerant de passione Filij DEI, & morte crucis. *Oportuit hæc pati Christum.* Luc: 24. Unde licèt viribus ita destitutus fuerit, ut naturaliter vivere nullo modo posset: maluit Pater Angelo misso eum confortare; & per miraculum vitam ei protrahere, quàm à passione & morte crucis liberare: Oportuit hæc pati Christum. Et nos pati non oportet? *Patientia vobis necessaria est.* monet Apostolus Heb. 10. Non igitur immunitas à tribulatione, sed gratia & patientia ardenter petenda. Parce Domine impatientiæ meæ. Auge, si placet; dolores: sed etiam auge patientiam.

2. ADora D. JESUM, & considera: quàm accuratè semper se conformârit voluntati Patris, etiam in maximè arduis. Quàmvis enim ex humanitatis imbecillitate naturali petierit; ut transiret amarissimus ille calix à se: nunquam tamen id petijt absolutè; sed cum adjecta semper clausulâ plenâ voluntatis suæ resignatione perfectissimâ. *Verumtamen non sicut ego volo; sed sicut tu.* Vel: *Fiat voluntas tua.* Matt. 26. Et mox, ubi advertit constantem Patris sui voluntatem: collectis viribus omnibu , magno animo surgit ab oratione; monetq; discipulos: *Surgite eamus. ecce appropinquavit, qui me tradet.* Adeò tergiversatus non est, ut etiam ultro occurrerit. Et nostram hanc decet esse tesseram resignatæ voluntatis in quacunq; tribulatione *Fiat voluntas tua.* Sed, quomodo ad hoc culmen perfectionis deveniā nisi tu, qui ducis exemplo, des gratiā infirmo, Magnanime JESU?

3. VEnerare DEIparam V. & considera: ipsam quoq; heroica resolutione semper resignatissimam fuisse in omnem DEI voluntatem circa se & Filium suum; quàmvis & ipsi idem calix, qui Christo offerebatur, exhauriendus fuerit, per acerbissimam compassionem, usq; ad fundum. Iterabat assiduè suum illud; *Ecce Ancilla Domini. Fiat secundum verbum tuum.* Tu nôsti, o Domina, pusillanimitatem & infirmitatem meā; pone pretiosum hoc verbum, *Fiat*, in corde & ore meo; ut semper de me, in me; & circa me optem fieri voluntatem DEI.

Propositum de conformanda voluntate, cum Divina.; specialiter circa Mortificationem carnis per Jejunia &c.

LECTIO PRACTICA

De Jejunio Quadragesimali, rigidè observando.

MAgnâ semper in Ecclesia Christi religione observatum est Quadragesimale

gesimale Jejunium, utpote non à Moyse solùm & Elia, sed ab ipso Christo Domino consecratum. *Hanc Quadragesimam nobis Dominus suo jejunio consecravit*: inquit S. Ambrosius Serm: 34. *Quisquis ergo Christianus consecratam jejunando non impleverit Quadragesimam, prævaricationis & contumaciæ reus tenebitur: quòd legem divinitus pro salute sua datam prandendo ipse rescindit*. Et S. Jgnatius M. ad Philipp: *Quadragesimam nolite pro nihilo habere: imitationem enim continet DEI conversationis*. Constitutionem Apostolicam de ipsius observatione refert S. Clemens Romanus his verbis: *Post Epiphaniam servandum est vobis Jejunium Quadragesimæ, continens memoriam conversationis & legislationis Domini*. S. Chrysologus Serm. 11. *Videtis*, inquit, *quia quòd Quadragesimam jejunamus, non est humana inventio?*

S. Augustinus multis locis Jejunij Quadragesimalis observationem & utilitatem commendat, præsertim Serm. 65. de Temp. Et lib. 1. quæst: 69. Et Serm: 1. Dom: 1. Quadrag: Et Serm. 1. in Ciner: ubi ait. Ecce Fratres Charissimi, DEO propitio tempus Quadragesimæ venit. Et ideo rogo Dilectissimi: ut dies istos corporibus salubres, & animæ medicinales, ita cum DEI adjutorio sanctè & spiritualiter celebremus: ut observatio sanctæ Quadragesimæ non nobis judicium pariat, sed profectum.

Insigne exemplum S. rigoris in observando Quadrag: Jejunio nobis reliquit Magnus Virtute, & Scientia, Zeloq; Fidei Catholicæ Cardinalis Stanislaus Hosius. Refert Rescius in Vita lib. 1. cap. 4. eum Tridenti, ubi cum cæteris Pontificijs Legatis S. Concilio præsidebat, in gravem incidisse morbum tempore Quadragesimali. Medici judicârunt, necessarium esse; ut rigorem Jejunij laxaret, & carnibus vesceretur. At ille, ut id faceret, adduci non potuit, malens *sibi ventrem*, ut olim Paula Venerabilis dicebat, *dolere, quàm mentem*. Quo forsan factum est, ut morbus invalesceret cum vitæ periculo non levi. Instabant Patres Concilij, qui in Hosij vita periclitari ipsum Oecumenicum Concilium censebant: sed frustra. Adfuerunt ergo cæteri Legati Apostolici, de salute Collegæ soliciti, monueruntq; quàm poterant efficacissimè; ut de rigore Jejunij paulisper remitteret. Quodsi consilio non acquiesceret, cederet auctoritati Concilij & Collegarum. Si opus esset; dispensare se, etiam Pontificis & totius Concilij nomine in lege Ecclesiæ. At Hosius propositi tenax, reposuit: Ego spem meam non in bestiarum cadaveribus, sed in DEO Salvatore meo pono, qui solus est verus Medicus, & corporis & animæ langvores sanans. Scriptum est: Honora patrem tuum, & matrem tuam, ut sis longævus super terram. Pater meus, DEUS est in cœlis; Mater

mea Ecclesia est in terris. Ille præcipit, ut jejunem: hæc præcipit, ut his diebus istoq; tempore jejunem. Utrumq; honorare, utriq; obtemperare volo; & spero, quòd ero longævus super terram, quidquid tandem de suis conjecturis dicant Medici. Imò verò se eam à teneris annis fidem habuisse: si præceptum Ecclesiæ de servando jejunio, ex quacunq; tandem causa violaret; quòd in certum aliquod vitæ periculum incurreret. Quamobrem si se salvum & incolumem cuperent: ne auctoritatem suam ad vim inferendam jejunio adhiberent: se in eadem planè fide, quàm à teneris annis in animum induxerat, versari; si carnes prohibitis ab Ecclesia diebus comederet, quòd mortem sibi sciens volens accerseret, & prorsus sibi secundùm fidem suam fieret. Hæc ille: perstititq; in sententia; & DEUS, paulò pòst servo suo, etiam in minimis fideli, sanitatem restituit.

Eâdem constantiâ dies Jejuniorum coluit idem pijssimus Cardinalis etiam in supremo morbo: cùmq; familia ipsius unà cum Medicis instaret; ut propter magnam corporis debilitatem, saltem maturiùs seu matutino tempore cibi aliquid sumeret: suam deplorabat ille infelicitatem; quod in tam numerosa familia nemo inveniretur, qui ad recitandas preces, vel ad Missæ Sacrificium audiendum adhortaretur, aut ad debitas DEO laudes invitaret, sed omnes quasi conspiratione facta, cibum istum corporalem obtruderent, seq; vellent facere heluonem; ut in eo summam recuperandæ valetudinis esse constitutam existimarent. *Rescius in Vita lib. 3. c. 19.*

Hosij sententiam & constantiã graviter promovet S. Ambrosius tom: 3. serm. 25. de Quadrag: *Scriptum est*, inquit: *Qui dicit, se in Christo manere, debet sicut ille ambulavit, & ipse ambulare. Si vis ergo Christianus esse, debes, quod Christus, facere. Ille, qui peccatum non habebat, Quadragesimam jejunavit: tu non vis Quadragesimam jejunare, qui peccas? Ille peccatum non habebat, sed pro nostris jejunavit peccatis. Qualis ergo apud conscientiam tuam Christianus es; cùm Christo pro te esuriente, tu prandes? Cùm Salvatore pro te jejunante, tu reficeris? Non igitur, sicut dixi, leve peccatum est, indictum violare Jejunium.*

FERIA II.

Tessera diei: *Amor meus proditus est!*

MEDITATIO. *de proditione Christi à Juda, permissa à DEO, deplorata à Matre.*

I. ADora DEUM O. M. & considera: quomodo permittit homines liberrimè agere, & committere etiam summa sacrilegia, directè contra

contra se, & honorem suum (quale scelus fuit Christi proditio per Judam Iscariotem) etiamsi evidentissimè sciat: impios ex tam facili permissione sumpturos occasionem dubitandi de ipsius omniscientia: *Quomodo scit DEUS! & si est scientia in excels?* Psal. 72. imò persuadendi sibi quamvis reclamante conscientiâ: vel DEUM res humanas non curare, *Nubes latibulum ejus, nec nostra conside at, & circa cardines cœli perambulat* Job. 22. vel prorsus DEUM esse nullum. Est sanè DEUS magno, imò immenso corde, quia talia dissimulare potest. Nostrum vel puncto læsum exanimatur. Da mihi magne DEUS, cor amplum & propriarum injuriarum capax: pavidum in committendis offensis tuis.

2 ADora D. JESUM & considera: quo vultu, quibusvè affectibus exceperit proditorem suum Judam impudentissimum & scelestissimum. Internos ejus sensus produnt verba, humanitatis, mansuetudinis, commiserationis plenissima: *Amice ad quid venisti? Juda, osculo Filium hominis tradis?* Ostendit, & notas sibi esse fraudes, actaq; ipsius, & paratum se esse ad ignoscendum, si resipisceret; & Infinitam malorum, tum sibi, tum ipsi Judæ imminentium, catenam post se trahere hanc proditionem. Quæ fuerunt tres validissimæ machinæ, quas clementissimus Dominus ultimò adhibuit ad retrahendum & convertendum filium perditionis. Sed expertus est illud Prov. 18. *Impius, cùm in profundum venerit peccatorum; contemnit.* O profundum ineluctabile, & ipsa Inferni abysso profundius! Serva me, misericordissime Salvator; ne ad hoc profundum deveniam: da: ut ipsam quoq; superficiem & speciem omnem peccati perhorrescā. cum omne lethale peccatum sit quædam proditio tui.

3 VEnerare DEIparam V. & considera: quomodo in tam ancipiti & luctuoso rerum statu, anxiè expectabat nuncium; quid ageretur cum Filio? De hominibus ultimum Judicij diem expectantibus dicitur. 21. *Arescentibus hominibus præ timore & expectatione, quæ supervenient universo orbi.* At passio & mors Christi res erat longè luctuosior, præsertim Matri, & tali Matri, quàm interitus universi orbis. Quis ergo explicet, aut concipiat, quàm acerba illi fuerit ea expectatio? Pia Mater, fons amoris, me sentire vim doloris: fac; ut tecum lugeam.

Propositum de agendo suaviter, etiam cum inimicis.

LECTIO PRACTICA.

Patiendum cum Mansvetudine erga Adversarios.

STupendum inauditæ Mansvetudinis suæ exemplum dedit Salvator noster amabilissimus: quando proditorem Judam in ipso actu prodi-

tionis non solùm non repulit, nec acerbo aliquo verbo perstrinxit, sed Amicum appellavit, & ad osculum gratiosissimè admisit. *Ut doceremur inimicos omnes, eosq;, quos scimus desævituros in nos esse, diligere: osculum ejus Dominus non respuit*; inquit S. Hilarius.

Est certè hæc gloriosissima Patientia, & verè heroica Mansvetudo, quando inimicum, sive præsentem, sive absentem, non solùm convicijs non proscindimus, sed honorificè compellamus, & data occasione honorificam ejus mentionem facimus, non secus ac de aliquo ex primarijs amicis. Suspicit S. Chrysostomus hanc virtutem in Davide: qui cùm 1. Reg. 24. habuisset in manu Saulem in spelunca deprehensum, & à suis incitaretur ad eum occidendum: non solùm manus ei non intulit, sed nec verbo incompto vel acerbo perstrinxit; nec solùm Dominum suum, sed etiam Christum Domini appellavit reverentissimè: *Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem Domino meo, Christo Domini: ut mittam manum meam in eum, qui Christus Domini est.* Non est profectò mediocris philosophia, inquit Chrysostomus hom: de Saule & Davide, hostem honoris & obsequij vocabulis appellare. Pleriq; siquidem inimicos suos, nec proprijs quidem ac simplicibus nominibus appellare sustinent; sed alijs vocabulis accusationem habentibus eos nominant; puta, illum impium, illum insanum, mente captum, illum delirum, illum pestilentem, aliaq; multa contexunt, hisq; notis designant hostem. Id esse verum, exemplo non eminus petito, sed è proximo sumpto, docebo: nimirum in hoc ipso Saule, qui Justum hunc ob vehemens odium, non sustinuit proprio vocare nomine, sed requirens eum, dicebat: ubi est filius Jesse? Sic autem appellavit eum partim odio proprij nominis, partim genitoris humilitatem notans. At non idem fecit B. David: neq; enim patris cognomento vocavit eum (ut filium Cis, hominis admodum humilis & contempti) neq; nudo simplicíq; vocabulo designavit; sed dignitatis & principatus titulo. Usq; adeò purum ab omni malevolentia gerebat animum. Proinde tu quoq; Charissime, hunc imitans illud inprimis discito: ne unquam inimicum famosis nominibus, sed honorificis potiùs appelles. Etenim si os assveverit, eum, qui læsit, honoris obsequijq; nominibus appellare; & animus hæc audiens, à lingva doctus, non fugiet cum illo redire in gratiam. Nam ipsa verba remedium erunt optimum ulceris in corde intumescentis. *Ita Chrysostomus.*

Observat quoq; idem ibid. insignem effectum honorificæ illius appellationis, tum apud socios, tum quando David clamavit post tergum Saulis;

Dominus

Domine mi Rex; & pronus in terram adoravit; insuper gratiosiore nomine *Patrem* vocavit: *Pater mi Vide, & agnosce oram chlamydis.* Subitò enim mutatus Saul, non tantùm iras posuit, sed Davidem Filij nomine honoravit. *Numquid vox hæc tua est, Fili mi, David?* Miratur hìc Chrysostomus: *Quanta subitò facta est mutatio? Qui nunquam sustinuerat, illum vel simplici vocare nomine, ipsam etiam appellationem habens exosam; nunc eum adoptat in cognationem, appellans eum Filium. Quid igitur David felicius, qui ex homicida fecit Patrem, è lupo ovem?*

Etiam in Anna, matre Samuelis similem modestiam & mansvetudinem notavit idem S. Chrysostomus, hom: 2. de Anna. Gravi enim convicio perstricta ab Heli, tanquam temulenta; nullum contumeliosum reposuit verbum, sed cum singulari reverentia respondit: *Nequaquam Domine mi, Qui contumeliosè locutus fuerat,* inquit Chrysost: *eum appellat Dominum. Non dixit, quod pleriq; solent homines: Istene Sacerdos? Iste, qui alios docet, temulentiam ac vinolentiam mihi exprobrat?* Retulit tam modesta mansvetudo insigne prœmium, filium Prophetam, & supremum populi Judicem. Si hoc potuit mulier procacioris sexûs; si David, miles, & gravissimè exagitatus: nobis Exemplum Christi tam illustre, lingvam maledicam non compescet?

FERIA III

Tessera Diei. *Amor meus captus est!*

MEDITATIO. *DEUS sternit sacrilegos satellites: CHRISTUS se plenè illis permittit: DEIpara V. contemplatur mysterium Redemptionis nostræ.*

1 ADora DEUM O. M. & considera: quomodo zelando pro Filij honore fecit potentiam in brachio suo: quando ad gemina Christi verba; *Ego sum.* armatæ & furentes satellitum, militumq; cohortes consternatæ *abierunt retro sum* & quasi fulmine ictæ. ceciderunt supinæ in *terram* Voluit docere Pater: non ex necessitate vel Infirmitate passurum esse Christum; sed ex sua in favorem generis humani dispositione, & liberrima ejus submissione. Tremende DEUS! non fuit vox illa *Ego sum* ferocientis leonis: sed Agni ad lanienam euntis ultrò: & ecce quantam stragem facit! Quid erit, quando severus Judex tonabit: *Ego sum*; quem tam indignis modis tractastis, qui talia ac tanta pro vobis passus sum! O Domine, ingemisco tanquam reus, supplicanti parce DEUS!

2 ADora D. JESUM, & cōsidera quomodo inæstimabili dignatione & sui depressione, se permisit, & submisit, hostibus suis capitalissimis, non

Judæis tantùm & gentilibus; ſed ipſis dæmonibus: prout indicavit verbis illis. Luc. 22. *Hec eſt hora veſtra; & poteſtas tenebrarum.* Permiſit autem ſe quoad omnia, quæ in eorum poteſtatem venire poterant; ut de ſe diſponerent, tanquam de jumento aliquo; & ſævirent ad placitum ſuum, atq; ad ſatietatem: ſi tamen rabies illa ſatiari potuit. Et ego me non ſubmittam, non permittam totum DEO, Patri meo, amantiſſimo mei? Non permittam Superioribus meis, DEI vices gerentibus, hominibus me longè melioribus, & bonum meum intendentibus? Apage te impudentiſſima arrogantia!

3. VEnerare DEIparam V. & conſidera: eam, dum hæc gerebantur, non fuiſſe domi effuſam in lamenta incondita pro more ſexûs ſui, orbitatem ſuam deplorando: ſed altiſſima contemplatione defixam, conſideràſſe, non tamen ſine intimo ſenſu acerbiſſimi doloris, ſtupendam DEI diſpenſationem, circa myſterium Redemptionis noſtræ: quòd ſanari non poſſemus, & vitam obtinere; niſi vulneribus & morte filij ipſius. At ego, quàm frigidè, & ſine ſenſu meditor eadem Paſſionis Dominicæ myſteria? Defige hic mentem meam o Mater Afflictiſſima, vulnera cor, accende voluntatem; ut vobis compatiar Amoribus meis afflictiſſimis.

Propoſitum permittendi ſe totum DEO, & Superioribus.

LECTIO PRACTICA.

Patiendum animo Liberali.

FOrmam patiendi, non tam verbo quàm exemplo tradidit nobis Salvator ac Dominus noſter, potiſſimùm tempore Paſſionis ſuæ. Nullus cogitari poteſt actus Patientiæ, quem non exercuerit vel formaliter, ut ajunt ſcholæ, vel eminentiſſimè. Proinde hoc maximè Quadrageſimali tempore, quod ex Eccleſiæ inſtituto tempus eſt Mortificationis & Paſſionis, Patientiæ noſtræ normam, pro tota vita & omni patiendi occaſione, ex patiente JESU, Amore noſtro, & amore noſtri, ſumamus oportet. *Chriſtus paſſus eſt pro vobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus:* inquit S. Petrus 1. Pet. 2. Et Chryſoſtomus hom: 69. ad pop: ait: *DEI Filius pro te mortuus eſt, triſtitiamq; pertulit & agoniam, mortem paſſus turpiſſimam, & ante mortem flagella, opprobria, deriſiones atq; convicia, te docens: ut omnia generosè feras. Multum profectò confert ad incitamenta virtutum, Magiſtrum luctantem indeſinenter aſpicere, nec cedentem.* Quiſq; ſibi dictum exiſtimet, quod S. Iſidorus Peluſiota, Chryſoſtomi diſcipulus, ſcripſit ad Eutonium Diaconum, à Zoſimo presbytero infeſtatum. *Etſi Zoſimus, qui presbyteri ſpeciem præfert, petulanti admodum tyrannide in te debac-*

chatus

chatur: at tu tamen ea, quæ à Judæis adversus Dominum perpetrata sunt, cum animo tuo perpendens, fac strenuo ac generoso animo feras.

Porro strenuus, generosus ac liberalis in patiendo animus, emicare debet eo: ut parati simus ad patiendum *Quidvis*, *A quovis*, & *Quamdiu DEO placet*. Hæc enim patiendi forma clarissimè relucet in Patiente Domino. Passus enim est usq; ad mortem, mortem autem crucis, quidquid molestiarum, calumniarum, opprobriorum, & tormentorum Judæis, gentibus, & dæmonibus ipsis placuit inferre. Passus est à domesticis & extraneis, à Spiritualibus & sæcularibus, à principibus & populo, à discipulis & latronibus, à militibus & omni hominum fæce. Quàm verò infracto animo aggressus sit hoc certamen, quàm forti sustinuerit, quàm constanti & invicto consummaverit: nec nos assequi, nec Angeli satis explicare possunt.

In ipso procinctu ad passionem, quasi provocaret hostes, & argueret tarditatem, occurrendum putavit: *Surgite*, inquit ad discipulos, *Eamus*. *Ecce* appropinquat, qui me traditurus est. Non moratur ille quidem; occurrendum tamen; ne velocior ille sit ad perdendum, quàm ego ad moriendum. Latronibus consternatis manifestavit se ipsum, discipulum in arma consurgentem inhibuit, legiones Angelorum suppetias non vocavit, nec propria uti voluit virtute, sive ad declinandum periculum, sive ad perdendos hostes: sed ultro sese obtulit ad patiendum quidvis, à quovis, & usq; ad extremum agonem. Tali & nos decet esse animo: nimirum liberali non minus ad patiendum, quàm agendum pro DEO. Non declinanda pericula, non quærenda effugia, non precibus vel alijs artibus conciliandi hostes, non implorandi, imò nec admittendi Patroni seu defensores, vel vindices injuriæ nostræ. Ad DEUM quàmvis recurrere liceat: magis tamen solicitandus, ut auxiliarem conferat gratiam, quàm ut imminens malum avertat (cùm hoc infinitè levius sit, quàm quod imminebat Christo) nedum ut ultionem sumat de hoste nostro.

Insigni exemplo prælusit David Christo: quando maledictione pessima impetitus à Semei, prosilientes in defensionem Domini sui, & ultionem lingvæ maledicæ, compescuit: *Quid mihi & vobis filii Sarviæ? Dimittite illum, ut maledicat.* 2. Reg. 16. Generosior, post exemplum Christi, S. Ignatius M. non solùm sustinuit maledicta, sed extrema provocavit supplicia: *Ignis, crux, bestiæ, confractio ossium, membrorum divisio, & totius corporis contritio, & tota tormenta diaboli in me veniant: tantùm ut Christo fruar*; conformatus ipsi non per plebejam, seu ut Tertullianus appellat, per *Infantem*

patien-

patientiam; sed heroicam, & Christi discipulo dignam.

Tam generosas & liberales in Christum animas tulit etiam recentior ætas. In Japonia vir honestus, Petrus nomine, annorum 80. senex, sed plenior Christianæ pietatis & zeli, quàm dierum, cùm in persecutione, spoliaretur bonis omnibus, ac insuper satellites postularent monetam, quasi mercedem obsequij; respondit: Me ipsum monetæ loco vobis offero; expendite in quoscunq; vultis, usus. Urgentibus, ut saltem vitulum in merendam daret; reposuit jucundè: se vitulum esse; acciperent, assarent, vel lixarent se, pro libitu. Mortem intentantibus, eam sibi summam votorum esse, respondit: Ad judicem tractus, cùm simili animo pro re Christiana ageret, miratus Judex senis generositatem, liberum dimisit. *Philip. de Marin. lib. 1. Miss. Jap.* Audendum & nobis: liberali patientia respondendum DEO, nobis omnia facto, pro nobis Omnia ab omnibus passo.

FERIA IV.

Tessera Diei: *Amor meus captivus ducitur!*

MEDITATIO. *DEUS tradidit Filium in manus peccatorum: CHRISTUS insolentissimè ducitur captivus: DEIpara V. Varijs affectibus conflictatur.*

1. ADora DEUM O. M. & considera inæstimabilem infinitæ bonitatis illius dignationem; qui ut servos, non tantùm inutiles, sed nequam & perduelles, redimeret: Filium unicum, vitam cordis sui, tradidit pro illis; nec tradidit per quandam commutationem, sed tradidit in vincula, catenas, flagella, crucem & mortem. *Sic DEUS dilexit mundum!* Sic dilexit; ut Filium odisse videatur. Quis enim Filium daret pro servis! nisi degenerem, & malum pro bonis? Non capio, mi DEUS inauditam & Incomprehensibilem hanc traditionem tuam: credo tamen, ac me tandem vicissim trado tibi cum omni libertate mea. Suscipe & posside æternùm.

2. ADora D. JESUM, & considera: quomodo prostrati illi satellites, accepta à Christo potestate, assurgunt, & furibundi irruunt in Dominum, apprehendunt, tundunt; cædunt, funibus ligant, convitijs atq; catenis onerant; & sicut victores captâ prædâ exultantes, rapiunt, trahuntq; Hierosolymam versùs. Triste spectaculum! Dominus Universorum, DEUS Infinitæ Majestatis, desertus à suis, captus ab hostibus, vinctus latronis instar ducitur! *Spiritus oris nostri Christus Dominus*, sine quo tanquã vitali aura, vivere non possumus, *captus est in peccatis nostris!* Lamentabatur Jeremias Threnorum 4. En vincula, quibus oneratus fuit Dominus;

nus: Captus est, inquit, in peccatis nostris. Nos illa texuimus vincula, nos fabricavimus. Et nos non feremus aurea & levissima præceptorum divinorum, aut votorum nostrorum vincula? O Domine feram libenter propter te, vinctum pro me!

3 VEnerare DEIparam V. & considera: quomodo anima ipsius, dum illa gerebantur cum Christo, theatrum quoddam fuerit variorum & stupendorum affectuum; nunc circa DEUM, & Filium suum; nunc circa genus humanum & populum Judaicum; nunc circa se ipsam. Jam amor & dolor, jam indignatio & commiseratio, jam timor & spes, jam omnes turmatim erumpebant, & cor maternum distrahebant, premebant, obruebant. O Mater Afflictissima, magna erat velut mare, grandi tempestate agitatum, afflictio tua! Excita in me congruentes tempori præsenti, & non steriles affectus: ut in meditatione mea exardescat ignis amoris, premat pondus doloris; voluntas plenè avertatur à peccatis, adhæreat DEO.

Propositum de restringenda propriæ Voluntatis Libertate.

LECTIO PRACTICA.

Patienter ferenda vincula nostra moralia & materialia.

LIbertas toti viventium generi chara est, homini charissima. Non solùm volucres cœli, pisces maris & pecora campi fugiunt captivitatem, & quâ possunt, se asserunt in libertatem: sed ipsæ plantulæ gaudent aperto cœlo, ramosq; liberè extendere gestiunt. Homini duplex libertas in votis & pretio est; nimirum Libertas Hominis, & Libertas Voluntatis. Naturaliter enim cupit, non esse sub aliena potestate, sed sui juris esse, & vivere arbitratu suo, agendo quod sibi placet. Utramq. habuissemus integerrimam, si uni faciliq;, mandato Creatoris & Domini nostri, parere placuisset. Vixissemus omnes, libertate & felicitate pares. Nunc ea sorte nascimur: ut utilius nobis sit, sub aliena esse potestate, præpositorum pati imperia, & injecta libertati sustinere vincula: nisi malimus in vitia quævis, & ipsis cohærentia mala, ire præcipites.

Verùm quidquid sit de primævo contractæ servitutis, & restrictæ libertatis titulo, quem dedit inobedientiæ culpa: si ad solùm attendamus vindicem libertatis & felicitatis nostræ DEUM Hominem, nostrâ causâ, nostri amore in vincula conjectum, funibus ligatum, catenis oneratum, à turba latronum captivum ductum, ad extremum supplicium pro nobis ducendum; vilescit tam pretiosa, tam chara nobis libertas; placent magis vincula & captivitas. Quomodo enim amet effreni libertate lascivire servus, cernens Dominum suum & omnium, pro suis sceleribus vinctum duci? Non paucos

facinorosorum movit naturalis æquitas; ut, videntes innocentem sui loco duci ad supplicium, ultro se objecerint Iudicibus, vinculis, carceribus & morti. Amicus subinde pro amico se se substituit, vincula induit, & ferali sententiæ caput objicere non dubitavit. Visa est quandoq; soror pro sorore se offerens barbaris in captivitatem, & post longum inter amantes conflictum, extremo sororis amplexui immoriens. Noster tam frigidus erit in vinctum JESUM amor, tam modicus aut nullus dolor: ut ipso latronis instar constricto, nos cupiditatibus nostris laxare habenas, & vivere secundùm libera cordis nostri desideria, non pudeat?

Æquior fuit mens Apostolo, & innumeris alijs, qui ultro se in vincula dederunt pro Christo. Tum demum putavit ille, se omnis felicitatis, libertatis & dignitatis apicem attigisse: quando ei contigit, vinciri pro Christo; nec alium sibi gloriosiorem, & fidelibus magis æstimabilem, reperit titulum, quàm Vincti in Domino. *Ego Paulus, Vinctus Christi JESU*, inquit ad Ephesios cap. 3. 1. Et cap. 4. 1. *Obsecro itaq; vos ego vinctus in Domino.* Et 2. Tim: 1. *Noli itaq; erubescere testimonium Domini nostri, neq; me vinctū ejus.* Et ad Philemonem orditur Epistolam: *Paulus vinctus JESU Christi.* Et v. 9. *Paulus senex, nunc autem & Vinctus JESU Christi.* Vinculorum quoq; suorum semper suavissimo cum gustu meminit: ut dum ad Philip. 1. 7. dicit: se eos habere *in corde suo & in vinculis suis.* Et v. 13. *Vincula sua manifesta facta esse in Christo in omni prætorio.* Eadem vincula admirabili facundiâ celebrat S. Chrysostomus, nec quidquam istis simile reperit in omnibus regum thesauris & diadematibus.

Nobis si tyrannorum satellites hujusmodi non offerunt vincula: præstò sunt alia, quibus fidem & charitatem nostram testemur erga DEUM, & vinctum Salvatorem nostrum. Quid enim Præcepta divina, quid Leges Evangelicæ, quid Religiosa vota & regulæ, salutaria sodalitatum instituta, privata deniq; non solùm Vota & juramenta, sed etiam promissa sive in Meditationibus, sive aliàs facta: nisi Vincula quædam, tum naturali libertati nostræ, tum solitæ vivendi licentiæ injecta? Gravant equidem fragilitatem nostram, stringunt sensus, arctant voluntatem: sed id ipsum saluti nobis est; quòd non habeamus tam amplam pereundi licentiam; tantòq; magis noster in DEUM passium elucescit affectus, quantò plura & graviora ab illo suscipimus, vel pro illo induimus vincula moralia; Vide ergo, quæ divina præcepta, aut quæ Religionis Leges te magis gravare solent; easq; amore Vincti Amoris tui sustine libentiùs.

Adhæc solent ferventiores & virtutis amantores etiam corpori pia injicere Vin-

vincula, jam funiculis nodosis, jam hamatis catenulis stringendo lumbos, brachia, aut tibias. Certè, si Samson sustinuit à Dalila sua vinciri: quidni divini Amoris admittamus & feramus vincula? Ad ea induenda & ferenda *Charitas Christi urget nos. 2. Cor. 5.*

FERIA V.

Tessera Diei: *Amor meus colaphis cæsus est!*

MEDITATIO. *DEUS patitur Christum raptari ad tribunalia Pontificum: CHRISTUS apud Annam accusatus colapho cæditur: DEipara V. nuncium accipit de capto Filio.*

1. ADora DEUM O. M. & considera admiranda ejus judicia: quòd quem Judicem instituit universorum, viventium & mortuorum, passus sit tanquam reum sacrilegum, raptari ad Pontificum tribunalia. Non ignoravit, quo in ipsum essent animo illi Judices iniquitatis: scivit: quæ ibi maneret eum sententia, quis despectus: subjici tamen Filium voluit tam iniquis tribunalibus; ut *mihi pro minimo esset, si ab hominibus judicer* 1. Cor: 4. Innumerorum, nec levium excessuum & defectuum reus, quid magnum, si de quibusdam judicer? Possum tolerantiâ hujus judicij evadere rigorem Judicij divini, in quo etiam justitiæ judicabuntur. Non intres in judicium tuum cum servo tuo Domine; sed da gratiam: ut patienter feram sinistra judicia hominum.

2. ADora D. JESUM & considera: eum, postquam crudeliter in urbem raptatus & per torrentem Cedron tractus est, oblatum imprimis Annæ Pontifici. Vide ibi judicem judicandum à reo, lucem à tenebris, agnum à lupo. Interrogatus de discipulis & doctrina, cùm de discipulis, qui ob fugam ei honori non erant, nihil respondisset, de doctrina autem reponeret: *Quid me interrogas? interroga eos qui me audierunt:* ab uno ministrorum (Malchus, cujus auriculam sanaverat, fuisse putatur) crudeli alapâ percutitur, tanquam injuriosus in Pontificem. O veritas æterna, o Sapientia Infinita, sic te homines, non auribus, sed sacrilegâ manu excipiunt! Ego dicta mea pro oraculis haberi, & observari volo. Si quis contradicat, nedum in faciem cædat; reus mihi est læsæ majestatis. O fastum! Compatior tibi, mitissime JESU: irascor mihi. Parce!

3. VEnerare DEIparam V. & considera: quo animo acceperit nuncium ad se delatum, de prodito, comprehenso, vincto, & Hierosolymam per summam insolentiam raptato Filio. Cogita hoc nuncium lapidem fuisse molarem, qui cor Matris planè oppressit, extinxissetq; momento:

 nisi

nisi divina virtus prodigiosè vitam servâsset. Quàm acerbè luxit Jeremias captivitatem & calamitatem populi sui! *Defecerunt præ lachrymis oculi mei, conturbata sunt viscera mea: effusum est in terra jecur meum super contritione filiæ populi mei; cùm deficeret parvulus, & lactens in plateis oppidi:* At quantò pretiosior JESUS electus ex millibus, unus pro millib9 imò pro omnibus & super omnes; tantò luctuosior fuerit oportet, præsertim Matri, sors ejus tam calamitosa. Nihil tamen, indignum dignitate suâ egit VIRGO fortis in luctu illo decumano. Compatior tibi afflictissima Mater, & oro: obfirma animum meum: ad excipiendos fortiter tristes nuncios: præsertim quando mihi dicetur: *Dispone domui tuæ. Morieris tu, & non vives.*

Propositum sustinendi convicia & confusionem etiam coram personis altioribus.

LECTIO PRACTICA.

De sustinendis colaphis conviciorum, manuum & variæ confusionis.

VAlde ardua est homini ingenuo, præsertim honorato, hujusmodi injuriarum tolerantia. Facies enim est pars hominis vel maximè veneranda: utpote in qua excellentia & dignitas rationalis animæ potissimùm resplendet. Si ergo contingat; eam procacis lingvæ convicijs, vel impudentis oris sordibus, aut violentæ manûs injurijs violari: non minùs sensibilis nobis est offensa talis, quàm si intimo corde vulnus acciperemus. Quia verò non infrequenter nos infestant hujusmodi injuriæ; nec erubescunt petulantes lingvæ falsa dicteria, scommata, convicia, contumelias & opprobria, velut fœda putridi oris excrementa, nobis in faciem jactare: necesse est, ut ad ea æquali vultu & animo excipienda, nos paremus.

Conducit ad hoc inprimis admirandum Salvatoris nostri DEI exemplum, in quem tales injuriæ in domibus summorum Pontificum Annæ & Caiphæ tam denso imbre depluerunt; ut quàmvis avidissimus esset earum, saturandum tamen opprobrijs, prædixerit Propheta Thren. 3. Qui verò sumus nos, aut quæ innocentia, vel dignitas nostra: ut pati nolimus amore JESU, quod JESUS passus est amore nostri? Quodsi exemplum Domini non movet nos: justò certè largoq; rubore nos aspergent exempla gentilium, qui ad impacta sibi convicia & colaphos, nec vultum mutârunt, nec animum.

Socrates maledicam Xantippen suam quàm diu, quàm fortiter tulit? Percussus colapho, nihil ampliùs dixit: quàm molestum esse; quòd nescirent homines, quando cum galea prodire deberent. *Senec. l. 3. de Ira. c. 11.* Cato simili injuriâ affectus, negavit aliquid mali sibi evenisse; *animoq; majore injuriam non agnovit, quam ignovisset:* ut dixit idem Seneca. Pericles ab homine improbo magnam diei partem convicijs laceratus, siluit & sustinuit.

Cùm

Cum sub vesperam domum se reciperet, insecutus est abeuntem conviciator, velut efferatus molossus non dimissurus eum, quem faucibus semel apprehendisset. At Pericles ubi, præcipitante jam nocte domus limen attigit, evocatum unum è domesticis jussit, ut prælata face hominem domum deduceret. *Lohn. in Biblioth. v. Patientia* § 7.

Non cesserunt his, quin potiùs heroicæ patientiæ palmam eripuerunt non pauci Christiana Philosophiâ exculti. S. Franciscus Borgia cum P. Bustamantio iter agens, diverterat pro nocte ad humilem casam quandam; ubi inter cætera incommoda, pro lecto terram modico stamine instratam habuerunt. Bustamantius, ut ætate & phlegmate abundabat, non solùm importuna tussi per totam noctem aures Francisci pulsabat: sed etiam incautè ejecto phlegmate jacentem obruit, conjectis per errorem non rarò sordibus etiam in faciem ejus. At ille nihil turbatus, noctem tacitus transegit, ita deformatus, ut vix agnosci posset. Ubi diluxit: comperto quod res erat, veniam humiliter Bustamantius precatur. At Franciscus: *Non est Pater, quod ea re labores: nec enim in hoc cubiculo locus quispiam dignior me est, in quem conjiciantur sputa.* Schottus in Vita lib. 4. c. 5.

Romæ, nescio qua occasione lacessitus, juraverat homo furiosus: se Jesvitam, qui pimus occurreret, egregiè dedolaturum fuste. Contigit sub meridiem, ut Claudius Aquaviva, Præpositus Generalis Societatis, in hominem incideret. Expedit is illico fustem, & Claudium pulsare aggreditur, inter fœda convicia. Ortus prætereuntium clamor excitavit è vicina aula domesticos Cardinalis Aquavivæ, qui illico strictis gladijs in sceleratum invasorem irruerunt, ulturi injuriam patruo heri sui illatam. Sed prohibuit Claudius, totâ contumeliâ, quasi ad alium spectaret, silentio transmissâ. *Rho lib. 6. c. 3.*

Amanguzij in Japonia ad populum verba faciebat Joannes Fernandius S. Francisci Xaverij socius. Indignatus petulantior quidam collectam imis è faucibus mephitim in faciem Fernandij conjecit. At is nihil commotus, strophiolo sordes absterfit, concionari perrexit; & quod verbis non poterat, tam præclaro patientiæ exemplo effecit; ut Sanctitatem Christianæ Legis admiratus, prudentior quidam, Fidei manus dederit. *Histor. Soc. lib.* 11. *Part.* 1. Opportunè Apostolus 2. Cor. 6. *In omnibus exhibeamus nosmet ipsos sicut DEI Ministros in multa patientia.* Charitas enim Christi urget nos. 2. Cor. 5.

FERIA VI.

Tessera diei. *Amor meus calumnijs oneratus, & blasphemus proclamatus est.*

MEDITATIO. *DEUS permittit CHRISTUM apud Caipham obrui calumnijs: DEIpara V. recolit Prophetias de Christo passuro.*

1. ADora DEUM O. M. & considera: eum admirando Christi silentio, ad objectas immanes calumnias, expiari voluisse impudentes & impudentes excusationes nostras in commissis peccatis. Ma è acta pejùs excusamus, ingenio & imitatione Protoparentum nostrorum. Imò promptissimi sumus ad excusandas ipsas excusationes in peccatis: quasi jam culpa sublata esset; quòd foraminosæ, quâ illam teximus, lacernæ lacerum injecerimus pallium. Nec coram hominibus solùm hac utimur impudentiâ; verùm & oculis divinis, quibus *omnia nuda sunt & aperta*, Heb. 4. sic illudere præsumimus, subinde etiam in confessionibus Sacramentalibus. Unde fit, ut peccatum nostrum fiat *supra modum peccans*. Rom: 7. Confiteor tibi, & confitebor, omniscië DEUS, in toto, eoq; apertissimo corde meo, noxas meas; nec aliud quàm admirandum Filij tui silentium illis prætendo. Erubesco, doleo, parce;

2. ADora D. JESUM & considera: quàm gravibus calumnijs, quas falsi testes certatim congerebant, & studiosè excogitabant, non aliud reposuit, quàm silentium. *Qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates; ego autem tanquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum.* Psal. 37. Adjuratus à Pontifice per DEUM vivum; *ut dicas nobis, si tu es Christus?* paucissimis affirmavit: & mox arguitur blasphemiæ, ac mortis reus condemnatur. Sic nec silere, nec veritatem loqui licuit impunè Domino meo JESU. Compatior tam ancipiti sorti tuæ Amabilissime mi Redemptor. Tibi remitto & consigno, ac, ubi opus fuerit, consignabo, innocentiam meam calumnijs gravatam aut gravandam: tu illam vindica, quantùm expedit pro gloria tua; ego malis artibus eam non tuebor. Te teste, & vindice, contentus ero.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: quòd post acceptum nuncium de Filij comprehensione; facilè ei recurrerint in mentem (erat enim à teneris annis versatissima in Scripturis) vaticinia Prophetarum de Christi proditione & captivitate, ut Thren. 4. *Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris.* Et, *Conclusit me DEUS apud iniquum: & manibus impiorum me tradidit.* Job. 16. Et, *Funes peccatorum circumplexi sunt me.* Psal. 118. *Miserere mei DEUS; quoniam conculcavit me homo; conculcaverunt me inimici mei,* Psal. 55. Horum & similium consideratione partim alebat, partim temperabat dolores suos, se cum Filio plenè resignando sic ordinanti DEO. Non aliunde præsentiùs temperamentum habemus affli-

ctio-

ctionum nostrarũ; quàm è Scripturis divinis: quarum memoria facit; ut nec animis cedamus; nec optemus immunitatem ab omni afflictione in hac vita. Suggere ex hoc thesauro, ô Domina, in tempore, quidquid opportunum fuerit.

Propositum de patienter ferendis calumnijs.

LECTIO PRACTICA.

Quàm forti silentio ferendæ sint quævis Calumniæ & convicia.

INnocentiam convicijs & calumnijs appetitam nimis solicitè purgare, non rarò suspectam facit; certè multùm detrahit de merito & gloria Patientiæ. Rectè S. Ambrosius lib. 1. Offic. c. 5. *Quando aliquis nobis conviciatur, lacessit, ad violentiam provocat, ad jurgium vocat: tunc silentium exerceamus; tunc muti fieri non erubescamus. Hæc sunt arma justi, ut cedendo vincat. Imitemur dicentem: Obmutui, & humiliatus sum, & silui à bonis,* rectè gesta non defendendo, nec innocentiam purgando. S. Augustinus in Psal. 7. dicit: Christum *adversus dolos* falsorum testium & iniquorum Pontificum, *silentio dimicasse.* Eodem clypeo, uti solent generosiores in palæstra Patientiæ discipuli, qui inter Robustos Christi censeri merentur. *Hic est prædestinatorum ad magnam sanctitatem in terra, & in cælo gloriam, procedendi modus*: inquit Lancicius, Opusc. 9. n. 149. Nimirùm vel simpliciter obmutescunt ad objectas calumnias; vel, ut non solùm ferant, sed quodammodo provocent pœnam; dicunt, *se peccasse*: nimirum non eo, cujus arguuntur, peccati genere, sed alio quopiam, cujus humana fragilitas expers non est.

Sic inter veteres cœnobitas magna fortis patientiæ lucra sibi comparavit Eulalius quidam. Humilis ejus simplicitas discolis quibusdam fratribus ansam dedit: ut si quid culpabile egissent, in Eulalium conjicerent. Is cùm à senioribus argueretur, non negabat, sed in terram prostratus & adorans dicebat: se peccasse. Cùm autem iterum iterumq; accusaretur, & secundum Regulam monasticam biduana & triduana jejunia indicerentur ipsi: omnia patienter tolerabat. Ignorantes autem Fratres, quòd Eulalius omnia hæc pro humilitatis virtute patienter sustineret; convenientes pariter, & maximè Seniores, ad Patrem monasterij dixerunt: Considera Pater, quid faciendum sit. Quamdiu enim possumus sustinere negligentias & damna, quæ Frater ille Eulalius facit in monasterio? Jam penè omnia vasa & utensilia monasterij confracta sunt & exterminata per negligentiam ejus. Quomodo iste talis tolerandus est? Respondens Pater Monasterij ait. Interim paucos dies sustineamus Fratrem, & postea ordinabimus de eo, quod competit fieri. Hæc dicens dimisit Fratres. Ingres-

suas verò cellulam prostravit se in orationibus, obsecrans misericordiam DEI; ut ei manifestare dignaretur; quid ordinare & definire posset de dicto Fratre. Tunc revelatum est ei, quid ageret. Convocatis igitur omnibus fratribus, præcepit: ut singuli, quas contexuissent, mattulas, proferrent in medium. Prolatis subjici jussit ignem; conflagraruntq; sine mora omnes, præter mattulam Eulalij. Cùmq; hoc vidissent Fratres omnes, timuerunt valde, & prostrati in terram, veniam à Domino & Eulalio, petierunt, habueruntq; ipsum deinceps ut unum de magnis Patribus. At ipse ægriùs laudes & honores ferens, quàm calumnias & probra, noctu consurgens in profundam se abdidit eremum. *Rosweidus ex Ruffino.*

Simili silentio, & peccati sui confessione, sustinuerunt, calumniam furti S. Paphnutius adhuc adolescens, calumniam fornicationis S. Macarius Ægyptius; & quam nescio culpam sibi impactam B. Laurentius Justinianus. Quàmvis enim facile illam diluere posset; subsistit tamen primùm quasi non audiret; deinde in medium procedens, genibus flexis, Ignoscite inquit, Patres: peccavi in cœlum, & coram vobis. Ecce pœnitentiam, quam dederitis, agam. Tactus tanta humilitate & patientia accusator, accurrit ad Laurentium, & pedibus ejus advolutus veniam petijt. *Surius in Vita c. 5.*

Vetera hæc renovavit recentiùs P. Balthasar Alvarez S. J. vir magnæ sanctitatis & authoritatis. Cùm enim in quadam Congregatione Provinciali iniquè delatus esset, & publicè reprehensus; consuluit quosdam è gravioribus Patribus; An expediret, se purgare. Illis id omninò suadentibus imò urgentibus ob bonum publicum, accessit nihilominùs alium quendam insignis probitatis & prudentiæ virum, consilium ejus exquirens. Is respondit: sibi videri gratiùs DEO futurum silentij eo in negotio sacrificium. Hujus ergo consilium, quia amori proprio repugnabat, secutus P. Balthasar, nihil egit, dixitq; pro se: & DEUS illum deinceps tam multis magnisq; gratijs dignatus est: ut sæpiùs Patri illi egerit gratias pro dato consilio. *Ludov. de Ponte in Vita c. 40.* Expertus est, quod promisit Spiritus S. Eccli: 1. *Usq; in tempus sustinebit patiens: & postea redditio jucunditatis.*

SABBATO.

Tessera diei: *Amor meus à discipulo negatus est!*

MEDITATIO. *DEUS permittit gravem lapsum Petri; CHRISTI & Matris ejus dolor.*

1. Ado-

1. ADora DEUM O. M. & considera miram ejus providentiam, quâ permisit, triplici negatione Christi gravissimè labi Petrum, aliàs Christi amantissimum, & zelosiorem cæteris pro ejus honore. Voluit 1. fervorem Petri humilitate solidare. 2. Ut ostenderet splendidissima nostra proposita nihil esse sine cooperante gratia DEI. 3. Destinatus fuit Petrus in Principem Ecclesiæ, & universalem pastorem gregis Christi: opportunum proinde erat, ut proprio experimento disceret compati infirmis, & erigere lapsos, prout monuit Christus. Luc: 22. *Et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.* 4. Per lapsum tantæ columnæ cautiores nos reddere voluit: ut, qui stat; videat, ne cadat. Misericordissime DEUS erudi me alienis periculis & lapsibus, præserva à proprijs. Satis habeo experimentorum in me ipso: quòd nihil possim sine te.

2. ADora D. JESUM, & considera: quantopere indoluerit infidelitati discipulorum suorum. Pars turpi fuga se se subduxit: alius non dubitavit sacrilegæ cohortis antesignanum, & Domini sui proditorem agere; alium metus & vox ancillæ de fide & constantia dejecit, imò perjurum fecit; imò veritus non est *detestari, & anathematizare, & jurare: quia nescio hominem istum, quem dicitis.* Ita afflictissimus JESUS non tantùm nihil auxilij vel solatij habuit à discipulis suis, sed plurimùm intimi doloris. *Si inimicus meus maledixißet mihi, sustinuißem utiq;* Psal. 44. at vos electi mei, lapides pretiosi Ecclesiæ meæ, Principes populi, nutriti corpore & sangvine meo sic recessistis à me! Ne doloris hujusmodi argumenta renovemus Christo; fugienda diligenter, quæ non fugit Petrus. 1. Non præsumendùm de constantia nostra in periculis 2. Non sequendus Christus à longè. 3. Declinandum à turba. 4. Timendus focus, ad quem versantur ancillæ. Condoleo tibi; mi JESU, sed mihi timeo: Adjuva imbecillitatem meam.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: quantùm & ipsa doluerit de tam exiguo profectu discipulorum in schola Christi, de inefficacia beneficiorum triennio in ipsos copiosissimè congestorum; de tam facili & turpi defectu cohortis, quam velut præsidiariam, & corporis custodem sibi legerat Christus. Utinam & hodie minor esset hujusmodi transfugarum numerus! Quàm levi respectu temporalis alicujus commodi vel incommodi deficiunt à Christo, etiam qui speciali vinculo eidem adstricti sunt? Respectibus humanis potiùs quàm divinis agimur, & fluctuamus. Da Domina; ne pereamus: sed Magistro nostro honori & solatio simus.

Propositum de canta conversatione, & tolerantia ingratitudinis.

LECTIO PRACTICA.

Patienter ferenda Ingratitudo discipulorum & clientum.

ACutissimus est dolor vulneris, quod à domestica, amica, & luculentis beneficijs obligata manu venit. E pugionibus pectori suo immersis, nullus tam sensibilis fuit Cæsari, ac vibratus à Bruto. Ipse Salvator ac Dominus noster non sensit tantopere flagella, spinas, necem deniq; sibi illatam à satellitibus Romanis & Pilato Præside: ut conjurationem populi sui in caput suum, ac Pontificum & Seniorum in se rabiem, atq; ingratissimi discipuli proditionem. Unde qui alacer se obtulit capiendum satellitibus, mentionem facturus Proditionis Judæ *Turbatus est spiritu, & dixit: Amen amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me.* Joan: 13. *Adeò molestè ferebat scelera illius, qui cùm ejus panem manducaßet, calcem tamen contra illum elevaret*: inquit S. Cyrillus Alexandr. lib. 9 in Joan: c. 13. Proinde & Petri trina negatio perjurio sacrilego firmata, non potuit non esse Magistro ac Domino beneficentissimo acerbissima.

Omnis injuria à quocunq; ingrato data, gravis est ijs, qui beneficia dederunt: at illata à discipulis gravissima. Magistri enim, præsertim qui gratuitâ operâ, nòn literis solùm & scientijs excolunt ingeniū, sed virtutibus imbuūt animum & æternæ discipulorum saluti ac gloriæ student: incomparabiliter plus ipsis conferunt, quàm si temporales opes & honores conferrent. Unde natum est illud eruditæ Antiquitatis, imò naturæ rationalis, oraculum: *Dijs, parentibus, & præceptoribus nihil poße rependi æquale.* Quod quidem sæculorum judicio comprobatum, omni ætate sacrum, & extra dubium fuit: hodie tamen à sciolis quibusdam non solùm in dubium cœpit verti, sed planè everti. Verùm hos advertere oportet 1 quòd juxta S. Thomam 2. 2. q. 107. a. 2. summus Ingratitudinis gradùs sit, non recognoscere, aut non æstimare beneficium. 2. Magnam esse differentiam inter præceptores stipendiarios, & eos, qui ex Charitate docent (Beneficium enim maximè ex affectu dantis æstimandum est, juxta eundem & Senecā) inter tradentes merè naturales seu profanas disciplinas, & docentes insuper modum Christianè vivendi, scientiam Sanctorum, & oracula Sapientiæ cœlestis. 3. Advertant ad curas, molestias, & tædia, & labores diurnos nocturnosq; quos discipulorum causâ subeunt præceptores. 4. Quantopere à DEO æstimetur is labor. *Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad Justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Daniel. 12. Et Matt. 5. *Qui fecerit, & docuerit: hic Magnus vocabitur*

in regno cælorum.

Ex his sicut patet: quantæ pravitatis sit, non solùm non rependere gratitudinem præceptoribus, sed insuper inferre injuriam, sive lingvâ maledica, sive manu viscosa aut violenta: ita facile colligitur; quàm sensibile sit vulnus à discipulo illatum. Nihilominus non paucos audimus cuculos, non paucos sentimus mulos; qui ubi lacte abunde hausto intumuerunt, calce feriunt matres.

Defectum igitur gratitudinis suppleat, necesse est. Patientia. Solemur nos. 1. Exemplo Domini & Universalis Magistri nostri, à discipulis longè graviora passi. 2. Exemplis Sanctorum. S. Martinum quàm acriter exagitavit Briccius ab ipsomet educatus, & instructus sacris disciplinis? S. Benedicto poculum venenatum non dubitârunt propinare discipuli. S. Romualdo enormia crimina affinxerunt discipuli: Sanctos Cassianum & Artemam Martyres ferreis stylis confecerunt discipuli &c. &c. Nobis quàmvis subinde lacera sit fama, pellis tamen integra est. 3 Cogitemus: nos hac ratione facile expiare posse defectus inter studendum & docendũ commissos. *In multis enim offendimus omnes.* Jac. 3. in altera autem vita *Nihil inultum remanebit.* 4. Advertendum: nos plus lucri habere posse ab ingratis, & injuriosis discipulis & clientibus, quàm à gratis. Isti enim vel temporalia solùm nobis reponunt; vel grato tantùm affectu & orationibus ad DEUM vicem reddunt: illi autem ingenti auctario præmia nobis cœlestia & æterna cumulant per exhibitam non vulgari Patientiæ materiam. 5. Deniq; ingrati isti maledicentiâ suâ, & Patientiâ nostrâ animas nostras admodum speciosas & gratiosas reddunt in conspectu DEI: prout Christus dixit B. Baptistæ Veranæ Ord. S. Francisci: *Cognosce,* inquit, *te esse magis obligatam illi, qui tibi malum fecit: quàm ei, qui bonum. Illæ enim personæ sunt, quæ purgant animam tuam, & pulchram faciunt, gratiosam, & acceptam in conspectu meo.* Chron: S. Franc: tom. 2. lib. 7. c. 24.

DOMINICA II QVADRAGESIMÆ.

Tessera diei: *Amor meus tota nocte acerbissimè exagitatus est!*

MEDITATIO. *DEUS nocturna hominum peccata castigavit in Filio. CHRISTO & Matri ejus quàm gravis fuerit ea nox.*

1. ADora DEUM O. M. & considera: quomodo operarij iniquitatis pro pessimis facinoribus suis plerumq; sibi deligunt noctem; quasi sine teste oculo mundi, liberiùs peccare, & impudentem esse liceret: *Omnis, qui malè agit, odit lucem.* Joan: 3. Enormia, quæ tunc patrantur, scelera

castigaturus in Filio, & per eundem expiaturus DEUS, permisit illum tota, quâ comprehensus est nocte, injuriosissimè tractari. *Tunc*, postquam à malignantium Concilio pronuntiatus est mortis reus, *expuerunt in faciem ejus, & colaphis eum ceciderunt.* Matt: 26. *Et velaverunt eum, & percutiebant faciem ejus, & interrogabant eum dicentes: Prophetiza nobis, quis te percussit?* Et alia multa blasphemantes dicebant in eum. Nec dicebant solùm, verùm & faciebant, quæ summa insolentia, & dœmonum rabies suggerebant, pudetq; referre. At nos, siquid in noctibus deliquimus, in noctibus extollamus manus nostras in sancta, & benedicamus Miseratorem Dominum; quòd reos non sepelierit nocte æternâ.

2 ADora D. JESUM & considera eum, facie lividum, fœdis vinolentarum faucium excrementis deformatum; variè conspurcato velamine tectum, pugnis contusum, illusoriè provocatum ad prophetandum, deniq; unicum petulantissimæ turbæ objectum per totam noctem. O Pater æterne, respice in faciem Christi tui: agnosce Filium, vivam illam & absolutissimam Imaginem Bonitatis tuæ, candorem illum lucis tuæ æternæ, splendorem illum paternæ gloriæ, speculum illud sine macula. Sed, ne quæras, quis hoc tam fœdè conspurcârit? Fateor ultrò, & ingenuè, non fæx tantùm Judæorum & Satellitum Romanorum, id ausa est: & mea ibi sunt sputa, meæ palmæ, mei pugni, meum (ah quàm sordidum!) velamen! Conspui faciem tuam, Amabilissime JESU, quoties animam meam Imaginem DEI, peccato maculavi; velavi oculos tuos, quoties cum memoria præsentiæ divinæ peccavi; colaphis te cæcidi, quoties proximum convicijs & contumelijs affeci. Erubesco, deprecor, Doleo, Miserere.

3 VEnerare DEIparam V. & considera: quàm longa, tædiosa, & acerba illi fuerit nox illa. Poterat potiori jure in illam congerere maledicta, quæ Job congessit in noctem conceptionis suæ: at patientissima Mater maluit turturis instar gemere, ac noctem illam tolerare tanquam *tempus patiendi* æterna DEI ordinatione designatum. O Domina, per acerbissimam illam noctem doce me tempora omnia, sive candida sive atra, de manu Dei reverenter suscipere. Sit mihi nox adversitatum *illuminatio mea, sit in delicijs meis.*

Propositum de speciali quadam mortificatione assumenda saltem hac nocte.

LECTIO PRACTICA.

Noctes ita quieti dandæ, ut etiam Patientiæ aliquid concedatur.

QUi cupiunt ætatem extendere factis, & vitam vivere minimè animalem,

malem, in id intenti sunt: ut etiam noctes non trāsigānt ignavi, sed somnum Oratione & Mortificatione interpungant. Hinc S. Hieronymus ep. 22. ad Eustoch: *Sanctis*, ait, *ipse etiam somnus oratio est*; tum propter piam intentionem ipsi præmissam, tum propter crebras interruptiones, præsertim per orationes Jaculatorias, imò & prolixiores. De Jacob Patriarcha inquit S. Ambrosius lib. 2. de Jacob: *Jacob in somno bonus operarius: quoniam plus negotij cum DEO peregit dormiendo quàm vigilando.* De S. Xaverio scribit Thursellinus lib. 6. c. 5. Vitæ: *Ne somnus quidem vocabat Oratione*: addendum; & Mortificatione. Somnum enim brevissimum passim capiebat humi; dum navigaret, in convolutis funibus anchorarijs; addebatq; orationi cruentas flagellationes.

Eadem noctes transigendi ratio communissima est aspirantibus ad perfectionem. Ratio eam svadens est. 1. Exemplum Salvatoris nostri tum tempore prædicationis, cui impendebat dies, orationi noctes; tum tempore Passionis, in qua extremam noctem habuit acerbissimam, miris dirisq; modis à fæce satellitum exagitatus. 2. Infanda innumeraq; hominum peccata, quæ in absentia solis, quasi extincto mundi oculo, liberiùs & summâ impudentiâ tunc committuntur. 3. Oportunitas temporis ad faciliùs colligendas animæ potentias, liberiùs depromendos in DEUM affectus, & excipiendas inspirationes divinas. *Quando irruit sopor super homines, & dormiunt in lectulo: tunc aperit* (DEUS) *aures virorum, & erudiens eos, instruit disciplinâ.* Job. 33. Deniq; vitæ brevitas monet, ut avari simus temporis, & nocturnis etiam horis lucra facere non negligamus.

Quodsi his & similibus causis induci non possumus, ut ordinario somno ordinariè plusculum detrahamus, & nos orationi mortificationiq; impendamus: saltem hoc Quadragesimali tempore, in venerationem nocturnæ Passionis Domini, ipsius & Sanctorum vestigijs insistamus. Non proponam anachoretas, & rigidioris sanctitatis Religiosos: inter aularum regales delicias educatos non pigeat aliquomodo imitari Sanctos. S. Henricus Imperator passim in Ecclesijs inter orandum & contemplandum pernoctabat. Sancti Venceslaus & Casimirus etiam rigida hyeme nudipedes visitabant templa, & præ foribus illorum prostrati prolixiùs orabant. Sanctæ Hedvigis & Elisabeth splendidos mollesq; in conclavibus suis ostentabant thalamos, sed super dura humo, fessæ orando, cubabant. S. Paula Vidua in cilicio super humum etiam ægra dormiebat. P. Gonsalvus Sylveria S. J. pro fide cæsus in Monomotapæ regno, somnum parcissimum in cilicio ferreo carpebat, idq; sedens erecto corpore, tabulâq;

sic ad sedile aptata; ut si capitis inclinatione tangeretur, strepitu somnum discuteret. Alij stantes, alij genu flexi, aliquid somno concedunt: innumeri prolixa corporis castigatione noctes patienti JESU dedicant. Quidni ergo feramus subinde insomnia, stratum duriusculum, bestiolas infestantes &c.

Quid sentiemus de lectulo & somno S. Rosæ Virginis Peruanæ in America? Culcitræ & plumarum loco septem rudia ligna angustissimo lectulo, an catastæ, imposuit; inter quæ acuta tegularum & coctilium patinarum fragmenta ita instravit; ut pars mucronata obverteretur corpori: pro cervicali petram polygonam & undiq; scabram adhibebat; ad caput lectuli occultè ampullam felle plenam appenderat, nec antè se ad somnum componebat, quàm isthac sorbitiuncula os faucesq; amaricasset in memoriam Sponsi felle potati. Unde fiebat: ut non solùm palatum torqueretur, sed ardore fellis fauces graviter inflammarentur, & intumescerent. Contigit non raro: ut pœnosum hunc lectulum seu catastam conscensura Rosa, toto corpusculo contremisceret simul ac sudaret, memor, quàm ibi quietem esset repertura. Sed adfuit aliquando trepidanti Christus, & Memento, ajebat, filia, longè duriorem fuisse, ac horribiliorem lectulum, in quo somnum mortis cepi. Nôsti, quid fellis ibi amore tui hauserim; scis, quæ ibi non testaceæ sed ferreæ cuspides mihi manus pedesq; penetrarunt, donec ipsam mihi eliderent animam. Hæc recole, & confer cum strato tuo, eritq; lectus noster floridus. Sic animata Rosa ipsos decem & sex annos in sua illa catasta perduravit somnum captura. *Leonardus Hansen in Vita c. 9.* Queritur Sponsa *Cant. 3.* se in lectulo suo quæsivisse Dilectum, & non invenisse: numquid invenitur in tuo?

FERIA II.

Tessera Diei: *Amor meus morti addictus, ducitur ad Pilatum.*

MEDITATIO. *DEUS adducit diem Christo & Judæis fatalem, nobis vitalem: CHRISTUS à Concilio comdemnatus, manè facto, ducitur ad Pilatum: DEIpara V. quo affectu ortum ejus diei exceperit.*

I. ADora DEUM O. M. & considera: ex ipsius ab æterno ordinatione tandem illuxisse diem nobis vitalem: Christo & Judæis planè criticum & fatalem. Ad illum enim diem dilatum fuit magnum illud divinæ pietatis opus; quo mortua vita mors fuit mortis nostræ, & nobis causa vitæ æternæ. *Manè igitur facto, consilium inierunt omnes Principes Sacerdotum*, convocato magno concilio Sanedrim, 70 viris primarijs

constante, & *seniores populi adversus JESUM, ut eum morti traderent.* Luctuosum & funestum manè Christo Redemptori, sed magis sangvinarijs & sacrilegis Judæis. *Hoc manè*, inquit S. Leo serm: 3. de Pass. *Vobis (ô Judæi) templum & altaria diruit, legem & Prophetas ademit, Regnum & sacerdotium sustulit, in luctum æternum omnia festa convertit.* Nos proinde, quibus dies illa Parasceves auspicatissimus illuxit; communi consilio, exemplo Machabæorum 2. Mach: 15. decernamus; diem illum nullo modo absq; celebritate, & singularibus accuratæ pietatis exercitijs, præterire.

2. ADora D. JESUM & considera: quàm veloces fuerint pedes Judæorum ad effundendum sangvinem Salvatoris. Noctem fere totam insomnem duxerunt, expectantes donec adduceretur captus Christus; & adductum examinantes. Manè facto, sine mora coacto concilio, iterum condemnatum rapiunt ad Pilatum Præsidem: comitantur Pontifices cum toto Concilio; ut copiâ & authoritate suâ vel invitum præsidem Romanum trahant in sententiam suam. *Vinctum adduxerunt eum.* Vide novum Samsonem; vinctum à Dalila, Christum à Synagoga. Quanto plausu & furore duxerunt Agnum lupi! Nobis debebantur hæc vincula, Amabilissime Salvator, imò rudentes Inferni. O quoties merebamur ab orci satellitibus ad æterna supplicia rapi; sed clementissimè prohibuisti. Vide igitur, o Anima mea, quoties & quantùm obligata sis Salvatori tuo.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: quo affectu exceperit ortum ejus diei, quam probè noverat, prævià nocte fore magis atram; & meridianas potissimùm horas habituram quavis procellosissimâ nocte tristiores. Numquid & ipsa ingeminavit illud Isaiæ 21. *Custos quid de nocte? Custos quid de nocte?* tam prolixa, tam funesta? *Dixit* autem *Custos: Venit manè & nox* Ubi meridies? vertetur in noctem à morte immortalis DEI. Talia mente volventi afflictissimæ Matri, quàm luctuosum manè illuxerit oportet? Per tristissimùm illud manè tuum, impetra, mihi, ô Domina, felicem vitæ vesperum; ne nocte obruar æternâ.

Propositum permittendi te etiam iniquis Superiorum judicijs.

LECTIO PRACTICA.

Ferendæ fortiter condemnationes etiam iniquæ à Superioribus.

GRave est, pati ab æqualibus; gravius ab inferioribus; gravissimum à Superioribus, præsertim spiritualibus. Si enim inde oriatur, vel aggravetur afflictio, unde sperari debuit consolatio, auxilium & protectio: planè inter malleum & incudem nos deprehendimus, & quò evadamus, non reperimus. A forti ergo Patientia petamus remedium oportet; atq; onus super-

ſupernè nobis incumbens feramus patienter, prout inclytus Martyr S. Georgius ſaxum prægrande pectori ſuo impoſitum ſuſtinuit; imò prout Amor noſter D. JESUS ſuſtinuit iniquiſſimam capitis ſententiam à malignantium concilio & Pontificibus. Quamvis enim nullam in eum authoritativam haberent juriſdictionem: ſubjecit ſe tamen Dominus ipſorum ſententiæ; ut nos doceret, legitimorum ſuperiorum quantumvis iniqua ferre Decreta, (præſertim ſi ex errore, non malitiâ, procedant) & non eorum accuſare iniquitatem, à DEO poſtulare vindictam, vel ad divinum provocare tribunal.

Caſtiſſima Suſanna iniquiſſimè damnata à Senioribus & populo; quamvis nemini quidpiam mali ſit imprecata: *exclamavit* tamen *voce magna*, coram DEO & omni populo ſuam conteſtans innocentiam; *DEUS æterne, qui abſconditorum es cognitor, qui nôſti omnia, antequam fiant. Tu ſcis, quoniam falſum teſtimonium tulerunt contra me: & ecce morior, quum nihil horū fecerim!* At S. Petrus martyr ord. Præd. exemplo Salvatoris edoctus, fortius tulit ſimilem caſum. Inviſerunt Petrum orantem, ut erat Juvenis ſanctus, cujus converſatio in cœlis, tres è cœlo Virgines, familiare dulceq; colloquium cum eo miſcentes. Religioſi quidam propè cellâ Petri tranſeuntes, fœmineas audierunt voces, & fortè per rimam, ut curioſitas fert humana, puellas obſervarunt, exiſtimaruntq; eſſe de grege mortalium. Graviter proinde indignati, rem detulerunt ad Superiorem. Is nimium credulus; convocatis illico Patribus narrat audita, & teſtes producit. Petrus accitus, & acriter perſtrictus, non negat, nec fatetur; ſed flexis genibus, ſe peccaſſe ait, & veniam ſupplex petit, paratus ad omnem pœnitentiam. Stupuére omnes, indignitate & fœditate rei commoti, præſertim quòd Petrum, ut Sanctum, hactenus magno in honore habuiſſent. Deniq; Superioris & communi ſententiâ, pro agenda rigidiore pœnitentia ad aliud quoddam monaſterium relegatur innocens. Ivit, nihil reponens; tulitq;, ut religioſum decet heroem, tantam cum ſupplicio ignominiam: donec DEO placuit ejus manifeſtare innocentiam. *Flaminius in Vita.*

Non minùs illuſtre dedit exemplum S. Marina (ſeu Marinus, prout tunc vocabatur) quæ cùm Patre Eugenio, habitu virili induta, ingreſſa erat monaſterium virorum, & magna ſanctitatis opinione vivebat. Accuſata ſtupri, re non ſatis examinata, à Præſide monaſterij condemnata eſt criminis. Illa ſe humi projecit in faciem dicens: *Condona mihi humili & peccatori, propter Dominum ô Pater, quoniam tanquam homo erravi,* Eje-

ra è monasterio, extra vestibulum ejus sub dio, frigus & æstum sustinens, mansit triennium. Rogata ab ingredientibus & egredientibus externis causam tam diuturnæ & gravis pœnitentiæ, respondit: Quoniam sum fornicatus (scilicet aliorum judicio) ejectus sum è monasterio. Ubi vero puella, quæ Marino crimen imposuerat, peperit masculum, tollens eum pater ejus, alendum detulit ad Marinum; quem is lacte à pastoribus impetrato alebat ut suum. Post triennium ad importunas Fratrum preces, receptus quidem est ad monasterium, sed omni gradu dejectus, & ad abjectissima ministeria condemnatus. Hæc dum admiranda patientia tractat constanter, piissimè moritur Marinus, atque inter ablutionem corporis deprehenditur Marina, & innocentia ejus. Obstupuit Præses, &, ad expiandum errorem suum, se ipsum damnavit ad agendam juxta pedes Marinæ pœnitentiam, donec intelligeret, sibi remissum esse peccatum suum. Post multas lacrymas audiit cœlitus, remissam sibi esse ignorantiam suam non omnino inculpabilem. Puella quoque, quæ iniquè Marinam calumniata fuerat, à dæmone arrepta, ad sanctas illius reliquias curata fuit. *Sur. 8. Febr.* In talibus ergo occasionibus taciti dicamus Domino cum S. Psalte; *Judica me, Domine, & discerne causam meam.* Vel potius, si magis masculo sumus animo, optemus etiam ad mortem sustinere ignominiam, & non detegi innocentiam.

FERIA III.

Tessera diei. *Amor meus interitu discipuli afflictus!*

MEDITATIO. *DEI & CHRISTI stupenda judicia circa Petrum & Judam: DEIpara V. luget funestam Judæ sortem; solatur Petrum.*

1 ADora DEUM O. M. & considera admiranda & tremenda ejus judicia circa duos Apostolos, Judam vendentem & Petrum negantem: De quibus apertè verificatum est, quod prædixerat Christus Matth. 24. Duo erant in agro operarii iniquitatis: assumptus est unus ad veniam, relictus est alter ad pœnam. Duæ erant animæ molentes in mola: una versabat molam præsumptionis, altera cupiditatis: assumpta est illa per misericordiam; relicta est ista per justitiam. O altitudo divitiarum non solùm sapientiæ & scientiæ, sed etiam misericordiæ & justitiæ DEI! Et quid tandem de nobis erit, inscrutabilis DEUS! Quis assumetur cum Petro? Quis relinquetur cum Juda? Quidquid erit: non desperabo cum Juda; placet pœnitentiam agere cum Petro; Hoc da; & amabo te super omnia.

2. **A**Dora D. JESUM & considera: eum maximè in passione & morte sua positum fuisse in ruinam & resurrectionem multorum, secundùm vaticinium Simeonis Luc. 2. Inter alios, ecce Judæ positus fuit in ruinam & interitum; Petro in resurrectionem & vitam æternam: Judæ positus est in lapidem offensionis & petram scandali, ad quam à propria avaritia allisus, miserè contritus est: Petro in lapidem probatum & pretiosum, in *lapidem adjutorii*; quo nixus assurrexit validior à lapsu, & elevatus est in Principem ordinis Apostolici. In te, gratiosissime JESU, pono spem meam omnem: non est mihi scandalo & offensioni passio & crux tua, sed amori & honori. Corrige errantem, erige pœnitentem, promove ad ardua virtutis nitentem.

3 **V**Enerare Deiparam V. & considera, quam tristis ei acciderit interitus proditoris Judæ. Licèt enim sciret, ei propriâ malitiâ & justissimo Dei judicio eam sortem obtigisse: dolebat tamen non minùs quàm David ob interitum Saulis: lugebat, in ipso fervore operis circa restaurandam hominum salutem, excidisse salute æternâ animam sic dilectam & honoratam. Cæterùm quàmvis ipsa egeret consolatione, solabatur blandissimè Petrum, lachrymis veræ pœnitentiæ diffluentem: imò ex ipsa ejus pœnitentia non modicum capiebat solatium; gaudens cum angelis super peccatore pœnitentiam agente. O si & ego te hoc cumularem solatio, Domina! Peccatorem me scio, eumque non vulgarem: incertus omnino de probitate pœnitentiæ meæ: supple, si quid deest; auge, si perfecta est.

Propositum nunquam desperandi & seriò pœnitendi.

LECTIO PRACTICA.

Ut nunquam desperandum, sic quantocyus & seriò pœnitendum.

EA est calliditas serpentis antiqui, ut ante peccatum solicitet ad spem nimiam misericordiæ & condonationis divinæ; post peccatum præcipitet in desperationem cum Juda proditore. Verùm, post qualiacunque, quotacunque & quotcunque peccata non esse desperandum de venia, modò non desit animus maturè & seriò pœnitendi: docet infinita DEI misericordia, inexhausti Salvatoris nostri benignitas, & innumera maximorum peccatorum, post Magdalenam peccatricem, & Petrum atque Paulum Apostolos, exempla. Unde S. Leo ep. 19. monet: *Qui in tempore necessitatis & in periculi urgentis instantia præsidium pœnitentiæ, & mox reconciliationis implorant: nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda. Quia misericordiæ DEI nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire; apud quem nullas patitur veniæ moras vera conversio, dicente Spiritu DEI per Prophetam: Cùm conversus*

versus ingemueris, tunc salvus eris. Et iterùm: *Quia apud Dominum misericordia est, & copiosa apud eum redemptio.* Imò grandem irrogat injuriam passioni, vulneribus & sanguini Christi, qui ea sibi pœnitenti non profutura putat. *In fide*, spem inconcussam fundante, *vivo Filii DEI, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me*: inquit fidenter Apostolus Galat. 2.

Narrat Bernardinus de Busto S. 7. p. 3. de adolescente valde dissoluto, qui à fido sodali sæpe admonitus de seria pœnitentia, eam joco aliquo, aut futura sub tempus mortis vera conversione, semper eludebat. Non diu post, cùm in gravem morbum incidisset, essetque mortis periculum, iterum iterumque ab eodem contubernali suo de instituenda tandem confessione, propositâ DEI misericordiâ, modò seriò resipiscere vellet, repetitum, sed surdâ aure acceptum monitum. Sodalis ergò bonus tristis se recipit ad nocturnam quietem, secundùm quam visus sibi est videre Christum eo habitu, quo à Pilato olim de loco superiore populo ostensus fuit, lacero flagris corpore, & capite spinis saucio, qui ægrotantem sic affatus est: Ecce lacerum spinis caput, & totum vulneribus saucium corpus, ecce quoque latus apertum: his tibi, etsi indigno, parta parataque est DEI misericordia, modò vitam tuam præteritam detestatus, ad me convertaris. Ad hæc æger: Scio, inquit, Domine, magnam esse misericordiam tuam; sed neque minorem esse justitiam tuam: cui cùm nullo merito meo satisfacere possim, non video, quomodo hac salva à misericordia veniam sperare valeam. Imò, reposuit Christus, & potes, & debes: præsertim cùm eam humiliter petenti pollicitus sim negare nunquam. Sed cùm pergeret miserandus adolescens justitiæ rigorem exaggerare, & obstinatè desperare: Christus indignatus, expressum dexterâ de lateris vulnere sanguinem in moribundi faciem conjecit dicens: Hic sanguis meus in die judicii testis erit oblatæ tibi à me misericordiæ, quam per obstinationem tuam insanam ac summam ingratitudinem contempsisti. Hoc tam tristi viso territus & expergefactus istius socius, accurrit narraturus, quæ vidisset: sed, quæ tremenda sunt judicia in pœnitentiam procrastinantes, hominem invenit jam exanimem. Ne verò crederet, vanum fuisse somnium ea, quæ viderat: faciem cadaveris advertit recenti sanguine conspersam.

Meliùs sibi consuluit Usurarius quidam in Gallia: apud quem cum Clericis quibusdam pransurus Volco, eximiæ sanctitatis Sacerdos, culinam primùm adiit, opercula à vasis removet, ostenditque omnia fercula in bufones & serpentes abiisse. Movit ea res hominem, ut Volconi supplex, omnia injusto lucro parta, suis dominis se sine mora restituturum, sanctè promitteret, at-

ret, atque re ipsa restituerit. Supererat vas tritico oppletum, ultimum usuræ spolium, quod memoriæ hujus Zachæi exciderat: istud Volco, præsente Clericorum comitatu, recludi jussit; & ecce novo portento inter bufones ingentes magnam serpentum copiam etiam ibi offendunt. Mox Vir Sanctus, divino afflatus Spiritu, qui novum heroicæ pœnitentiæ exemplum orbi parabat, conversus ad fœneratorem: Si verus tibi, inquit, de peccatis dolor est, nudus istud vas ingredere. Nec mora, insilit confestim usurarius; Volco vas occludit, jubetque socios crastinâ luce reverti. Remoto in crastinum operculo, præter ossium congeriem reperiunt nihil. *Bzovius ad Ann. 1198 n. 21.*

Qui ad tam rigidam pœnitentiam non satis habet animi, saltem sincerum contriti cordis dolorem & amore expressas lacrymas non tergiversetur exhibere DEO cum S. Petro, qui statim ac illum Dominus respexit, relicta peccandi occasione, egressus foras flevit amarè, nec citiùs desiit flere quàm vivere.

FERIA IV.

Tessera diei: *Amor meus gentibus traditus est.*

MEDITATIO: *DEUS permittit innocentes duci & traduci, sed non impunè: CHRISTUS à Judæis traditur Pilato: DEIpara V. variis hominum rumoribus & motibus affligitur.*

1. ADora DEUM O. M. & considera: Quomodo non rarò permittit Innocentes & Charos sibi falsis criminationibus traduci, ad varia tribunalia duci, & subinde opprimi iniquissimè. Sed paulò pòst inimicis eorum, & perversis Judicibus, *secundùm nequitiam adinventionum ipsorum, & secundùm opera manuum eorum, tribuit illis: reddit retributionem eorum ipsis. Psal. 27.* & quidem mensurâ confertâ & coagitatâ. Sic Judæis tradentibus Christum Pilato, Romano Præsidi, homini gentili, reddidit talionem: quando eos tradidit Romanis Imperatoribus, Tito & Vespasiano, vastandos & irreparabiliter exscindendos. Timeant igitur Innocentûm oppressores & calumniatores: confidant in Domino pietatis & justitiæ cultores. Est, qui judicet, & vindicet; Non peto, Domine, vindictam: sed da patientiam in hujusmodi casu.

2. ADora D. JESUM & considera: Quo consilio Judæi ipsum tradiderint Pilato. I. Ut ostentarent speciem aliquam religionis; quòd in die festo nollent sanguine fuso contaminari. Hypocritæ, non adverterunt: magis noxium esse, qui linguâ, quàm qui manu innocentem occidit;

cidit: quia & vitam & famam adimit. II. Ut cum majore ignominiâ, & crudeliore supplicio perimeretur Christus, ut perduellis Cæsari, & affectator regni. In crucem agi volebant JESUM; nullum enim aliud æquè invisum genti suæ supplicium inveniebant. Ab idololatris tolli volebant, tanquam indignum, in quem populus Dei manum aut lapidem mitteret. Quanta malitia! Sustinet tamen JESUS, & duci se sinit, quo illis libet. Et ego refractarius, tanquam juvencus indomitus resistam iis, qui ex charitate vel officio me abducunt à malo, deducunt ad virtutem? Sequar te, mi JESU, quocunque duxeris, sive per te, sive per servos tuos.

3 VEnerare DEIparam V. & considera: Quantum afflictionis illi addiderint varii rumores, qui in illo æstu turbarum à populo innumerabili, qui pro solemnitate Paschali Hierosolymam confluxerat, spargebantur de Christo. Isti gaudebant, captum tandem esse novatorem; qui novâ doctrinâ eis illusisset: alii fremebant, quòd tàm lentè cum ipso procedatur, confectumque statim volebant, ne fortè, ut aliàs, elaberetur; alii hoc, alii aliud ipsi supplicium decernebant. Non latebant hæc SS. Matrem in urbe tunc præsentem: ideoque copiosissimam illi præbebant dolendi materiam. Compatior tibi, afflictissima Mater, atque in vicem doloris illius glorificabo Filium tuum in æternum. Benedictio, & Claritas, & Sapientia, & gratiarum actio, honor, virtus & fortitudo, Redemptori nostro DEO in sæcula sæculorum. *Amen.*

Propositum de non carpendis vel vexandis delatoribus & accusatoribus nostris.

LECTIO PRACTICA.

Ferendi patienter delatores & accusatores nostri.

FAmiliare est iis, qui à Superioribus, sive Sæcularibus, sive Ecclesiasticis & Regularibus corripiuntur, vel monentur de commissis defectibus, illicò sagaci ingenio investigare: quisnam ipsos detulerit, seu accusârit? Quos verò detulisse seu accusâsse existimant, non solùm falsi damnant atque ut calumniatores pejoribus calumniis onerant, sed etiam rigidæ vindictæ destinant.

Verùm, advertere oportet inprimis: delatores & accusatores perutiles, imò necessarios, esse tum publico bono & regimini, tum privatorum commodo. Cùm enim sensus hominis in malum proni sint ab adolescentia sua, & quisque magis solicitus sit de defectibus & vitiis suis occultandis, & excusandis, quàm non committendis, vel corrigendis; Præpositi autem & Judices communitatum omnia per se inspicere nequeant: necesse est, quosdam esse inquisitores, delatores, accusatores & instigatores tum ex officio

sibi ritè commisso, tum ex publici privatique boni studio. Ideoque graviter in politicam prudentiam peccant, qui hujusmodi hominum genus ex communitatibus proscribere volunt.

Procedunt hæc potissimùm in Communitatibus Christianæ & Religiosæ perfectionis studiosis; Plurimùm enim nobis conducit, defectus nostros notos esse Superioribus, tum ut ab ipsis in via perfectionis & obsequii divini meliùs dirigi possimus, tum ut cum majore submissione procedamus, & in virtutum omnium fundamento atque radice, Humilitate, proficiamus. Nihil enim elationis nobis innatæ, & actibus pravis confirmatæ, spiritus ita deprimit: ut cùm vitia nostra notata & prodita, præsertim Superioribus, advertimus. Quia turpitudo vitii pudorem incutit, pudor modestiam & humilitatem parit. Ut enim erigimur, cùm benefacta virtutesque nostræ celebrantur, altosque spiritus inde colligimus; ita dum defectus erroresq; nostros in lucem protrahi sentimus; superbiæ philacteria contrahimus: ut egregius Spiritûs Magister P. Nicolaus Lanicius Opusc. 8. n. 95. notavit.

Deinde ad comprimendum stomachum & bilem adversus delatores & accusatores plurimum facit Exemplum Salvatoris nostri; qui in Passione sua cumulatè implevit, quod per Prophetam Psal. 38. prædixerat: *Posui ori meo custodiam, cùm consisteret peccator adversùm me.* Qui paulò antè egerunt Judices ipsius, Seniores & Pontifices, coram tribunali Pilati transierunt in virulentos & iniquissimos accusatores: JESUS autem nec verbo, nec gestu dedit signum aliquod minùs æqui in illos animi; quin potiùs sincerissimæ charitatis affectu complectebatur maledicos.

Profecit egregiè hoc Domini exemplo S. Paphnutius, adhuc adolescens, & tyro Religiosus. Cùm enim à petulantiore quodam fratre ad obscurandam ejus virtutem, quæ ipsum omnium amoribus insinuabat, delatus esset, & coram tota communitate in Ecclesia insimulatus furti, propter occultatum callidè in cella Paphnutii librum suum, atque productum per exploratores; innocens Paphnutius non solùm in accusatorem & impostorem invectus non est; sed cùm in pœnam criminis à dæmone arreptus esset, nec ab ullo liberari posset, Paphnutius pro ipso DEum precatus, liberum fecit, *Christo hanc adolescenti gloriam reservante* (inquit Cassianus Coll. 18. c. 15.) qui innocentiæ periclitantis, subinde serus, semper tamen severus solet esse vindex.

Plurimum quoque confert, recogitare: an æquè vel iniquè sis delatus. Si æquè; iniquissimè meditaris vindictam. Si iniquè: JESUM habes socium & vindicem; ipsi committe causam tuam, & gloriosiùs triumphabit innocentia tua: alioqui reus ageris violatæ jurisdictionis & muneris Christi.

In Vitis

In Vitis PP. lib. 7. c. 7. cùm quidam fratrum injuriam passus esset ab alio; venit ad Abbatem Sisotum dicens: Cupio me vindicare Pater. Senex autem rogare cœpit, ut relinqueret DEO vindictam. At ille: Non desistam, nisi fortiter vindicavero. Cui Senex: Quandoquidem hoc semel in animo statuisti; nunc oremus. Exurgens autem Senex, sic orare cœpit: *Deus jam non es nobis necessarius; ut pro nobis sis sollicitus: quia nos ipsi, sicut iste frater dicit, & volumus, & possumus vindicare.* His auditis erubuit frater, &, provolutus ad pedes senis, injuriam remisit. Denique considerandum: an non sis per errorem alterius inculpabilem, vel vix culpabilem delatus iniquè? Sæpe enim DEUS innocentes hujusmodi errores permittere solet tum in fratribus, tum in Superioribus, ad magis exercendam virtutem nostram, vel expiandum delictum aliquod. Vide igitur: ne in ministrum Providentiæ vel Justitiæ divinæ delinquas.

FERIA V.

Tessera diei: *Amor meus apud gentilem Præsidem iniquissimè accusatus est!*

MEDITATIO: *DEUS sustinet, CHRISTUM enormibus calumniis onerari à Pontificibus & populo suo: DEIpara V. affligitur nuncio de Filio gentibus tradito.*

1 ADora DEUM O. M. & considera: Eum non rarò magis & sensibiliùs exercere charos sibi, per populares, domesticos & familiares suos, quàm per externos & alienos. Sic exercuit Patriarcham Jacob per fratrem Esau, & per filios ex ancillis susceptos; Josephum per fratres, Moysen per populares suos Israelitas, Davidem per filios Ammonem & Absolonem &c. Filium quoque suum, ut acrior esset persecutionis sensus, exercere voluit per populares suos Judæos; qui non tantùm non receperunt nascentem, sed spreverunt prædicantem; atque ut morte ignominiosissimâ tolleretur, tradiderunt gentibus: quod facinus non rudis solùm vulgi erat; sed Sacerdotum ac Pontificum. *Gens tua, & Pontifices tradiderunt te mihi:* miratur Pilatus, & rogat: *Quid fecisti?* Non enim vulgarem te oportet esse malefactorem; qui à talibus & tantis, talique tempore oblatus es tribunali meo. Non ergo mirandum, vel animo cadendum, si quando populares aut domestici nostri facti fuerint inimici nostri. Habet DEUS jus varium ad nos castigandos; licet ei etiam ex nostra sylva vel horto decerpere virgam. Osculabor, mi DEUS, paternam manum tuam, quacunque armatam virga; modo admittas, & serves me in gratia tua.

2. Ado-

2. ADora D. JESUM & considera, quanto fastu, quantis calumniis accusatus sit à Judæis. Quærit Pilatus Joan. 18. *Quam accusationem affertis adversus hominem hunc?* Responderunt superbè Pontifices: *Si non esset malefactor, non tibi tradidissemus eum.* Quasi sufficiens criminis probatio esset illorum affirmatio, imò ad tribunal adductio. Rejecti igitur à Præside irritato: *Accipite eum vos & secundùm Legem vestram judicate*, proferunt Luc. 23. palmaria tria, à se conficta, crimina. 1. *Hunc invenimus subvertentem gentem nostram.* 2. *Et prohibentem tributum dare Cæsari.* 3. *Et dicentem: Se Christum Regem esse.* Poterat nullo negotio difflare palpabiles calumnias, sed maluit silentio se & sua involvere, permittendo omnia Providentiæ Patris. Num hic est stylus noster? de pilo lanæ caprinæ accusati, quid non movemus? Parce, JESU, quod tam delicatus sim discipulus, tam informis imitator tui.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: Quàm acerbus illi fuerit nuncius de filio gentilibus tradito. Præsagiebat enim ex vaticiniis Prophetarum; omnia decora, & ipsam salutem populi sui cum JESU transferenda ad gentes; Templum quoque toto orbe celeberrimum, & præsentiâ Majestatis divinæ non semel honoratum, abominandâ desolatione, & horribili ruinâ, stupori futurum sæculis secuturis. Mutuabatur ergo threnos ex Jeremia: *Quomodo sedet sola civitas plena populo? facta est quasi vidua Domina gentium!* Quia Regem & Sponsum suum tradidit gentibus. Et quid amisso, ne dicam rejecto, JESU, restat, nisi vastitas, desolatio, abominatio, & interitus? Ipsa tu, ô Gratiosissima Mater, conserva in corde meo JESUM tuum & meum. Scis quàm pronus sim ad illum repudiandum.

Propositum patiendi etiam ab amicis familiaribus & fratribus.

LECTIO PRACTICA:

Ferenda patienter etiam fratrum, amicorum & popularium nostrorum odia & injuriæ.

VT dulcior est cum fratribus, amicis & popularibus nostris convictus & conversatio, quàm extraneis: ita longè acerbiora experimur illorum odia, fraudes, & injurias. *Amicorum probra quàm inimicorum graviora sunt*: inquit Chrysostomus lib. 1. de Provid. Et lib. de Davide: *Plerisque ab amicis conviciis affici, aut in suspicionem adduci, videtur omnibus mortibus intolerabilius.* Unde S. Petrus de Alcantara cùm intellexisset S. Theresiæ Spiritum, & Orationis modum tanquam malum, & ex dæmone profectum, esse condemnatum à multis viris spiritualibus & confessariis ejus, valdè compa-

compatiebatur illi, dicens: hanc esse graviorem longè crucem & afflictionem, quàm à tyrannis pati persecutionem.

S. Gregorius homil. 35. in Evang ait: *Minorem dolorem mala ingerunt, quæ ab extraneis inferuntur. Plùs verò in nobis ea tormenta sæviunt, quæ ab illis patimur, de quorum mentibus præsumebamus. Quia cum damno corporis mala nos cruciant amissæ libertatis.* Dum enim advertimus consurgere in nos amicos, populares & fratres; cum quibus liberè & confidenter conversemur, afflictiones nostras communicemus, &, unde levamen speremus, non habemus: nec solùm affligunt nos illata ab ipsis probra & damna, sed etiam violata amicitiæ jura.

Hinc & Moysen non angebant contumeliæ; quas ab Ægyptijs patiebatur; sed quòd eas ab illis patiebatur, quos tanta charitate diligeret; scilicet à populo suo: inquit citatus Chrysost: David quoque patientissimus etsi injurias Saulis orti ex tribu Benjamin tulerit æquo animo: tamen injurias Nabalis, contribulis sui, utpote ex tribu Juda orti, ulcisci decreverat: ut notat Lyranus. Job questus non est de Sabæis, qui ejus boves abegerant, nec de Chaldæis, qui ejus camelos abstulerant; nec de diabolo, qui ejus corpus adeò exulceraverat: sed de amicis nimiùm dicacibus: *Usquequò affligitis animam meam, & atteritis me sermonibus?* Job. 19. Aliorum injuriæ tela erant, quæ solùm corpus lædebant: amicorum perstringentes linguæ ad ipsam pertingebant animam, eamque penetrabant.

Ratio sensibilioris vulneris inter alias est: quòd in quem cernuntur sui populares, familiares, amici & fratres, præsertim spirituales, consurgere: is hoc ipso præsumitur non levis noxæ reus esse. Creduntur enim illi non ex levi suspicione, sed ex gravi & manifesta causa scidisse jura amicitiæ & communis patriæ. Unde etiam Pilatus non sine admiratione objecit Domino: *Gens tua & Pontifices tradiderunt te mihi: quid fecisti?* Necesse est te non vulgaris criminis reum esse, quem gens sua & Pontifices mihi, homini alienigenæ, tradiderunt puniendum.

Cæterùm, quantumcunque molesti nobis sint & graves hujusmodi fratres, amici & populares: tolerandi sunt, tum amore JESU, similia majore iniquitate passi nostrâ causâ; tum majoris meriti nostri gratiâ; tum ad expiandas noxas quasdam, quas in conversatione cum talibus liberiore contrahimus. P. Lancicius Opusc. 9. c. 3. refert de P. F. Angelo de Paz, suo tempore Romæ mortuo, Ord: Min: quòd cùm Exorcista ex energumena percontaretur: ubi esset Anima F. Angeli? responderit dæmon: Ivisse ad cœlum sine purgatorio, eò quòd multa à fratribus tulerit patienter. Insigni ex-

emplo hoc in negotio prævivit nobis etiam S. P. N Ignatius: qui cùm adhuc studeret Parisijs, pecuniolam quandam ab amicis oblatam, deposuerat in futuros usus apud quendam contubernalem & conterraneum suum Hispanum. Quam dum urgente necessitate repetit Ignatius: negat, pernegatque iste, sibi quidquam traditum esse; nec aliud quàm convicia largè reponit. Sensit acerrimè Ignatius hominis fraudem & insolentiam, eò quòd ad se alendum stipem emendicare deinceps cogeretur, magno studiorum detrimento: attamen non modò iratus amico non est, verùm etiam insigni beneficio rependit injuriam. Cùm enim fraudator ille postea Hispaniam repetens, gravi morbo ex itinere implicitus, decumberet Rhotomagi, & malè parta, malè dilapsa essent; redactus ad incitas, nec hominem habens, à quo opem speraret: ad Ignatium confugit, supplexque per literas eum de suo statu admonuit. Is, quasi opulenta quædam hæreditas sibi obvenisset, ruptâ omni morâ, in viam se dat: atque ut DEUM amico propitium redderet; totum tridui iter, pedibus, nullo prorsus cibo potuque, ingenti celeritate confecit; conquisitum hominem amicissimè invisit, semianimem sedulo ministerio recreavit, recreatum mendicato abs se viatico instruxit, atque in Hispaniam remisit literis commendatitijs abunde stipatum, atque attonitum: quòd tanta erga injuriosum amicum charitas adhuc reperiatur in terra. *Maffejus in Vita lib. 3* Meritò S. Chrysostomus homil. 20. in Matth. *Nihil est, quod sic DEO similes faciat: ut malignis atque lædentibus esse placabilem.* Quid si adhuc adjiciantur beneficia?

FERIA VI:

Tessera Diei: *Amor meus à Pilato mittitur ad Herodem!*

MEDITATIO: *In manu DEI corda Judicum: CHRISTUM licèt innocentem agnitum mittit Pilatus ad Herodem: DEIpara V. instruit trepidos Apostolos & matronas familiares.*

1. ADora DEUM O. M. & considera: Ut Regum, ita Judicum corda in manu ejus esse, atque arbitratu ejus moveri, flecti aut indurari. Honorant divinæ literæ Judices titulo Deorum: est autem DEUS *Deorum* istorum *Dominus*. Psal. 49. quem in eorum synagoga seu consistorio stantem, observantem, imò & judicantem eos, describit sacer Psaltes. Psal. 81. Hic ergo Judicum Arbiter, & Dominus, moderatus est etiam cor Pilati, ut, quàmvis alias infensissimus esset genti Judæorum, æquum se Christo accusato præberet; imò disertè innocentem pronunciaret: se nullam in eo invenire causam mortis. Constituti igitur coram Judice, aut alio jurisdictionem ha-

nem habente, non tam laboremus, ut ipsum, quàm ut Deum faventem habeamus. Hoc favente, iniquus non erit ille: aut si, ejus permissu, fuerit; compensabit damnum liberaliter ille. In tuas proinde clementissimas manus depono omnem causam meam, æquissime DEUS: da exitum tibi gloriosum, mihi salutarem.

2 ADora D. JESUM, & considera tristem ejus sortem. Agnitus & declaratus à Pilato innocens, relegatus tamen ad Herodis tribunal. Sic etiamnum, qui in DEI & Ecclesiæ causa ferre nolunt sententiam, qualem deberent, remittunt ad aliud tribunal aut terminum; non minore injustitiâ, quam sumptuum & causæ damno. Iterùm ergò per plateas raptatur JESUS, eò majore ignominiâ, quò frequentiore jam populo; & infestioribus satellitibus atque accusatoribus; qui ringebantur, causam protrahi; ideoque in Dominum omnem vomebant bilem. JESUS autem tacitus cum solo Patre negotium suum agebat. Permittam & ego me amore tui, Afflictissime Salvator, judicijs quorumvis hominum, quantum sine diminutione gloriæ tuæ potero. Tibi soli revelabo causam meam: cæteri sentiant; ut iubebit.

3. VEnerare Deiparam V. & considera: quomodo dolore plena & superplena; sollicitudinem tamen suam extendebat ad Apostolos, qui præsentes aderant, aliosque familiares, monendo; ne scandalum paterentur ex passione Filij: siquidem ita definitum est ab æterno; ut non nisi per sanguinem Filij Dei mundaremur à peccatis, & per mortem ejus obtineremus vitam æternam. Hoc & oraculis Prophetarum, & mysterijs figurarum præmonstratum esse, docebat. Gratias tibi immortales, ô Magistra Sapientissima & Opportunissima, pro ea illustratione & consolatione. Imprime & meæ menti altissimos de Passione Filij tui sensus: ut ex illa, quales desideras, percipiam fructus.

Propositum non tristandi, si contingat aliquid pati innocenter.

LECTIO PRACTICA.

Sive Nocentes, sive Innocentes patiamur: Patiendum patienter.

SI patimur nocentes, seu ob culpam datam, & meritam pœnam non ferimus patienter: pendemus in cruce mali latronis crucifixi cum Christo, culpam augemus, compassionem non meremur, sed potiùs augmentum supplicij: &, nisi maturè sapiamus, supplicium temporale sequetur æternum. *Impudicæ & frigidæ mentis experimentum est, nolle pati: reprobæ verò murmurare de verbere*; inquit S. Laurentius Justin. de cast. connub. S. Bernardus epist. 32. *Sanctis & Electis*, inquit, *tribulatio operatur patientiam, patientia pro-*

 batio-

bationem, probatio verò spem, spes autem non confundit. *Sic damnandis & reprobis tribulatio parit è contrario pusillanimitatem, pusillanimitas perturbationem, perturbatio desperationem: & hæc interimit.* Conscius ergò culpæ, sustine flagella, sive à Deo, sive ab homine vibrata: si inter reprobos censeri non vis.

Quodsi patiamur Nocentes quidem, sed pœnam toleramus patienter; non solùm tollimus culpam commissam, sed apud DEUM meremur coronam, apud homines compassionem, & viri fortis encomium; denique supplicia alterius vitæ vel evadimus, vel plurimùm imminuimus. *Pius & misericors est DEus: & remittit in die tribulationis peccata.* Eccles. 2. Fusiùs S. Chrysostomus lib. de Davide: Si inimicus exprobraverit tibi crimen, cujus tibi conscius es; tu verò audiens, non conviciaris illi vicissim, sed cum amaro gemitu Deum imploras: protinus omnem culpam deposuisti. Rogo, quid hoc potest esse felicius? quid ad criminum abolitionem facilius? Publicanus in rapinis ac violentijs vitæ tempus omne consumpserat: Pharisæus ad summam pervenerat justitiam; ut qui facultates suas dissiparet in pauperes, assidueque jejunaret, purus à rapinis. At publicanus despectus à Pharisæo non retorsit contumeliam, neque vicissim dixit convicium; sed amarè suspirans, pectusque percutiens, hoc tantùm dixit: *DEUS, propitius esto mihi peccatori: & descendit justificatus.* Vides celeritatem? Accepit probrum, & abiuit probrum: Criminum accusatio facta est illi criminum remissio, & hostis insciens factus est beneficus. *Ita Chrysost.* Præstò est & aliud illustre exemplum Latronis boni: cui confessio propriæ culpæ, toleranti a promeriti supplicij, & confessio innocentiæ Christi, illicò absterserunt omnem culpam, sustulerunt pœnam, & reserârunt Paradisum.

Si verò patiamur innocentes, & patiamur secundùm Christianam Philosophiam animo forti & libenti: non solùm culparum humanâ fragilitate contractarum, & pœnæ illis respondentis obtinemus remissionem: sed per adversa & cruces conformati Deo ac Domino nostro in hac vita, meremur cum illo & apud illum pretiosissimam gloriæ coronam in æterna. De peccatorum remissione testantur Divinæ Literæ Tob. 3. *In tempore tribulationis dimittis peccata his, qui invocant te.* S. Chrysostomus hom. 67. ad pop. ait: *Cùm rebus adversis premimur, gaudeamus; hoc enim est peccatorum expiatio.* Quas paleas electis tritici granis adhærentes hic absumit ignis tribulationis, non inveniet decoquendas ignis purgatorij. Dominus ipse apud S. Brigittam lib. 3. c. 19. in Addit: *Amici Dei, inquit, tribulantur in hoc mundo, aut ad minus supplicium in futuro, aut ad majorem coronam in cælo.* Quam coronam non minùs esse splendidam & pretiosam coronâ Martyrum, affirmat S. Laurentius

tius Justin. in Fascic. amor. c. 11. *Non minor est gloria Christi passionibus conformari: quam sit cumulus beatitudinis eorum, qui mundi persecutiones pro Christo percipiunt.*

Sed quidquid sit de qualitate & pretio Coronæ: illud ipsum patientibus innocenter summo & solatio & honori esse debet; quod patiantur non ut malefici, verùm ut Christus, id est, innocenter. Recreavit hac consideratione Christus ipse S. Petrum Mar. dolentem & querentem: Quid feci; quod tantam innocens sustineam infamiam & pœnitentiam? quando ei per Effigiem, coram qua oravit, respondit: *Et ego, quid feci: quod tanta sim passus; Ex me, Petre, si nescis, disce opprobria & ignominias ferre.* Quibus verbis omnem S. Juveni mœrorem absterſit. *Flamin. in Vita.* Nihil gloriosius aut lucrosius est in hac vita, quam multa & gravia pati innocenter & libenter.

SABBATO:

Tessera diei: *Amor meus spernitur ab Herode & aula ejus!*

MEDITATIO: *DEUS non vult miracula patrari coram Herode: CHRISTUS spernitur ab eo: DEIpara V. dolet, Diem festum profanari sanguinarijs judicijs.*

1. ADora D. O. M. & considera: eum, quàmvis aliàs largissimum in patrandis per Christum miraculis, noluisse ullum patrari coram Herode, avidissimè id expetente. Ex sola enim curiositate, non studio salutis orta fuit ea aviditas: & habuit Herodes aliunde sufficientissima argumenta ad credendum Christo; eumque suscipiendum, ut promissum Messiam. Ad hæc docere voluit DEUS: in majore apud se respectu esse humilem colonum salutis suæ studiosum; quàm superbum Principem, politico regimini intentum, divini cultûs incurium. Plebejos & agrestes erudiri voluit Christi prædicatione, moveri miraculis: Aulam nec miraculo, nec verbulo dignatus est. Vilescam igitur & ego mihi, oportet: ut singulares tuos merear favores, humilium cognitor, sublimium contemptor Deus.

2. ADora D. JESUM, & considera: *quomodo interrogatum multis sermonibus, at nihil respondentem; sprevit Herodes cum exercitu suo, & illusit indutum veste albâ.* Luc. 23. Quia nihil respondit tum ad calumnias objectas, tum ad quæstiones Regis inutiles, pro stulto habetur æterna Sapientia, & ludibrio traducitur à tota aula. At hoc ipsum silentium, Rex stultissime, grande est miraculum, idque inauditum. Quid enim simile vel in aulis, vel in toto orbe auditum est unquam? Compatior tibi ex animo, o Sapientia omniscia & omnipotens, atque oro: ut me doceas similia patrare

miracula. Grande prodigium edidero ; si in confessu magnorum & eruditorum contemptus, siluero. Audebo tamen in nomine tuo. Tu pone custodiam ori meo ; & ostium circumstantiæ labiis meis.

3 VEnerare DEIparam V. & considera: non modicum doloris illi accessisse ; quod viderit ; solemnissimo Paschatis die , quo recolebatur memoria exitûs ex Ægypto, populum, Sacerdotes atque Pontifices, intentos sanguinarijs judicijs & neci Filij, negligere sacra & sacrificia eo die debita DEO Salvatori. Iste enim erat dies, de quo præcepit DEUS Exod. 12. v. 14. *Habebitis autem hanc diem in monumentum , & celebrabitis eam solemnem Domino in generationibus vestris cultu sempiterno.* Et versu 16 : *Dies prima (Azymorum) erit solemnis atque sancta , & dies septima eâdem festivitate venerabilis ; nihil operis facietis in eis , exceptis his , quæ ad vescendum pertinent.* Tam gravem divini cultûs neglectum, & opus nefandum, quod operabantur eo die & populus , & Sacerdotes , non poterat non acerbissimè ferre Mater Dei. At ego, o Mater afflictissima, amore tui , & patientis Redemptoris mei , religiosiùs colam omnes sextas ferias per annum. Suscipe & confirma hanc voluntatem meam. Vide , quid singulis per annum sextis ferijs opportunè facere possis vel pati, & certi aliquid statue , saltem pro uno anno.

Propositum patienter ferendi quosvis contemptus.

LECTIO PRACTICA:

Contemptus & confusio non solùm patienter ferenda, sed sollicitè quærenda.

NOn fuit fortuitus Christo , Domino nostro , contemptus , & confusio summa, quam in aula Herodis passus est ; sed ab ipso non solùm prævisa, verùm & electa, tum ad retundendam arrogantiam nostram, tum ad solatium aliquod præbendum servis suis, si quando contingeret, eos in publico despici, & pro fatuis haberi. Mirum sanè est ; quàm multi , & quàm illustres tum honoribus , tum scientijs , alijsque naturæ & fortunæ dotibus , hoc Domini exemplo incitati , non solùm patienter tulerint , ferantque quosvis contemptus & confusionem ; sed etiam avidè expetierint & quæsierint, quærantque etiamnum. Non est necesse Veterum PP. eruderare exempla, vel à longè petita adducere: cùm recentibus & domesticis abundemus ; è quibus do pauca nobis incitamento futura , & consultò prætereo Canonizatorum Sanctorum , utpote notiora.

P. Gaspar Barzæus, præclaro Apostolici Viri elogio à S. Xaverio honoratus , cùm esset Rector Collegii Goani , usus est ea potestate ad majorem sui confusionem , quando in triclinio communi è cathedra , sæcularis vitæ suæ peccata disertè coram domesticis est confessus.

Collegio

Collegio Placentino cùm præesset P. Martinus Gutterius, vir nec sua nec suorum mediocri virtute contentus, inter alios illustrem tyronem Ludovicum Medinam egregiè exercebat, multa illi indulgens, vel suggerens, per quæ militarem fastum atque ferociam opprimeret. Nunc pallio tunicâque exutum, instar mancipij, per publicas vias mittebat ad lanios emptum obsonia, vel ad forum pro vendendis raphanis: nunc jumenta in mercatu venalia ducere, vel aliò agere, etiam ad 50. leucas jubebat: quæ & his plura Ludovicus alacriùs, quàm cùm cohortes militares duceret, præstabat. Hist. Soc. p. 2. l. 2.

P. Franciscus Cordubensis, filius Ducis Cardonæ & Segorvæ, Societatem ingressus, sanctionem illam S. P. N. Reg. 11. Summ: quâ jubemur eo studio appetere & quærere nostri contemptum & confusionem, quo mundani quærunt honores & magni nominis existimationem; ad summum implevit, admiranda aviditate captans omnem occasionem vilipensionis sui, & quidquid vilissimi officij erat domi. Inter alia impetravit, ut curam gereret bestiarum & jumentorum in Collegio Salmanticensi: inter quæ cùm esset læsus & ulcerosus equus; studio per mediam civitatem eâ, quæ ad Academiam ducit, plateâ, cùm Academici numerosissimi è Scholis exibant, duxit eum in campum, stupente Universitate, Virum tantæ nobilitatis, & qui antè ejusdem Academiæ Rector fuerat, id agere singulari vultûs amœnitate & alacritate. Superior ubi id rescivit, improbavit, præsertim quòd eam viam tenuisset: at Franciscus humilitatis tantæ splendori lacernam ignaviæ obtendens; *Mi Pater*, ajebat, *ego, qua sum ignaviâ, eam viam elegi, quia breviorem adverti*. Aliàs cùm intellexisset, Fratrum quendam mittendum ad villam, pro emendis porcellis, qui domi nutrirentur; statim se in socium obtulit, evicitque multis precibus eam spartam, asserens: se talium negotiorum peritissimum; quod semper prætendebat, cùm occasio se deprimendi aderat. In via cùm è porcellis quidam defatigatus ægrè progrederetur: P. Franciscus eum in humeros recepit, portavitque ad eum modum, quo Pastor Evangelicus inventam ovem portans pingi solet. Ingenij licet præstantis esset, & præclari judicij; simplicem se tamen faciebat, & studio stulta aliqua subinde dicebat, ut pro fatuo haberi posset: invenitque tandem è juvenibus Scholasticis quendam, qui rudiori ingenio talia imputans, egregiè illum non rarò exagitavit. At Franciscus tantò magis hominem observabat, honorabatque: eique, quoties poterat, se socium adjungebat, ac sugillationi propinabat. *In Vita P. Alvarez c. 30.*

Insignem sui contemptum prodiderunt etiam par nobile fratrum, Melchior & Alphonsus Nunnez Barreti, Joannis Nunnez Æthiopiæ Patriarchæ ger-

chæ germani. Melchior vervecem humeris impositum per frequentissimam urbem portavit, pueris largo cachinno comitantibus. Alphonsus, ubi clam domo profugit, atq; in Societatem receptus est: æstu actus eodem in forum Conimbricense atratus & nudipes se proripuit; & infamem columnam complexus, cingulo tenus nudus, altâ voce misericordiam à flagellato JESU imploravit, attonitâ urbe. *Nadasi in Ann. Dier. Mem.*

Sic istos & plures alios Exemplum spreti & illusi JESU stultos fecit propter Christum. Utinam in nobis saltem minorem honoris nominisque nostri amorem operaretur!

DOMINICA III QUADRAGESIMÆ.

Tessera diei: *Amor meus ad iniquissimum Præsidem reducitur!*

MEDITATIO. *DEUS dum homines ei bellum movent, pacem facit: CHRISTUS ad Pilatum reductus solo se tuetur silentio; DEIpara V. expendit; quantæ molis sit hominem reconciliari DEO.*

1. ADora DEUM O. M. & considera divitias Bonitatis ejus in Christi passione planè profusas. Dum contra ipsum in armis sunt, & nil nisi cædem, imò Deicidium spirant, ipse quasi omnium ignarus, pacem componit, & amicitiam restaurat inter infensos sibi Principes, Herodem & Pilatum. *Et facti sunt amici Herodes & Pilatus in ipsa die: Nam antea inimici erant.* Luc: 23. imò pacem inter se & homines magno & inaudito opere promovet bonus DEUS, *in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans ipsis delicta ipsorum.* 2. Cor. 5. O DEUS, cujus pax exsuperat omnẽ sensum; amore tui, & patientis Christi tui, pono hodie odia omnia, & spiritum contentionis. Fiat, oro, pax in virtute tua & tecum & cum proximo meo omnibus diebus vitæ meæ.

2. ADora D. JESUM, & considera: quâ violentiâ barbarorum satellitum, quavè insolentiâ insultantis populi, iterum reductus fuit ad Pilatum. Pilatus autem *convocatis principibus Sacerdotum, & magistratibus, & plebe.* Luc: 23. instituit coram illis quæstionem; & cùm nihil probabilis delicti adferretur contra Jesum, dixit ad illos: *Obtulistis mihi hunc hominem, quasi avertentem populum; & ecce ego coram vobis interrogans, nullam causam invenio in homine isto ex his,* in quibus eum accusastis. Rectè dixit: Nullam causam *ex his*, in quibus eum accusastis: alia enim erat causa, ob quam ei moriendum erat: quia in se suscepit delicta nostra, *& dolores nostros ipse portavit.* Isa: 53. Aliud quoq; Innocentiæ, manifestum argumentum addidit Præses: sed neq; Herodes reum invenit. *Nam remisi vos ad illum; & ecce*

nihil

nihil dignum morte actum est ei. Gaudeo, mi JESU tam præclaris Innocentiæ tuæ testimonijs; Sed simul intimè doleo; quod his nil moti sint inimici tui, gens absq; consilio, plena odio, & rabie. Da mihi obsecro, animum mitem, & placabiles iras.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: eam, inter alias, quibus distinebatur, considerationes, sine dubio etiam huic intentam fuisse: quantæ molis sit reconciliatio generis humani cum DEO. Quanta jam passum sciebat Filium! & tamen Justitiæ divinæ nondum erat factũ satis. Vulnera, sangvis, mors amarissima requirebatur. Unde non raró ingemiscebat: O si attenderent homines; quàm grave sit hominem peccatorem inter & DEUM, difficilium: quandoquidem sine sangvine & morte DEI Filij non fit reconciliatio: Imprime, ô Mater dolorosissima, altissimè cordi meo hanc cogitationem; ut non præsumam attentare: quod tam difficulter potest complanari.

Propositum Innocentiam propriam non tuendi opportunè importunè.

LECTIO PRACTICA:

De multiplici silentio servando tempore adversitatis.

P. Nicolaus Lancicius S. J. Asceta egregius, prosperis adversisq; insigniter exercitus, opinionemq; non vulgaris Sanctitatis tum alijs virtutibus, tum heroica Patientia promeritus, in *Opusc. suo* 9. *de ferenda cruce persecutionis c.* 6. recenset Septuaginta Modos heroicum servandi silentium tempore persecutionis, & quarumvis adversitatum: quos ipsummet in Praxim deduxisse, colligi potest ex edita in lucem Vita ipsius, & recenti adhuc inter Nostros memoria gestorum ipsius. Notabiliores ex 70. propono pro praxi.

1. Adversarijs lacessentibus non rependenda verba mala, sed silentij clypeo utendum. *Quando aliquis nobis conviciatur, lacessit, ad violentiam provocat, ad jurgia vocat; tunc silentium exerceamus; tunc muti fieri non erubescamus. Hæc sunt arma Justi: ut cedendo vincat:* inquit S. Ambrosius l. 1. Offic. c. 5. Sic Christus egit: *Posui ori meo custodiam, cùm consisteret peccator adversùm me.* Psal. 38.

2. Si ignoras, noli quærere authorem vel cooperatores injuriarum tuarum. Rectè Seneca lib. 3. de Ira c. 11. *Non expedit omnia videre, omnia audire. Multæ nos injuriæ transeant. Non vis esse iracundus? Ne sis curiosus.*

3. Noli inquirere totum contextum & circumstantias dictorum vel gestorum contra te: nec animum applica ruminandis & expendendis auditis. *Qui malignos sermones, etiamsi secreto habiti sint, eruit: se ipse inquietat. Non quemadmodum facta sit injuria, refert: sed quemadmodum lata.* Seneca cit.

4. Noli te excusare, seu purgare, dum condemnaris iniquè: præsertim dum non auditus condemnaris. Sic Christus *quasi Agnus coram tondente se obmutuit: & non aperuit os suum*: Isa. 53. Importuna excusatio opportuna est suspicioni.

5. Dum interrogaris ab eo, qui habet jus sciendi, an deliqueris: ad id præcisè responde, quod sufficit ad interrogationem; non commemoratis rebus, vel circumstantiis, ex quibus patere posset innocentia tua, & adversarij culpa. Si tamen urgeat Superior; ut totum prodas: satisfaciendum ei.

6. Noli te purgare etiam coram ijs, à quibus scis, vel suspicaris, te accusatum: sed dissimula; ut majorem habeas materiam patientiæ. Imò nec ostende, tibi innotuisse injuriam: nec coram ijs te purga, qui addicti sunt accusatoribus tuis.

7. Nec coram ijs te purga, vel querelas depone, qui te vel defenderent, vel saltèm compaterentur tibi. Imò simpliciter alijs crucem tuam non revela. Quia sic eam imminueres capto solatio aliquo: nisi fortè indigeres omnino consilio, vel malum tertij impediendum esset. *Justi est, dissimulare, nihil loqui, contentum esse gravitate morum suorum*: ait S. Ambros. cit.

8. Noli quærere defensorem inter homines: imo nec DEUM voca in defensionem tuam, (quàmvis id licitè fieri posset) nedum in ultionem injuriæ, & manifestationem innocentiæ tuæ, aut ut aliquo te recreet solatio. Solùm solicita eum: ut det heroicam Patientiam; & sic, quantum est ad gloriam ejus, aggravet calamitatem tuam. Iniquus enim eris in te ipsum, si volueris te privare tanto bono, quantum est, amore DEI pati innocenter.

9. Si sermo faciendus sit de adversario tuo; abstine à verbis contumeliosis & cognominibus indecentibus: quin potiùs utere nominibus honorificis, & cum illo, atque de illo age ut amico & benefactore speciali. Sic David agens de capitali hoste suo Saule, nunquam eum appellavit vel homicidam, vel insanum, vel tyrannum &c. sed Regem & Dominum, imò & Patrem suum, & Christum Domini.

10. Neminem roga directè vel indirectè: ne, quæ de te dicuntur sinistra, spargat ulteriùs. Id enim esset, velle subterfugere crucem: quod non decet Socium JESU.

11. Nec directè, nec indirectè impedias ullum; ne te accuset, vel sinistrè de te loquatur, aut agat aliquid contra te. Multò minùs argue illos, aut aversum te ostende ab illis, qui ex officio, vel errore, aut boni communis intuitu, de te aliquid mali detulerunt ad Superiores: vel ex levitate & inconsiderantia sparserunt inter alios.

12. Noli

12. Noli petere: ut inquiratur in ea, quæ de te dicta sunt falsò, aut cum nimia exaggeratione. De delatore vel accusatore nihil dicas, quod dictis ejus fidem abrogare posset.

13. Noli producere, etiam datâ aliunde occasione, benè à te gesta: ex quibus indirectè dilui possent calumniæ irrogatæ.

14. Noli coram alijs loqui, præsertim cum exaggeratione, de præsentis crucis tuæ aut præteritarum, gravitate, iniquitate &c sed sequere consilium Christi, datum P. Balthasari Alvarez, magnis persecutionibus iniquè exagitato: *Conquiesce, & in hoc solare: quòd hæc tua pressura geratur vidente DEO qui, etsi posset, non tamen illam removet; etiamsi plus te diligat, quàm tu te ipsum.* In Vita c. 40.

Hæ sunt heroici silentii Maximæ, ex Christi Patientis altissimo silentio deductæ. Æstima & Sile.

FERIA II:

Tessera Diei: *Amor meus latroni postpositus!*

MEDITATIO: *DEUS terret Pilatum per uxorem: Barabbas CHRISTO præponitur: DEIpara V. vadit, ut Filium videat.*

1. ADora D. O. M. & considera benignissimam ejus Providentiam; quâ constitutis in gravi, & præsenti periculo peccandi suppeditare solet opportuna lumina & auxilia ad resistendum necessaria. Validis machinis trahebatur Pilatus à Judæis, & Orci ministris, ad immane facinus Deicidii. Inter alia, quæ bonus DEUS adhibuerat media, ad eum retrahendum, adhibuit & uxorem, cujus apud maritum prima solet esse gratia, subinde etiam authoritas. Terrifico somnio per Angelum immisso illam inquietaverat: unde mulier, consternata, misit ad Virum pro tribunali sedentem, monens: *Nihil tibi & Justo illi: Multa enim passa sum hodie per visum propter eum*, Matth. 27. Valuit aliquid hoc monitum; ut nimirum cogitaret diligentiùs Pilatus de medijs eliberandi JESUM; sed non prævaluit. Sic malè fortes sumus contra DEUM. At ego tibi, summe DEUS, ultrò cervicem submitto. Jube, quod vis, & da, quod jubes. Absit à me, ut iterum crucifigam Filium tuum.

2. ADora D. JESUM, & considera: quàm ignominiosè misericors, quàm iniquè justus in illum fuerit Pilatus. Liberare cùm vellet, proposuit eum populo unà cum Barabba, insigni latrone, ut, pro more, in gratiam Paschalis Solemnitatis unum ex duobus peterent dimitti liberum; *Quem vultis dimittam vobis? Barabbam, an Jesum, qui dicitur Christus.* Non

 dubita-

dubitabat, petendum JESUM. Sed contrà sors cecidit. *Principes Sacerdotum & Seniores persuaserunt populis, ut peterent Barabbam, Jesum verò perderent.* Matt. 27. Quot, & quantos Patronos habet Latro, JESUS neminem! Exclamavit autem universa turba dicens: *Tolle hunc, & dimitte nobis Barabbam.* Luc. 23. Quantæ injuriæ? Pilatus comparat DEI Filium latroni; & optioni illum permittit. Principes Sacerdotum dementant populum; ut latronem servent, authorem vitæ perdant: Populus insanus latronem libertati, JESUM morti addicit! Quid scelestius & dementius populo illo cogitari potest? & tamen sic insanimus ipsi; quotiescunque peccando postponimus DEUM bono creato: facimus autem hoc, quotiescunque graviter peccamus. Heu me infelicem! Doleo, detestor, Domine,. Miserere!

3. VEnerare DEIparam V. & considera: quomodo post multos angores, tædia, dolores, domi toleratos (videtur in eadem domo, in qua ultima cœna peracta est, commorata fuisse) tandem decreverit ad locum opportunum se conferre, unde videret: quid ageretur cum Christo: *Surgam, & circuibo civitatem; per vicos & plateas quæram: quem diligit anima mea.* Cant. 3. Non deerant: quæ retraherent; atque inter alia dolor longè sensibilior ex cominùs inspectis Filij calamitatibus inauditis. Sed prævaluit affectus maternus; & anima, quæ magis erat, ubi amabat, quàm ubi animabat, pertrahebat & Corpus ad JESUM (non habitâ ratione augendorum dolorum) ad assistendum ei usque ad extremum vitæ; etiamsi contingeret in eadem configi cruce. O si & anima mea, non obstantibus quibusvis difficultatibus, sic eluctaretur ad JESUM: Quæ incitas exemplo; adjuva impetratis gratijs, o dolorosissima Mater.

Propositum de fugiendo quovis mortali peccato.

LECTIO PRACTICA.

De inæstimabili contemptu, quem peccans mortaliter irrogat Deo.

QUis credidisset: eò usque invalescere potuisse insaniem & rabiem Judæorum in Christum; ut mallent latronem dimitti liberum, modò Christus ageretur in crucem? Ringimur Christiani, & meritò fremimus in gentem insanam ac rabidam: sed ipsi non magis pij & benigni sumus in Deum ac Dominum nostrum, quoties mortaliter peccamus. Quoties enim se nobis offert occasio graviter peccandi, proponitur nobis Barabbas & Christus: id est, Actus peccaminosus cum bono aliquo creato, & DEUS cum gratia & amicitia sua. Actus peccaminosus non solùm est latro insignis, sed latronum omnium pessimus: cùm non solùm bonis omnibus temporalibus & æternis spoliet nos; sed insuper morte afficiat æterna, æternisque subjiciat tormentis. Deus

tis. DEUS autem est Author, Conservator & Assertor vitæ nostræ tam temporalis, quàm æternæ: sine quo nec vivere, nec esse possumus; cum quo esse possumus æternùm beati.

Datur ergo nobis in tali occasione optio, seu libera electio: *Quem vultis?* DEUM cum gratia & amicitia sua atque beatitudine æterna: an Actum peccaminosum cum momentanea voluptate & supplicijs æternis? Suadet recta ratio, urget conscientia: ut DEUM, Summum Bonum, summè in nos benevolum, & beneficum, præferamus, in ipsius amicitia persistamus, & à Creatore atque naturali gratiosissimoque Domino nostro non deficiamus. At, quæ est pravitas nostra, prævalet non raró insana concupiscentia, persuadetque, ut terga vertamus DEO, & in amplexum apparentis alicujus creati boni ruamus, nihil soliciti de eventibus futuris. Quo quid insanius? quid indignius, aut DEO injuriosum magis?

Ad declarandam gravitatem hujus contemptus Divinæ Majestatis & Bonitatis; advertendum: dupliciter alicui irrogari contemptum; scilicet per Judicium intellectûs, & per Affectum voluntatis. Primo modo contemnimus aliquem, quando eum judicamus indignum honore & cultu nostro. Hoc modo DEUS ab ijs, qui de summa ejus Excellentia notitiam habent, contemni non potest; nisi fortè, quando passionis alicujus vehementiâ ita obscuratus est intellectus: ut magis advertat ad gravitatem alicujus incommodi, quod hic & nunc homo à DEO sibi iniquè illatum putat, quàm ad dignitatem ipsius. Altero modo contemnimus aliquem, quando, etiamsi nobis constet de ejus dignitate & eminentia, tamen hic & nunc, propter aliquam apparentem causam, ei negamus debitum honorem seu cultum, & longè viliores ei præponimus; ab illo iniquè deficimus, & his toto corde adhæremus; illius gratiam & amicitiam, oblatam vel acquisitam, respuimus, hos in pretio & amore habemus. Hoc igitur modo contemnitur Deus, quoties lethaliter peccamus. Avertimur enim liberè ab ipso, & convertimur ad aliquod bonum creatum, quod ei præferimus si non per judicium mentis, certè per affectum & adhæsionem voluntatis. Et est contemptus iste tantò gravior, quantò major est advertentia ad dignitatem & excellentiam divinam supremam, quâ meretur omnib9 omninò reb9 & personis, commodis & quibuvis aliis, præferri; ut appretiativè per æstimationé, ita affectivè per electioné & prosecutioné.

Illustrari is contemptus potest inductione ex creatis. 1. Si aulicus, idemque subditus, maximi alicujus Principis, ab ipso solicitatus ad fidele obsequium, promissis magnis gratijs, & amicitiâ intimâ, in conspectu ejus transeat ad quempiam de plebe Principi perduellem, ostentantem ipsi vitream

aliquam gemmam, vel poculum vini: nonne is gravissimum Principi suo irrogabit contemptum? 2. Si filius viri nobilis, cui, unicè dilecto, pater opulentam paravit hæreditatem, & splendidam donavit aulam, ex eadem ejiciat ipsum patrem, & lixas atque meretrices inducat; si idem filius matrem suam relèget ad ancillas, prostibulo autem alicui primum ad mensam suam locum tribuat: numquid palmaris is erit contemptus? 3. Si agrestis puella, à Principe suo in sponsam lecta, & amplissimis oblatis thesauris variisque blandimentis ad unicum ejus amorem invitata, tergum ei vertat, thalami consortium neget, & amores suos in quempiam de fæce famulorum transferat; num modicus videbitur contemptus? At infinitè major est, quem irrogamus DEO, Domino, Patri ac Sponso animarum nostrarum, Filioque ipsius Redemptori nostro & Principi gratiosissimo; dum nos ad lethale peccatum resolvimus, & Barabbâ incomparabiliter pejorem præferimus ipsi. Qui contemptus tam gravis & inhumanus visus est Apostolo, ut Hebr. 6. dicat; ab hujusmodi peccatoribus *iterum crucifigi Filium DEI, & ostentui haberi.* Et c. 10. 28. *Conculcari Filium DEI, Sanguinem ejus pollui, & Spiritui gratiæ contumeliam fieri.* Absit ab anima fideli, nedum religiosa, tantum nefas.

FERIA III.

Tessera diei: *Amor meus deposcitur ad Crucem!*

MEDITATIO. *DEUS quàm feros in se experitur homines: CHRISTUS à Judæis deposcitur ad crucem: DEIparam V. concursu malignantis populi affligitur.*

I. ADora DEUM O. M. & considera: quantum ab ejus gratia pendeat humanitas & probitas hominum: quàmvè feri evadunt homines, & belluis similes redduntur, dum sibi relinqvuntur, ut agant secundùm desideria cordis sui, & impetu passionum suarum agantur. Conqueritur DEUS Jeremiæ 12. de populo suo electo, & Filij loco habito: *Facta est mihi hæreditas mea, quasi Leo in sylva, dederunt contra me vocem suam,* & Psal. 21. *Aperuerunt super me os suum, sicut Leo rapiens & rugiens.* Quòd vel maximè apparuit in passione Christi: ubi nec politicis artibus Pilati, nec innocentiâ & mansvetudine Christi summâ, nec horrenda ejus flagellatione & miseranda specie placari poterant. O DEUS clementissime, quidquid mihi ademptum volueris, cedo libenter; gratiam tantummodò tuam ne auferas à me, quia mihi relictus belluæ similior, quàm homini ero.

2. ADora D. JESUM, & considera: quàm vilis & exosus fuerit Judæis, nulli ipsius supplicio acquiescentibus, nisi viderent suspensum in cruce. Parùm erat, lapidibus obrui, aut præcipitio collidi, aut gladio jugulari; Crucem, servile simulq; immane tormentum, expediri urgent. Liberato Barabba, petit Pilatus: *quid igitur faciam de JESU, qui dicitur Christus? Dicunt omnes: Crucifigatur.* Matt. 27. Vrgente Pilato: *Quid enim mali fecit?* Non prætendunt aliquod facinus: *sed illi magis clamabant;* dicentes: *Crucifigatur.* Dirè flagellatum, & ignominiosè coronatum spinis, cùm non sine commiseratione, exhibuisset illis JESUM, dicens: *Ecce homo; Pontifices & ministri,* magis efferati, *clamabant dicentes* Crucifige, *Crucifige eum.* Rursum post modicum temporis ad humanitatem & commiserationem solicitante Pilato; *Ecce Rex vester. Illi autem clamabant: Tolle, tolle, crucifige eum.* Id tanquam absurdissimum cùm refugeret; *Regem vestrũ crucifigam?* Responderunt Pontifices: *Non habemus Regem, nisi Cæsarem.* Quisquis sit JESUS, *Crucifigatur.* Horrenda & summa malitia; quæ expleri non potest, nisi summo malo. Compatior tibi, afflictissime JESU, ad mortem turpissimam à gente tua postulato. Da gratiam; ut saltem leves reprehensiones pro delictis meis patienter feram.

3. VEnerare DEIparam V. & considera quàm graviter afflicta fuerit, quando vidit confertissimo populo fervere plateas & compita, confluere undiq; turbam, præ cæteris accelerare gradum Pharisæos, omnes convolare ad Prætorium Præsidis, ad videndum: quem tandem exitum sit habitura causa tam famosi, sive Prophetæ, sive, ut tunc jam existimabant, seductoris. Ex omnibus advertit neminem, qui propensum in JESUM affectum verbulo testaretur: quin potius advertit *veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem.* Psal. 13. Ipsa infracto animo corpus sustentans, ibat quærens dilectum votorum suorum. Condoleo tibi, afflictissima Mater & oro; ut me assumas in comitem viæ tuæ, ut pari pietatis ardore, quæram dolentem meâ causâ JESUM.

Propositum non declinandi cruces imminentes.

LECTIO PRACTICA:

De non declinandis crucibus.

QUa contentione Christum Judæi, eâdem, quàmvis dissimili quidam affectu, ad crucem deposcunt nos varij. Deposcit inprimis Justitia Divina ob læsam Majestatem Supremam. Cùm enim omne peccatum sit Offensa Divina; ut communis docet Theologorum & Ascetarum sensus; siquidem adversatur æquissimæ DEI voluntati, summæ Majestati & Jurisdictioni, &

ni, &

ni, & infinitæ ejus Bonitati: Vindex Justitia zelatur pro honore divino; reosque deposcit ad crucem, minimùm temporalem. *Cuncta, quæ fiunt, adducet DEUS in judicium pro omni errato.* Eccl. 12.

Deposcit 2. ipsa Misericordia Divina: nimirum ad crucem temporalem multâ clementiâ imminutam; ut evadamus æternam, infinitâ tormentorum acerbitate intolerabilem. Unde suavissimam divini Spiritûs dispensationem prædicat Sapiens: *O quàm bonus & suavis est, Domine, Spiritus tuus in omnibus! Ideoque eos, qui exerrant, partibus corripis;* non toto pondere suppliciorum promeritorum: *&, de quibus peccant, admones, & alloqueris;* ut scilicet maturè fugiant à ventura ira, & temporali potiùs hujus vitæ, quàm alterius, humeros ultrò subjiciant cruci.

Deposcit 3. Christus Redemptor, in quem non solùm multâ ingratitudine peccamus, sed quotidianas in omni vitiorum genere cumulamus offensas, Sanguine & Bonitate ejus abutentes, sanctissimamque pariter ac levissimam ejus Legem passim violantes. Cùm enim Pater omne judicium dederit Filio, ut reddat unicuique secundùm opera sua; nec conveniat, hominum delicta prorsus impunè transmittere: paratas habet cruces, quibus affigantur ij potissimùm, qui non reservantur igni æterno. Verùm & alios, eosque gratiosiores, habet Gratiosissimus Deus titulos, quibus nos ad crucem vocat: scilicet Titulum conformationis servorum cum Domino suo; *Qui non accipit crucem suam, & sequitur me; non est me dignus:* Matth. 10. Titulum quoque Magisterij in Schola Sapientiæ æternæ, in qua ad immarcessibilem gloriæ lauream non nisi è Cathedra Crucis conscendunt discipuli. *Qui non bajulat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus.* Luc. 14. Titulum præterea hæreditatis cœlestis, quam sine cruce non adeunt ætate provecti. *Si quis vult post me venire,* tum ad palæstram virtutis, tum ad gloriam regni cœlestis: *abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Matt. 16. Sine cruce nec sequi Dominum servi, nec assequi Magistrum discipuli, nec Primogeniti cohæredes esse possumus.

Deposcunt nos 4. ad crucem ij, quibus injuriam aliquam seu incommodum intulimus. Quòd si taceant ipsi, & contra nos justitiam divinam non solicitent: perorat pro ipsis Charitas læsa: ut quâ mensurâ mensi fuimus, eâdem remetiatur nobis; quam alijs imposuimus crucem, feramus ipsi. Hinc justo DEI judicio non infrequenter videmus exigi pœnam talionis.

Deposcunt 5. Satellites Justitiæ Divinæ, Stygij lictores: ut scilicet per adversitatum molestias ad impatientiam nos deducant, incitentque jam ad malas artes, quibus immissas cruces excutiamus, jam ad murmura & contumelias

melias tum in homines, tum in ipsum DEUM jaciendas: Sic contra justum Job institerunt: ut cui immissæ cruces non poterant servire in supplicium propter notoriam Viri innocentiam; saltèm imponerentur in virtutis experimentum. *Extende paululùm manum tuam, & tange cuncta, quæ possidet: nisi in faciem benedixerit tibi.* Job. 1. Et rursùs c. 2. *Tange os ejus & carnem: & tunc videbis, quòd in faciem benedicat tibi.*

Tot tantisque exactoribus & instigatoribus, *Tolle, tolle: Crucifige, crucifige eum;* quomodo evademus aut declinabimus cruces? *Est, qui declinet aliquas, sed incidit proculdubio in graviores:* inquit S. Bernardus Serm. de Obed. pat. & sap. *Ipsos Electos DEI cernimus & pia agere, & crudelia multa tolerare:* ait S. Gregorius l. 9. Mor. c. 35. Reliquum igitur est: ut potiùs fortiter alacriterque post Christum ferendis, quàm declinandis, crucibus intenti simus; humeros oneri, non pedes fugæ paremus. *Non est discipulus super magistrum, nec servus super dominum suum. Sufficit discipulo, ut sit sicut magister ejus, & servo sicut dominus ejus.* Matt. 10. *Non est servus major domino suo. Si me persecuti sunt, & vos persequentur.* Joann. 15.

FERIA IV.

Tessera diei: *Amor meus dirissimè flagellatus est!*

MEDITATIO: *DEUS peccata carnis nostræ castigat in Filio: CHRISTUS crudelissimè flagellatur: DEIparæ V. quàm dolorifera ea flagellatio.*

1. ADora DEUM O. M. & considera: quàm abominabilia ipsi sint peccata carnalia, utpote Spiritui purissimo & perfectissimo. Prodidit affectum suum apertissimè imprimis Genes. 6. *quando pœnituit eum, quòd hominem fecisset, & tactus dolore cordis intrinsecus, dixit: Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum;* quia caro est. Et: *Delebo hominem; quem creavi, à facie terræ;* delevitque luctuosissimâ strage. Deinde, quàm horribili incendio delevit Sodomam, & alias 4. civitates? Quàm terribile edictum promulgavit per Apostolum Rom. 8. *Si secundùm carnem vixeritis, moriemini:* idque non temporali solùm, sed æternâ, & semper sensibili, morte! Maximè autem id declaravit in Filio; quando in illo hujusmodi peccata tam crudeli flagellatione castigavit: *Attritus est propter scelera nostra.* Isa. 53. *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores.* Psal. 128. Et adhuc blandiemur & serviemus carni nostræ? Filius tam dirè castigatur; & adhuc lascivient servi?

2. ADora D. JESUM, & considera: quàm crudeliter fuerit flagellatus! 1. Totus fuit nudatus coram innumera hominum multitu-

dine. 2. Arctissimè funibus adstrictus columnæ. 3. Complexione corporis fuit tenerrima. 4. Instrumenta flagellationis fuerunt virgæ & lora, ut quidam volunt, stimulis ferreis horrida. 5. Lictorum rabies summa. *Irruerunt in me fortes.* Psal. 58. 6. Plagarum numerus ingens: aliquot millia fuisse ex varijs revelationibus constat. 7. Extensa fuit flagellatio per totum corpus ita: *ut à planta pedis usque ad verticem non fuerit in eo sanitas.* Isa. 1, v. 6. *Concidit me vulnere super vulnus.* Job. 16. Denique tam miserè conciso corpori nulla adhibita fomenta: *Vulnus, & livor, & plaga tumens non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo.* Isa. 1. Sic flagellatus, laceratus, laniatus est propter me Dominus meus & Deus meus: & ego adhuc voluptati operam dabo? Non faciam, mi Jesu, non faciam! Pudet, pœnitet: Parce per vulnera tua.

3 VEnerare Deiparam V. & considera: quanta illam involverit dolorum tempestas in horrenda illa Filii laniena. Præsentem adfuisse, & spectâsse; habetur in Revelationibus S. Brigittæ Libr. I. cap. 10. & Libr. 4. cap. 70. Nullâ opus est exaggeratione; illud cogitare sufficit: Mater erat; & talis Filii Mater! O Mater afflictissima, intimè tibi compatior: sed væ mihi, qui per lictores illos, sic desævii in te & Filium tuum! Non ampliùs, Domina, non ampliùs! Parce, & impetra gratiam.

Vide denique: quomodo deinceps, ac hodie potissimùm corpus tuum tractes.

Propositum castigandi pro merito corpus proprium.

LECTIO PRACTICA:

Castigandum corpus, & in servitutem redigendum.

NOn ij tantùm, qui studio perfectionis unicè intenti sunt, vitamque agere volunt spiritualem; sed quicunque è gravi propriæ carnis servitute eluctari conantur: in id continuò intenti sunt, ut varijs mirisque modis castigent corpus suum, & in servitutem redigant. Moventur & incitantur duplici potissimùm motivo. Inprimis quia illud non alio, quàm hostis domestici & inevitabilis loco habent; suspiciuntque carnem suam oculis S. Ambrosij, scribentis in c. 12. Luc. non aliter, quàm ut *Libidinum volutabrum, diversoriumque vitiorum*: seu, ut idem Sanctus lib. de Arca & Noë c. 5. ait: ut Locum quendam voluptatis vetitæ: ac fontem, ex quo prorumpunt concupiscentiarum pessimarum flumina, navigium mentis, excusso gubernatore, demergentia. Deinde armantur in illam implacabiliter, viso innocentissimo Divinoque Christi Salvatoris ac Domini sui Corpore, tam dirè conciso ac laniato, ad expianda delicta carnis nostræ. Intelligunt enim; quomodum copiosam quidem fuisse Christi satisfactionem; nihilominus, mo-

nentem

nente Apostolo Coloss. 1. 24. restare quædam *adimplenda in carne nostra, quæ desunt passionum Christi.* Imò si nihil omninò deesset, & ex parte nostra requireretur: *Anima amore Christi vulnerata, non potest esse contenta, nisi ipsum quoque Corpus vulneretur:* inquit P. Balthasar Alvarez; in Vita c. 4. Unde P. Adrianus Crucius Societatis nostræ, cùm acriter flagellis in se desæviret; identidem se magis magisque incitabat, dicens: *Adriane, Sanguinem pro Sanguine.* Sanè, si quispiam profligatæ conscientiæ, qui nullis rationibus moveri poterat ad pœnitentiam, ubi vidit S. Xaverium terga nudantem; illicò manus dedit, & se ipsum plagis obtulit: quid non operari oportet in nobis diluvium Divini Sanguinis è Virgineo Salvatoris nostri corpore profusum? Æquissima DD. Bernardi & Bonaventuræ vox circumfertur; *Nolo vivere, Domine, sine vulnere: quia te video vulneratum.*

Incitati hoc spectaculo inter aularum delicias educati principes & reges; mirum est, quàm hostiles in corpus suum gesserunt animos, quàm profusi fuerint proprij sanguinis, Casimiri, Venceslai, Henrici, Borgiæ, Aloysij, & milleni alij; quibus non cesserunt masculo animo tenellæ Virgines innumeræ. Si fundendo sanguini defuit tyrannus; Amor JESU flagellati agebat vices, misitque ad fortia imbelles manus; ut ex innocenti corpusculo ferè lacteum adhuc offerrent sanguinem sanguinum sponso.

E Societate nostra inter alios P. Rodericus Deza anno 1660. defunctus, Vir Apostolicus, tam dirè in se flagris sæviebat, ut horrendum esset, audire strepitum ictuum vibratorum. Faciebat verò id varijs & crudelibus instrumentis. Nam præter flagra consueta habebat alia stellulis metallinis armata: è quibus unum constabat 7. funiculis, in quorum singulis erant complures nodi, infectis 16. stellis è metallo acutis. Unde centenarum & pluriumi illarum stellularum & pondere & aculeis altiùs impressis miserè lacerabatur caro. Habebat & cilicium è setis, aliudque è filis ferreis aculeatum, de quo lignea crux, clavis ferreis prominentibus armata pendebat, pectusque lacerabat. Si quando subuculam gestabat lineam, ipsam quoque ferramentorum acuminibus in lanienam armaverat. Persuaserat cuidam de sua Congregatione, quam regebat; ut ipsum, cingulo tenus nudatum, toto pectore & dorso in tenebris cæderet, tam inclementer, ut alter tandem id genus ministerij religioni sibi duxerit, præsertim cùm ter in diem subinde repetendum esset. *Nadasi in Ann. Dier. Mem. 15. Jan.*

Magis miranda sunt, quæ de Flagellationibus P. Gasparis Druzbicki refert Daniel Pawłowski in ejus Vita cap. 9. firmatque relationem suam narratione B. Petri Damiani de Flagellationibus S. Dominici Loricati, qui quo-

tidie per duo Psalteria recitata, ad singulos Psalmos ictus centum scopis, seu virgis, quibus utramque manum armaverat, sibi infligebat, excrescente plagarum numero usque ad triginta millia. Pater Gaspar intra diem & noctem ad quindecim plagarum millia perveniebat, quotidiana duodecies repetita castigatione. Utebatur autem, præter flagella varia, virgis, pectinibus ferreis, & hemisphærico quodam globo aciculis acutis instructo, quas corpori imprimebat. P. Ludovicus de Ponte carnificem corporis sui agere visus est tam immitem: ut Angeli, quodammodo miserti hominis, vulnera ejus quandoque curaturi adfuerint: qui etiam Defuncti cadaveri visi sunt adstitisse. Hæc Flagellati JESU amor in his & plurimis alijs: quid in nobis?

FERIA V:

Tessera Diei: *Amor meus spinis coronatus est!*

MEDITATIO: *DEUS arrogantiam nostram plectit in Filio: CHRISTUS spinis coronatur: DEIparæ V. dolor.*

1. ADora DEum O. M. & considera: quomodo deprimit & plectit in Filio fastum & arrogantiam nostram. Nos efferimus caput usque ad nubes vanissimarum imaginationum nostrarum & quasi in cœlo ponimus os nostrum: amamus coronari rosis, lauro, gemmis & auro; piget terram calcare, delectat super capita hominum ambulare; & quò se non extendit fastus noster, hominibus gravis, DEO injuriosus & intolerabilis? Regem igitur gloriæ, Filium suum, voluit DEUS spinis coronari ad deprimendam & expiandam superbiam nostram: ut deinceps puderet membra spinosi capitis ambire indebitos honores, vel debitis insolescere. O Magne Deus, Tibi & filio tuo laus, honor & gloria in sæcula: nobis autem opprobria & confusio faciei nostræ!

2. ADora D. JEsum, & considera: quàm plena ignominiæ & doloris fuerit ei coronatio illa. Nam 1. instituta fuit ad ludibrium ejus accusati de affectato regno. 2. Tormentum hoc fuit præcipuæ partis in corpore Christi: scilicet, Capitis. 3. Spinas illas longe fuisse longiores & fortiores spinis nostris, apparet in ijs, quæ ex corona Christi in varijs Ecclesijs servantur. 4. Quia spinæ illæ non solùm cutem capitis & frontis, sed etiam ossa penetrârunt, usque ad cerebrum. 5. Furentes illi milites non tantùm magnâ vi spinas adegerunt in caput Christi: sed etiam crassâ durâq; arundine *percutiebant caput ejus* Matt. 27. Egredimini jam Filiæ Sion, animæ prævaricatrices, & videte Regem vestrum, in diademate, quo coronavit eum impietas vestra. Videte, an jam deceat sub capite sic coronato membra

membra esse delicata? Agnosco, & adoro te, mi JEsu, etiam in spinea hac corona Dominum, & Regem meum. Tibi serviam: etiamsi in hac vita non aliud dederis stipendium, quàm adversitatum spinas & tribulos tribulationum.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: quanta dolorum ei creverit seges ex spinea corona Christi. Vidit caput verendum Angelis, longè aliâ specie, quàm quale in Cantico Sacro legit. Vidit rhamnum obtinuisse regnum, & dominari capiti divino: vidit spinas per frontem prominentes, largosque cruoris rivos per frontem, oculos, genas defluentes. Vidit *Filium, & non erat ei aspectus: sed quasi absconditus vultus ejus & despectus.* Isaiæ 53. Vidit similiorem arieti illi, Genes. 22. hærenti inter vepres, quàm Filio hominis. Proh! quàm profundè intrârunt & laniârunt cor Matris spinæ illæ! O Mater afflictissima compatior animitùs dolori tuo inexplicabili; & oro: Libera conscientiam meam ab aculeis præteritorum peccatorum, per veram pœnitentiam: & infige cordi meo profundissimè aculeos spinarum Filij tui: ut semper mihi hæreant in viva memoria, & sincera compassione.

Propositum, spinas potiùs tribulationum, quàm rosas voluptatum captandi.

LECTIO PRACTICA:

Spinea potiùs quàm rosea corona prensanda.

PEtulantis & temerariæ juventutis est illud Sap. 2. *Coronemus nos rosis antequam marcescant.* Non duraturum, sed horarium ambiunt decus: Coronam quærunt pulchram potiùs, quàm pretiosam; florem præferunt gemmis. Maturæ virtutis, & Christianæ prudentiæ est præferre fluxis solida, speciosis pretiosa, jucundis necessaria, rosis spinas, dum in hoc mundo exulamus. Unde celebratur orbe toto D. Catharinæ Senensis prudentia singularis: quòd ex oblatis sibi coronis, aureâ & spineâ, elegerit spineam cum magna ipsius Christi approbatione. Et notandum diligenter est: quòd, quàmvis spinæ tribulationum non sint intextæ rosis: at rosarum loco insertas habet spinea hujusmodi corona gemmas pretiosissimas, quales in nullis mundi thesauris reperiuntur, quarum valorem solus negotiator cœlestis condigno pretio compensare potest.

Docuit hoc disertè Dominus S. Brigittam per S. Agnetem M. lib. 4. Revel. cap. 124. Adspectabilis illi facta S. Agnes: Veni, inquiebat, filia, & impone tibi coronam factam ex 7. lapidibus pretiosis. Quid verò est corona, nisi probatio Patientiæ, quæ ex tribulationibus conflatur, & à DEO lapidibus adornatur? Primus igitur lapis coronæ Jaspis est, quem apposuit il-

fuit ille tibi, qui contumeliosè dixit, se nescire, quo spiritu loquaris, & esse tibi utilius, mulierum more, subtiliùs filare, quam de Scripturis disputare, Ideò sicut Jaspis acuit visum, & accendit gaudium animi: sic DEus ex tribulatione accendit gaudium in animo, intellectum illuminat ad spiritualia, mortificatque animam à motibus inordinatis. Secundus lapis est Sapphirus; & hunc imposuit ille tibi, qui favorabilia loquebatur in facie tua, & in dorso detrahebat de te. Sicut igitur Sapphirus est cœlestis coloris, & servat membra in sanitate: sic hominum malitia probat justum; ut fiat cœlestis, & servet membra animæ, ne superbiâ elevetur. Tertius lapis est Smaragdus: hunc apposuit tibi ille, qui dicebat; te dixisse ea, quæ nec cogitabas, nec loquebaris, Ideo sicut Smaragdus est fragilis ex se, sed tamen pulcher & viridis: sic mendacium citiùs annihilatur, sed tamen pulchram facit animam propter patientiæ remunerationem. Quartus lapis Margarita: Hunc apposuit tibi ille, qui Amicum Dei te præsente vituperavit, ex cujus vituperio plus turbabaris, quam de tuo. Ideo sicut margarita est alba, & pulchra, & alleviat cordis passionem: sic dolor caritatis introducit DEum in animam, compescitque passiones iræ & impatientiæ. Quintus lapis est Topazius: hunc apposuit ille tibi, qui amara loquebatur tibi; cui tu è contrario benedixisti. Ideo sicut Topazius est aurei coloris, & servat castitatem & pulchritudinem; sic nihil pulchrius & acceptius est DEO, quàm lædentem se diligere, & pro persequentibus orare. Sextus lapis est Adamas: hunc apposuit ille tibi, qui fecit tibi corporale damnum, quod patienter tolerasti, & noluisti eum dehonestare. Ideo sicut Adamas non frangitur tunsionibus, sed sanguine hirci; sic placet DEO, hominem oblivisci, & negligere propter DEum damnum corporale, & cogitare semper ea, quæ DEus propter hominem fecit. Septimus lapis est Carbunculus: hunc apposuit ille tibi, qui falsa nunciavit tibi; id est, filium tuum Carolum esse mortuum; & patienter tulisti, committens voluntatem tuam DEO. Ideo sicut Carbunculus lucet in domo, in annulo est pulcherrimus: sic homo, qui patiens est in amissione alicujus rei charissimæ sibi, provocat Deum ad dilectionem sui; & in conspectu Sanctorum lucet & placet, sicut lapis pretiosus. Ideo, Filia, sta stabilis: quia pro amplianda corona tua adhuc aliqui lapides sunt necessarij. *Hæc per S. Agnetem DEUS, ad magnam ædificationem & consolationem tribulatorum.*

Observandum autem 1. Quòd lapides pretiosi in corona S. Brigittæ dicantur quidem appositi ab ijs, qui ei materiam doloris & patientiæ suppeditârunt dictis vel factis: sed ab illis prodierunt rudes & scabrosi; DEus autem

& pa-

& patientia nostra affundit illis splendorem, pretiumque facit. 2. Gemmarum loco habenda esse dicta acerba & facta contra nos. 3. Patientum constanter, ut tota absolvatur corona & pleno rutilet decore. 4. Quomodo adhuc in hac vitâ verificatur de homine Patiente, illud Psal: *Posuisti in capite ejus Coronam de lapide pretioso.* Hanc ambiamus, non tam ad spinas, quàm gemmas illis insertas, attendentes.

FERIA VI.

Tessera diei: *Rex Amor meus ludibrio traducitur.*

MEDITATIO: *DEVS patitur regiam Christi dignitatem ludibrio traduci: CHRISTO illudunt milites: DEIparæ V. dolor.*

1. ADora D. O. M. & considera: Quomodo post atrocissimam flagellationem adhuc passus sit crudeli ludibrio traduci Christum suum, qui ab æterno constitutus fuit *Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus* Psalm. 2. Fuerat aliàs DEus ardens Zelator honoris Regum suorum, uti & Prophetarum: *Nolite tangere Christos meos, & in Prophetis meis nolite malignari:* Ps. 104. Unde cùm solam chlamydis oram præcidisset in spelunca David: *percussit* illicò eum *cor suum:* incitatus autem à suis ad necem Saulis, disertè protestatus est: *Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem, ut mittam manum meam in eum: quia Christus Domini est.* 1. Reg. 24. At in Filium, Regum Regem, passus est DEUS omni genere crudelitatis & ludibrij grassari Judæos & impios satellites, Christo ad omnia connivente. Exemplum proponere atque altè menti imprimere voluit Principum, & quorumvis aliorum officio vel ætate provectiorum: ut minorum vel inferiorum falsos jocos, imò sannas & ludibria tolerare discerent; nec statim diras ac fulmina jacerent. Pretiosum Exemplum, quod tanto constitit Filio Dei! Da gratiam, Domine, ut non sit inefficax in nobis.

2. ADora D. JESUM & considera: quàm crudelibus jocis ipsum proscinderint impijssimi satellites. Post flagellationem, assumptam vestem, violenter ei detrahentes, *chlamydem coccineam circumdederunt ei: & plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput ejus* (imò altè impresserunt) *& arundinem in dextera ejus: & genu flexo ante eum illudebant ei dicentes: Ave, Rex Judæorum.* O quantum, non ludibrium duntaxat, sed tormentum inauditum! Verùm, ulteriùs progressa est impietas & furor: *Et exspuentes in eum: acceperunt arundinem, & percutiebant caput ejus:* Matt. 27. *Et dabant ei alapas,* Joann. 19. Neque paucorum ea insolentia fuit: *sed milites Præsidis suscipientes JESVM flagellatum in Prætorium, congregaverunt ad eum*

univer-

universam cohortem. Vide, anima mea, Dominum, Salvatorem & Regem tuum, in tantis doloribus, in tantis ludibrijs sedentem immotum, tacitum, cruore oblitum, contumelijs obrutum, sed nondum saturatum, plura adhuc expectantem in cruce improperia pro te. Et tu non feres convicium aliquod ipsius amore? Feram, Amabilissime Rex meus & Deus meus: feram per gratiam tuam.

3. VEnerare Deiparam V. & considera: Quantum doloris ex tam luctuoso Filij statu redundârit in ipsam. Solet honor Filiorum matribus pro corde esse: imò punctum honoris filialis centrum est cordis materni. Videns igitur Filium sic proscissum, ac deformatum, & vulneribus & contumelijs, quomodo vivere poterat, nisi vita ei servaretur divinitus? O Mater afflictissima, compatior sancto luctui tuo: atque in solatium aliquod tuum reverentissimè flecto genua coram Filio tuo, eumque summo, quo possum, cultu adoro Regem & Deum meum. Da, ut ipsius honori & amori immoriar.

Propositum ferendi patienter ludibria, undecunque veniant.

LECTIO PRACTICA:

Irrisiones & ludibria alacriter ferenda.

POst immane tormentum Flagellationis & Spineæ Coronationis, quo caput & totum corpus Domini proiciderunt crudelissimi satellites, immanius aliud excogitavit, & superaddidit infernus, quo excruciaret animum, scilicet illusionem, improperia, & ludibria, quibus fæx militum exagitavit D. JESUM, ut regem jocularem. Quam acutus Domino fuerit sensus hujus tormenti; colligi potest ex Saule rege, & Abimelech principe in Israel. Cùm victus Saul vehementer vulneratus esset, nec tamen celeri morte interire posset; dixit ad armigerum suum: *Evagina gladium tuum, & percute me; ne forte veniant incircumcisi isti, & interficiant me, illudentes mihi.* Gravius enim erat Sauli, inquit Abulensis, pati ludibria, quàm tolerare mortem. Per mortem enim laborum suorum finem inveniret, per ludibria verò acriùs cruciaretur, & diutiùs in hac vita. Abimelech quoque cùm fragmine molæ jacto mulier confregisset caput ejus: *vocavit citò armigerum suum, & ait ad eum: Evagina gladium tuum, & percute me; ne forte dicatur: quòd à fœmina interfectus sum.* Ubi Lyranus: *Plus formidavit opprobrium, quàm gehennam.*

At D. JEsus tergiversantem non advocavit mortem: sed se impijssimæ turbæ illusionibus & opprobrijs liberalissimè permisit: ut nos dedoceret teneriorem, quam par est, sensum irrisionis & ludibrij. Imò singularibus

gratijs

gratijs & amplissimis favoribus cumulare solet eos, qui ipsius amore confusionis aliquid & ludibrij libentes ferunt: ut meritò S. Joannes Climacus in Scal. gr. 5. dicat: *Ignominiæ suavissimam & dulcissimam esse perpessionem.* Ad quem sublimem in Sanctitate & Scientijs gradum evexerit Albertum Magnum, Thomam Aquinatem, & Franciscum Suarium, ob tardius ingenium & minùs apparentem in literis profectum, diu falseq; derisos & vexatos à condiscipulis, notum est.

Eximium planè est, quod de B. Hermanno Josepho, Ordinis Præmonstratensium traditur. Hic à JESU & MARIA ab infantiâ tenerrimè dilectus, & rarissimis gratijs affectus, cùm Religiosum Statum amplexus esset, atque in eo aliquantum provectus, ut solidiùs procederet in virtute, & amores Amorum suorum mereretur copiosiùs, varijs diuturnisque exerceri cœpit corporis infirmitatibus: ob quas cùm consuetis in Religione laboribus par non esset; Fratrum in se concitavit indignationem & linguas. Accessit: quòd, cùm mitiore esset ingenio, & studio mores modumq; agendi ad normam Religiosæ simplicitatis composuisset; visus sit agresti quadam simplicitate & ruditate incultus. Unde *Hermanni* nomini, quod ei proprium erat, additum est per ludibrium cognomen *Josephi*. Apud Germanos enim olim (& nunc subinde) per turpem abusum gloriosi nominis duorum Patriarcharum, qui simpliciores ingenio & moribus videbantur; dicebantur, insulso dicterio, *Josephi*. V. g. *Tu planè es unus Joseph.* Tulit falsam hanc nominis appendicem Hermannus, qua decuit, modestiâ & patientiâ; multo tempore passim non solùm à domesticis, sed etiam externis (sed ab his bona fide) appellatus *Pater Joseph*, ita: ut obsolesceret nomen Hermanni. Sed ea res Viro simplici & recto fraudi non fuit. Cùm enim id scomma pungeret illum magis, quàm quævis alia convicia & ludibria, jamque conclusum haberet; sequenti die de hoc querelas apud Prælatum deponere in publico Fratrum Conventu: ecce, dum suo more mediâ nocte orationi vacat in templo, videt in ejus medio incomparabili pulchritudine & vestium splendore Virginem, ut Augustissimam quandam Reginam, duobus elegantissimis stipatam Ephebis. Attonitus audit unum istorum alteri dicentem: Cui desponsabimus Virginem istam? Non alteri, quàm præsenti huic Fratri; reposuit alter. Tum uterque: Accede, Frater Hermanne. Tergiversantem præ verecundia iterum compellavit Angelorum alter; & accedentis cum maxima reverentia sumptam dexteram dexteræ Virginis inseruit: quæ ipsi non dexteram solùm, verùm & osculum dedit, voluitq; deinceps Josephum appellari. Quam novi nominis impositionem confirmavit in altera Visione: quan-

do ei Parvulum JESUM in ulnas dedit, monuitque, ut, quandoquidem Josephi nomine honoratus esset, etiam Josephi affectu se cum Filio complecteretur. Ab eo tempore Hermannus ipse non aliter, quàm Fratrem Josephum se appellavit, & mirificè in DEIparæ V. & Filii ejus amorem cultumque exarsit. *Cochem Historiar. lib. 3.* Sic hominum ludibria pariunt nobis divina encomia.

SABBATO.

Tessera diei: *Amor meus Vermis non Homo!*

MEDITATIO: *DEUS amore hominis factus deterior homine: CHRISTUS proponitur populo: Ecce Homo: DEIparæ V. dolor!*

1 ADora Deum O. M. & considera, quò se, amore hominum, demiserit, quantùm exinaniverit, non solùm homo factus, sed vilior vilissimo homine, abjectior abjectissimo homine. Testatur ipsemet in Filio: *Ego autem sum vermis, & non homo: opprobrium hominum, & abjectio plebis.* Ps. 21. Vermem se dixit, non tantùm quia non erat ei species, neque decor: sed quia nullius apud homines æstimationis, conculcatus & protritus, ex hominum cœtu ejectus est, ut quid noxium & abominabile. O gloriosissime & immutabilis Deus, quid est homo; quòd propter eum tam miserandam pati volueris metamorphosim? Quam formam, aut Fortunæ vicissitudinem recusabo propter te, quia sic vilescere voluisti propter me? Impone mihi, quam volueris, etiam abjectissimam personam: agam illam, cum gratia tua, accuratè & libenter propter te.

2. ADora D. JESUM, & considera eum, à Pilato ex Prætorio adductum foras, chlamyde, seu lacernâ purpureâ malè tectum, toto corpore concisum, & cruentum, spinoso serto horridum; vultu lividum, sputis & sanguine fœdatum, ex eminentiore loco monstratum omni populo, cum pathetica illa & memorabili oratione: *Ecce homo.* Breve verbum: sed grande & funestum spectaculum! *Ecce homo!* quem affectati regni accusâstis. Ecce homo; excoriatæ bestiæ, quàm homini similior! Cogita quoque cœlestem Patrem tibi dicentem: *Ecce homo* Filium meum tantà pro te & à te passum! Quid tu pro illo hactenus? quid postea? O Afflictissime Salvator, compatior, erubesco, doleo. Nolo vivere sine vulnere, quando te video sic vulneratum.

3 VEnerare Deiparam V. & considera, ipsius oculos potissimùm perstrinxisse miserabilem illam Christi speciem: ipsius cor vel maximè vulnerâsse luctuosum illud, *Ecce homo!* Ipsa enim & ardentiùs amavit, &

vit, & pleniùs noverat: quis esset Homo iste. Proinde gemina illa verba Præsidis, gladius anceps Simeonis, utrâque parte acutus, illi fuerunt; qui altiùs tunc, quàm unquam aliàs, in pectus maternum descendit. Recolebat dolorosissima Mater: Ecce Dilectus ille meus, candidus & rubicundus! Ecce speciosus ille meus præ filijs hominum &c. Sed optabat: ut in hunc hominem attentiùs oculos, animosque defigerent homines; facilè deprehensuri in ipso & immane facinus suum, & tenerrimum fortissimumque ejus amorem erga ipsos. Da igitur, o Mater afflictissima, ut assiduum, & gratissimum oculorum meorum, & mentis meæ in hac vita objectum sit DEUS passus.

Propositum contemplandi attentiùs Patientem JESUM.

LECTIO PRACTICA:

Quid potissimùm in Patiente JESU spectandum?

QUatuor potissimùm sunt in Patiente JESU, à Præside Romano turbæ proposito, *Ecce homo*: quæ attentiorem merentur oculum & animum: nimirum Quis, Quid, Pro quibus sit passus, & quàm ingratos experiatur homines. Sed de his illicò idem occurrit dicendum, quod in alia materia dixit Salomon Proverb. 30. *Tria mihi sunt difficilia, & Quartum penitùs ignoro.* Quis enim satis assequatur vel Excellentiam Personæ patientis, vel multitudinem & immanitatem tormentorum, vel Charitatis magnitudinem, quòd pro inimicis tanta tulerit, vel denique hominum ingratitudinem enormem?

Persona Patiens est Homo innocentissimus, mitissimus, sanctissimus, qui peccatum non fecit, nec facere potuit, nec est inventus dolus in ore ejus, qui pertransiit benefaciendo & sanando omnes, qui nupero populi testimonio *Benè omnia fecit*, de cujus plenitudine accepimus omnes gratiam pro gratia, qui, cùm dilexisset suos, in finem dilexit eos; est Homo humanissimus, Flos, Decus, Deliciæ generis humani. Sed & DEUS est idem, non per rapinam, seu sacrilegam usurpationem DEItatis, nec per impropriam nominis translationem; Sed DEUS verus de DEO vero, Conditor, Conservator & Rector mundi totius. Quantum in uno Homine Spectaculum! Quàm miserabilis talis Personæ facies! Quàm indigna & fœda tantæ dignitatis violatio & conculcatio! Ecce Homo! Ecce DEUS noster!

Quæ passus est, proponit compendio S. Thomas p. 3. qu. 46. art. 5. C. Passus est Christus, inquit, in suis amicis eum deserentibus: in fama, per blasphemias contra eum prolatas: in honore & gloria per irrisiones & contumelias ei illatas: in rebus per hoc quòd etiam vestibus spoliatus est: in ani-

ma per tristitiam, tædium & timorem; in corpore per vulnera & flagella. Tertiò potest considerari quantum ad corporis membra. Passus est enim Christus in capite pungentium spinarum coronam, in manibus & pedibus fixionem clavorum, in facie alapas & sputa, & in toto corpore flagella. Fuit etiam passus secundùm omnem sensum corporeum: secundùm tactum quidem flagellatus & clavis confixus, secundùm gustum felle & aceto potatus, secundùm olfactum in loco fœtido cadaverum mortuorum (qui dicitur Calvariæ) appensus patibulo, secundùm auditum lacessitus vocibus blasphemantium & irridentium, secundùm visum videns Matrem & Discipulum, quem diligebat, flentes. *Hæc S. Thomas*, innumera alia, eaque gravissima, relinquens considerationi nostræ.

Pro quibus Talis Tantusque talia ac tanta sit passus, indicat pluribus locis Apostolus, præsertim Rom. 5, 6. *Pro impiis mortuus est*. Et v. 8. *Commendat autem charitatem suam DEus in nobis: quoniam, cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est*. Et c. 8, 32. *Pro nobis omnibus tradidit illum*. Et quod maximè mirandum: ita passus & mortuus est pro singulis, sicut pro omnibus; eo affectu complectens singulos, quo omnes. *In fide vivo Filij DEI*, inquit Apostolus Gal. 2, 20. *qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me*. Ita pro me, ac si solus essem redimendus. Ego ipsi in mente & corde fui ab æterno ut DEO; & à puncto Incarnationis ut Homini, usque ad ultimum temporalis vitæ momentum. O prodigium amoris! O inæstimabilem excessum Charitatis!

Sed ô portentum Ingratitudinis nostræ! Tria prædicta omninò difficillima sunt captu: at quartum hoc vel Sapientissimus hominum penitus ignorat! Quomodo scilicet fiat: ut homo à DEO-Homine sic dilectus, non solùm non sit die noctuque intentus, quomodo pro viribus & facultatibus suis mutuam ei reddat vicem: sed in offensas ejus gravissimas tam liberè grassetur; ac si JEsus capitalis ejus esset, aut unquam fuisset; hostis. *Retribuebant*, & hodie etiam retribuunt, *mihi mala pro bonis; sterilitatem animæ meæ*: Psal. 34. dum scilicet nullos percipio fructus gratitudinis, ingratitudinis segetem infinitam. Compellat nos Patiens JESUS per Bernardum suum non jam mellifluis, sed amaris vocibus, Patiens JESUS. *O homo, vide, quæ pro te patior. Non est dolor, sicut quo crucior. Ad te clamo, qui pro te morior. Vide pœnas, quibus afficior: vide clavos, quibus confodior. Cùm sit dolor tantus exterior; interior est planctus gravior, cùm te tam ingratum experior!*

Ecce homo DEum-Hominem tam crudelia passum pro te, tam indigna etiamnum patientem à te! Vide, &, nisi toto corde ames, time. *Domine, qui tibi*

qui tibi non servit, quia creatus est, infernum meruit; inquit Augustinus: *Sed qui non servit tibi, quia redemptus est, meretur, ut novus pro ipso infernus fiat.*

DOMINICA IV QVADRAGESIMÆ.

Tessera diei: *Amor meus iterum deposcitur ad Crucem!*

MEDITATIO: *DEO quàm gravis obstinatio Judeorum: CHRISTVS iterum, & urgentissimè deposcitur ad crucem: Deiparæ V. dolor.*

1. ADora Deum O. M. & considera: quàm graviter fuerit offensus implacabili Judæorum obstinatione. Adhibebat Pilatus, quæ poterat, media ad illos placandos, sed frustra. Perculit illos Christus divinâ potentiâ suâ, prosternendo satellites eorum verbo: Captavit illos benignitate suâ, amputatam Malcho restituendo auriculam: terruit judiciariâ potestate suâ: *A modò videbitis Filium hominis venientem in nubibus &c.* Monuit illos expressâ proditoris sui confessione: sed vel maximè movere poterat, etiam saxea corda, inauditâ patientiâ suâ, & miserabili illâ specie, quâ flagellatus, in spinea corona, & cum arundineo sceptro est illis præsentatus. At illi, velut belluæ, viso sanguine magis irritati sunt. *Cùm ergò vidissent eum Pontifices & ministri, clamabant dicentes: Crucifige, crucifige eum.* Joan. 19. Cogita, quam graviter acceperit tam portentosam in Filium rabiem æternus Pater; & vide: ne ipse similis obstinationis aliquando fias reus: si te à solitis vitijs non retrahunt vulnera & sanguis Christi.

2. ADora D. JESUM, & considera: quàm urgenter Judæi promoverint condemnationem ejus ad crucem. Affirmanti Præsidi, se nullam invenire in eo causam, responderunt: *Nos legem habemus, & secundùm legem debet mori; quia filium Dei se fecit.* At non probârunt, nec potuerunt, filium Dei eum non esse. Post iteratò examinatum JESUM, cùm quæreret Pilatus dimittere eum, clamabant illi, dicentes: *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris.* Validissimam admoverunt machinam expugnando Præsidi; cui resistere, etiam hodie miraculum aulicum est. Nihilominùs Pilatus adhuc sustinuit obsidionem aliquantisper, sedensque pro tribunali in loco, qui dicitur *Lithostrotos*, iterùm ad provocandam commiserationem præsentavit illis JESUM, dicens: *Ecce Rex vester.* Joan. 19. At ipsi clamosiùs vociferabantur: *Tolle, tolle, crucifige eum.* Reponente Præside: *Regem vestrum crucifigam?* Conclamârunt Pontifices: *Non habemus Regem, nisi Cæsarem.* Jam Cæsaris jugo colla subdunt, quibus divinum intolerabile est. Denique Præside manus lavante, inter innocentes, respondens universus populus dixit: *Sanguis ejus super nos & super filios nostros.* Quanta rabies, quanta obstinatio, quanta

quanta potentia indomitarum passionum? Mansuetissime JESU, ne tradas me tyrannidi illarum: sed da gratiam; ut in me ipso crucifigam veterem hominem cum concupiscentijs suis.

3. VEnerare Deiparam V. & considera: quis illi animus fuerit in ancipiti illo conflictu Præsidis gentilis cum Senioribus & Pontificibus populi sui? Quàm anxiè expectabat fulmen sententiæ decretoriæ? Quomodo stupebat tanta in Christum odia? Quid querar ego, o Domina, de malevolentia & odijs hominum in me: quando ea evadere non potuit Filius tuus. Condoleo illi & tibi: tu, o Gratiosissima, animos adde ad ferendum.

Propositum mortificandi tempestivè indomitas passiones, præsertim N.

LECTIO PRACTICA:

Crux, ad quam peccata nostra urgentissimè nos deposcunt, avidè apprehendenda.

PAssim homines effrenes ruunt in peccata: quia non sentiunt, nec timent imminentem vindictam divinam. *Quia non profertur citò contra malos sententia: absque timore ullo filij hominum perpetrant mala.* Eccle: 8. 11. Sermo est de Sententia Executoria. Nam condemnationis sententia pridem generaliter lata est. *Reddet unicuique secundùm opera ejus. Tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum.* Rom. 2. *Pluet super peccatores laqueos: ignis & sulphur pars calicis eorum.* Psal. 10. Quodsi DEus secundùm divitias Bonitatis suæ differt executionem: non pejores inde, sed meliores fiamus, oportet; ne cumulatâ pœnâ mole graviore nos obruat. *Ne dixeris, peccavi: & quid mihi accidet triste? Altissimus enim est patiens redditor;* monet Ecclesiasticus c. 5. 4.

Dixi in Lect. fer. 3. Dom. 3. Quadr. nos deposci ad crucem tum à Justitia & Misericordia Divina, tum à Christo Redemptore, tum à Satellitibus Justitiæ divinæ; addendum insuper; quod si nemo alius contra nos instigaret, & ultionem provocaret: ipsa, quæ committimus, peccata, id non minùs urgenter præstant, quàm Judæi iterum iterumque Christum deposcentes ad crucem. Habent vocem suam, eamque valdè clamosam & acutam in auribus divinis; prout constat ex Genes. c. 18. *Clamor Sodomorum & Gomorrheorum,* ait Dominus ad Abraham, *multiplicatus est, & peccatum eorum aggravatum est nimis. Descendam, & videbo; utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint.* Sic & contra Christum non sola clamabat malitia & rabies Judæorum: verùm & omnium nostrûm peccata Judæorum linguis & ore clamabant: Tolle, tolle: Crucifige, crucifige eum. Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. *Posuerat enim in ipso DEus iniquitates omnium nostrûm.* Isa. 53. 6.

Quodsi

Quodsi in Christi innocentiam tam ferocia & rabida fuerunt peccata aliena: numquid mitiora erunt in authores suos? Faciliùs est obturare ora leonum fugientium, quàm clamantium, & vindictam poscentium peccatorum. Quid faciemus ergo?

Non alter occurrit opportunior ora illis obturandi modus, quàm ipsis crucibus, quibus nos affigi urgent: ut si ingruentes calamitates & tribulationes admittamus animo contrito, patienter & libenter, tanquam debitas nobis & pejora meritis. Recogitandum scilicet cum fratribus Joseph, non fortuitò aut immeritis talia accidere, sed fatendum cum ipsis: *Meritò hæc patimur; quia peccavimus in Fratrem nostrum, videntes angustias animæ illius, dum deprecaretur nos, & non audivimus. Idcircò venit super nos tribulatio ista.* Peccavimus & nos in Fratrem simul & Dominum nostrum peccatum grande, nec unum. Vidimus angustias animæ ipsius pro nobis & à nobis patientis. Vidimus supplices ad nos tendentem manus, ut parceremus sanguini ipsius, parceremus & animabus nostris: & non audivimus, obstinati in scelera. Idcircò venit super nos tribulatio ista. Meritò hæc patimur meriti graviora. Quæ enim inter infinitam DEI offensam, qualis est quævis culpa lethalis, & momentaneum atque leve hoc tribulationis, est proportio?

Quemadmodum Apostolus monuit; Passiones nostras non esse condignas ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis: ita rectè S Bernardus Serm. de Convers. ad Clericos c. 30. ait: *Easdem non esse condignas ad præteritam culpam, quæ remittitur.* Scitè notavit B. Aloysius noster, in Angelica Innocentia severissimus tamen in corpus suum; quòd etiamsi DEus gratìs nobis remittat peccatorum culpam, si pœnam quoque omnem liberaliter vellet remittere: adhuc avidi esse deberemus adversorum & operum pœnitentialium amore Justitiæ Divinæ. *Vera pœnitentia*, ajebat, *eò usque pertingit: ut non solùm DEI misericordiam culpas remittentem cognoscat & veneretur: sed ad honorem divinæ Justitiæ, vehementissimè cupiat, justas omnium peccatorum suorum pœnas subire.* In Vita lib. 2. c. 5. Rectè & Seneca lib. 1. de Ira c. 27. *Affecti sumus pœnâ? Succurrat, non tantùm quid patiamur, sed quid fecerimus. Si volumus æqui omnes rerum judices esse: hoc primùm nobis suadeamus; neminem nostrûm esse sine culpa.* Deinde omnem, quæ nobis in hac vita irrogatur, pœnam, esse infra meritum culpæ.

Sic non gravati apprehendemus crucem, ad quam nos deposcunt peccata nostra; & cum Mauritio Imp: dicemus: *Justus es, Domine, & rectum judicium tuum:* imò avidi eam expectabimus, & tardantem invitabimus. Invitavit ad hanc jucundâ quâdam visione Dominus B. Henricum Susonem

apud Su-

apud Surium in ejus Vita 25. Jan. Imminente ipsi immani quadam cruce, quam prope diem excepturus erat; sub ortum diei in visione ductus est ad locum quendam, ubi erat Missæ sacrificium celebrandum: idque ipsi forte incumbebat. Cantores autem Introitum, ut vocant, Missæ de Martyribus inchoârunt: *Multæ tribulationes justorum &c.* Henricus id non libenter habuit, & conversus ad Cantores. Ecquid, ajebat, nobis Martyres obtruditis? cùm nullius hodie Martyris celebris memoria agatur? At illi oculis digitisque in eum intentis dicebant: Etiam hodie habet DEUS Martyres suos, non minùs, quam unquam aliàs. Tu tantùm præpares te, & perge canere. Vertebat ille ultro citroque folia codicis, quod Missale vocant, ut de Confessoribus, vel aliud Sacrum faceret: sed omnes paginæ Martyrum officijs plenæ erant. Tum ille videns aliter fieri non posse, cecinit cum illis de Martyribus, sed voce admodum lugubri. Deinde iterum Musicos allocutus; Est hoc, inquit, mirum satis, & insolitum, quod nunc agitis. Cur non potiùs *Gaudeamus in Domino* &c. cantemus, quàm de Martyribus, quæ est materia lugubris? At illi respondebant: Nescis, amice, quid agatur. Cantus iste de Martyribus antecedit: postea quandoque opportuno tempore sequetur festivum *Gaudeamus.* Ubi ad se redijt; toto corde contremuit, non dubius de Martyrio quodam sibi imminente. Neque hoc diu abfuit. Dum animarum saluti promovendæ strenuus incumbit, immani obruitur, ac ferè conficitur, calumniâ. Sed adfuit tandem auxiliator & consolator DEUS, secundùm multitudinem dolorum lætificans animam servi sui: didicitq; proprio experimento Henricus: post lugubrem de Martyribus Missam, & *multas tribulationes Justorum*, sequi solemnem de Omnibus Sanctis, cum festivo *Gaudeamus in Domino.*

FERIA II.

Tessera diei: *Amor meus condemnatus est ad crucem!*

MEDITATIO: *DEUS severus vindex Sanguinis Filij sui:* CHRISTUS *condemnatur ad crucem: DEIparæ V. dolor.*

I. ADora DEUM O. M. & considera eum ut severissimum vindicem sanguinis Filij sui. Imprecati sunt sibi Judæi, ut Pilato metum condemnationis Christi adimerent: *Sanguis ejus super nos, & super Filios nostros.* Quæ vox non Seniorum solùm, aut Pontificum, sed omnium fuit: *Respondens universus populus dixit: Sanguis ejus super nos &c.* Quod voluerunt, habuerunt abundè sub Tito & Vespasiano; habent etiamnum, & habebunt à generatione in generationem: *Opprobrium sempiternum dedit eis Dominus.*

minum. Psal. 77. Nec solùm de Judæorum, sed etiam de nostris manibus sanguinem Filij sui requiret severissimè Deus; si illo non fuerimus usi ad salutem: cùm & nos effusionis ipsius causa fuerimus. Clementissime Deus; sit obsecro sanguis Filij tui super me. Sit mihi in extinctionem effervescentium passionum: sit in deletionem commissorum delictorum: sit in pretium redemptionis, & in poculum salutis æternæ.

2 ADora D. JEsum & considera, quàm iniquè à Pilato sit tandem condemnatus ad crucem. Paulò antè agnitus & declaratus ab eodem fuit innocens: & jam summi supplicij fertur in illum sententia. *Pilatus adjudicavit fieri petitionem eorum: dimisit autem illis eum, qui propter homicidium & seditionem missus fuerat in carcerem, quem petebant: JESUM verò tradidit voluntati eorum; ut crucifigeretur.* Quanta iniquitas! Sanctus Sanctorum; Autor vitæ temporalis & æternæ, qui pertransiit benè faciendo & sanando omnes: cui nuper omnis turba acclamavit: *Benè omnia fecit.* Mar. 7. JESUS damnatur ad mortem crucis! *Exurge, Deus, judica causam tuam: memor esto improperiorum tuorum; eorum, quæ ab insipiente sunt totâ die.* Psal. 73. At tempus tunc erat patiendi, non vindicandi. Excepit Christus feralem sententiam, licèt summo cordis dolore, ob ejus iniquitatem, & supplicij ignominiosissimam crudelitatem, summâ tamen æquanimitate, promptissimâq; voluntate. Discam hinc & ego, Innocentissime JESU, ferre placidè sinistra hominum de me judicia. Solabor me exemplo & auxilio tuo.

3. VEnerare Deiparam V. & considera inexplicabilem materni cordis ejus dolorem, quo ipsam confixit iniquissima & crudelissima Præsidis sententia. Si enim mulieris meretricis commota sunt viscera super spurio suo 3. Reg. 3. auditâ Salomonis sententiâ de eodem dividendo: quantò magis viscera Divinæ Matris commota & conscissa sint, oportet, super filio suo Deo! O commoveantur, scindantur & mea crudissima viscera! Mater mœstissima: ut vobis amoribus meis, meâ causâ dolentibus; condoleam toto corde; & nullam ampliùs dolendi causam suppeditem.

Propositum patienter ferendi sinistra hominum judicia.

LECTIO PRACTICA:

Quomodo sinistra hominum judicia patienter ferenda?

CUm æternæ veritatis oraculo pridem pronunciatum sit: Mundum totum esse in maligno positum: 1. Joan. 5. quæ alia, quàm sinistra ab illo, & in illo, expectemus judicia? Deinde etiamsi maligna illi mens non esset: is est status rerum humanarum, ea actionum nostrarum facies; ut facilè in sinistram partem accipi possint, etiam à non malevolis: meritoq; dicat S.

cat S. Bonaventura in apolog. Quæst. 6. *Vix aliquid fit tam purè, quin possit aliquis sinistrè interpretari, quasi malè fiat.* Adhæc naturali curiositate ferimur omnes ad exploranda, discutienda, dijudicanda aliorum facta, & facienda, & ipsa intentionum internarum arcana scrutanda, atque notanda. Et hoc primum, satisque efficax, motivum esse potest, ad patienter ferenda hominum de nobis & rebus nostris judicia: quòd declinari non possint.

Alterum est: quòd sic quieti nostræ consulimus, & multas perturbationes animi evitamus. Quis enim omnium vel scire, vel corrigere potest judicia? Deinde sæpe evenit, ut, dum studiosissimè sinistra de nobis concepta judicia corrigere volumus, novis & pejoribus suspicionibus ac judicijs occasionem præbeamus; vel magis irritemus adversarios. Ut enim quisque judicij sui tenax est, nec facilè patitur damnari erroris, levitatis, aut injuriæ datæ: ita promptus prosilit in ejusdem defensionem, fiuntque non rarò posteriora pejora prioribus. Unde prudenter agunt, qui non facilè inquirunt, quid de ipsis homines sentiant. Quamvis enim id subinde utiliter fieri possit, & fortè aliquando fieri deberet, à Prælatis & Magistratibus: facilè evenit, ut, dum sinistra audimus, turbemur & excandescamus in privatos judices atque censores, tanquam nobis injurios.

Tertium est: quòd Magnanimi sit permittere hominibus libertatem sentiendi, & despicere judicia sinistra, dum mens conscia est recti: vel certè tolerare illa, si nos conscientia arguit erroris seu delicti, aut occasionis imprudenter datæ ad hujusmodi formanda judicia. Sic Salvator ac Dominus noster, quàmvis subinde prava hominum judicia arguerit; ut, *quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Matt. 9. plerumq; tamen dissimulabat, aut modestissimè respondebat: ut cùm diceretur in Beelzebub ejicere dæmonia. Finali sententiâ iniquissimâ à Pilato condemnatus ad mortem crucis, nec verbum reposuit, sive judicem aut sententiam ejus perstringendo, sive innocentiam suam externis vocibus Patri commendando.

Magnam animi celsitudinem suspicit in S. Petro Apost. S. Gregorius: quòd æquo animo tulerit non solùm minùs honorificum S. Pauli judicium de quodam suo procedendi modo, sed etiam id per ejus epistolam vulgatum esse. *Ecce*, inquit, *Paulus in epistolis suis scripsit, Petrum reprehensibilem: & ecce Petrus in epistolis suis asserit, Paulum in his, quæ scripsit, admirandum. Pensate ergò, in quo mentis vertice stetit, qui illas epistolas laudavit, in quibus scriptum se vituperabilem invenit. Quæ illa mansuetudo tanta esse potuit? quæ quies animi? quæ soliditas atque imperturbatio cogitationis?*

Simili

Simili magnanimitate gravem calumniam & iniquissimum de se judicium sprevit toleravitque S. Macarius Ægyptius. Puella enim agrestis à juvene quodam impraegnata culpam conjecit in S. Macarium in vicinia degentem. Accurrentes igitur incolæ pagi extraxerunt eum è cella, & pro more gentis in signum sceleris, suspensis ad collum ejus fictilibus ollis & ansis vasorum, circumduxerunt in pago cædentes, ac dicentes: Hic monachus filiam nostram corrupit: tollite, tollite eum; & pœne ad mortem cæciderunt innocentem, donec superveniens seniorum quidam inhibuit. Dimittere tamen Macarium noluerunt: nisi de alimentis scorto præbendis fidejussorem daret. Spopondit homo, qui alias ei victum ministrabat. Huic, reversus in cellam, sportulas omnes, quas contextas habebat, dedit; Vade, inquiens, vende has, & conjugi illi meæ cibum præbe. Dicebat autem apud semetipsum: Ecce, Macari, uxorem tibi reperisti: oportet te nunc ampliùs laborare, ut eam alas. Operabatur ergò dies noctesque in alimentum ejus: donec tempore partûs per aliquot dies luctata nequam fœmina, cùm parere non posset, suam calumniam & Macarij innocentiam detexit. At is validior ad ferenda iniqua, quàm præclara, hominum de se judicia, inde profugit in interiora deserti. *Bollandus 15. Jan.*

Imitandus & Apostolus Paulus, cujus generosa vox est 1. Cor. 4. *Mihi autem pro minimo est, ut à vobis judicer, aut ab humano die. Qui judicat me, Dominus est.* Ubi S. Anselmus: *Justi non humana judicia, sed æterni Judicis examen aspiciunt: atque ideò derogantium verba cum Paulo despiciunt.*

FERIA III.

Tessera Diei: *Amor meus voluntati Judæorum traditus est!*

MEDITATIO: *DEI & Hominum diversissima decreta de cruce & morte Christi: CHRISTUS traditur voluntati Judæorum: DEIparæ Virginis dolor.*

1 ADora Deum O. M. & considera: quomodo unà cum hominibus conspiraverit in mortem crucis à Christo oppetendam, sed diversissimis studijs & intentionibus. Homines improbi volebant Christum eo genere mortis, tanquam ignominiosissimo tolli; ut obscurarent, imò penitùs extinguerent gloriam ab ipso partam per vitam sanctissimam, doctrinam eminentissimam, & miracula plurima, maximaque. DEUS autem idem genus mortis voluit, ut tantò magis ipse, & Christus glorificaretur per exhibitionem summæ humilitatis atque obedientiæ erga Patrem; & demonstrationem inæstimabilis charitatis, clementiæ, misericordiæ ac liberalitatis erga homi-

ga homines. Nusquam enim tam illustres apparuerunt hujusmodi actus Christi, ac in morte crucis. Servierunt ergò improbi illi dispositioni voluntatis divinæ, nescientes quid agerent: DEUS autem utebatur improbitate ipsorum ad exequenda mysteria consilij sui, & promovendam gloriam suam ac Christi. O DEUS mirabilium operator, multa sunt & magna, quæ in te commisi, mala: dignare etiam ex illis gratiosè elicere majorem tuam & Christi tui gloriam, præsertim per seriam pœnitentiam & ardentissimam charitatem meam.

2. ADora D. JESUM, & considera: quantam à Pilato passus sit injuriam; *quando tradidit eum voluntati Judæorum, ut crucifigeretur.* Erat crux apud Romanos supplicium servile: apud Judæos summæ abominationis. Deinde tradidit Christum; quem certò sciebat nec esse: nec probatum esse, vel ad apparentiam, reum: tradidit voluntati Judæorum; quia ipsi ita volebant & urgebant: tradidit per sententiam palpalibus mendacijs refertam. Exhibet eam Andrichomius in Descriptione Hieros. in hunc tenorem: *JESUM Nazarenum, subversorem gentis, contemptorem Cæsaris, & falsum Messiam, ut Majorum suæ gentis testimonio probatum est, ducite ad communis supplicij locum; & ludibrio regiæ majestatis, in medio duorum latronum cruci affigite. I, Lictor; expedi cruces.* At in decursu causæ sæpiùs fassus fuit ipse: se nullam in eo invenire causam. Nec potuit non tangi dolore cordis intrinsecùs ob tam immanem injuriam, innocentissimus JESUS: obmutuit tamen tanquam agnus ad occisionem ductus, ac se in hostiam propitiatoriam obtulit Patri. Compatior tibi, afflictissime Salvator, intimo cordis affectu: ut etiam compatiar dolorum pro te toleratorum experimento; da gratiam.

3 VEnerare DEIparam V. & considera: quomodo cohorruit, quando audivit & vidit JESUM tradi Judæis, agnum lupis rabidissimis. Quid speraret humanitatis à leopardis illis, quos beneficia Christi pejores fecerunt? Quid non timeret mali ab hostibus capitalissimis, qui, amisso rationis lumine, toti agebantur à potestatibus tenebrarum? Ergò totum explicabat pectus & animum excipiendæ imminenti extremæ dolorum tempestati: ut si corpore configi non posset Filio in cruce: corde capacissimo ipsius acciperet vulnera, & dolores. Dilata, o Virago fortissima, & mei cordis angustias; ut inter imminentes & immissas cruces audeam ingeminare Xaverianum illud: *Ampliùs, Domine, ampliùs!*

Propositum permittendi me Voluntati Divinæ, & propter DEUM humanæ.

LECTIO PRACTICA:

Quàm patienter nos totos Divinæ Voluntati tradere debeamus?

Non

NOn tam Pilatus D. JESUM tradidit voluntati Judæorum: quàm ipsemet se ipsum amore nostri. *Dilexit me, & tradidit semetipsum pro me,* Gal. 2. Tam heroica & liberali traditione sui in manus & omnem voluntatem crudelissimorum hostium suorum, numquid meruit Gratiosissimus Salvator: ut & nos tradamus nos totos voluntati ipsius, tam ad agendum quàm patiendum quidquid libuerit ipsi? Rustica puella à Domino suo, Viro nobili, in sponsam assumpta, tam raram eximiamq; gratiam, ut decuit, æstimans, quomodo se totam in rebus difficillimis omni illius honestæ voluntati tradiderit: Vide, obstupesce & imitare.

Gualterum Marchionem Pedemontij à conjugio abhorrentem, multis precibus primores subditorum tandem adegerunt, ut hæredis studio duceret uxorem. Ducam, inquiebat, non propter me, sed propter vos: quàmvis amore libertatis nunquam ad id propenderim. Sed permittar ego mihi uxorem quærere, qualem voluero: vestrum erit, quæcunque illa fuerit, agnoscere ut dominam. Post aliquot septimanas edicit nuptiarum diem, curatque regiè præparari omnia. Tempus erat prandij, expectatio summa sponsæ: cùm ecce Gualterus pergit foras ad rusticellum suum non procul ab arce degentem, cui nomen Janicolæ, & huic filia unica Grifeldis, quæ pascebat oves pauculas, formosa corpore, formosior animo. Accidit opportunè, ut eodem tempore ex fonte remoto aquam properanter domum ferret Grifeldis. Marchio ex rusticello quærit: an quem hactenus coluisset dominum, velit habere generum? Stupuit Senex, & recollecta voce: Ego nihil volo, ait, quàm quod Dominus meus. Vocatur ergò Grifeldis; cui Gualterus: Pater tuus vult, & ego, ut sis uxor mea; sed cum hac sola conditione, ut liceat mihi tecum agere, prout libet; nec repugnes verbo nutuve. Illa: Nec cogitatione quidem. Imò si me mori jusseris, non feram molestè. Satis est, ait Gualterus: producitq; Neo-Sponsam populo, datoq; pronubo annulo, jubet vestiri paratis vestibus, & in equo niveo inducit in palatium. Dedit autem Grifeldi DEus gratiam, ut placeret omnibus. Anno nondum elapso, parit puellam: quâ ablactatâ, vocat solam Grifeldem Gualterus, & ait: Scis, unde veneris, quid promiseris: tu mihi quidem places, sed non meis cognatis & subditis, qui tali puellæ subesse nolunt: & quia ego amo pacem; cedo mihi infantem amandandam. Illa nec vultu, nec verbo indignationem præferens: Tu es, ait, noster Dominus: tuæ sumus, & ego, & hæc innocens pupula; fac de tuis, ut libet. Gualterus interea infantem famulo committit: quam mater ad necem rapi rata, tenero, ac velut ultimo, amplexu strinxit, signumque crucis fronti impressit: cæterùm tranquillâ mente nec

lacrymam, nec suspirium fudit. Puellam Gualterus Bononiam ad sororem suam misit, studiosè educandam, dissimulando tamen, cujus esset filia. Post annos quatuor sine ulla querela transactos peperit Griseldis filiolum gratiosissimum: quem Gualterus similiter post biennium ad sororem misit: Nolunt, inquiens, subditi talem habere Dominum, qui sit bubulcæ filius: nî tollam puerum, periclitamur ambo fortunarum & capitis. Illa simili modestiâ & patientiâ respondit ut antè. Labente tempore fama percrebuit: utramque prolem sublatam, & jam Marchionem moliri divortium. Convocatis subinde palatinis suis, evocat Griseldem Gualterus, eique hæc: Amo te quidem animitus, sed cogunt me consentitque Papa, ut ducam alteram, parem mihi, quæ jam in via est. Animo itaque forti cede alteri, & domum redi. Tum Griseldis animo pacatissimo: Scivi, quantum distet humilitas mea à Vestra Celsitudine: proinde, DEO teste, sic egi Dominam, ut in animo semper manserim ancilla. Gratias DEO & tibi pro honore. Domum redeo libenter; felix semper futura vidua, quòd aliquando talis viri fuerim uxor. Mox annulum restituit, superiores vestes deponit, & in sola camisia nudipes repetit domum paternam, illacrymante, dissimulante tamen dolorem, Marchione. Excitus concurrentis & commiserantis turbæ strepitu senex parens: Hoc ego semper putavi, ait: post primos amores sic fiet. Mansit cum patre diebus paucis, sui semper similis, nunquam querula Griseldis. Interea spargitur: Comitem Panicium adventare cum nova sponsa: fit apparatus nuptialis; Marchio ad Griseldem mittit, ut domum instructura adesset. Accurrit prompta, arreptis scopis purgat aulam, instruit mensam, sternit lectos & viliora exequitur. Die sequenti adest comes, sponsa, cognati, nobilitas: Griseldis in obsoleta veste suam veneratur heram. In ipso prandij apparatu compellat Griseldem Marchio. Quid tibi videtur de hac sponsa? Estne satis pulchra? Pulcherrima; inquit illa. Non potuit ultra se continere Gualterus, sed miratus & miseratus sortem Griseldis ait: O mea! Æternùm mea! Satis arduè tentata es. Nulla tibi similis fuit: nulla erit. Involat ergò in collum; Tu sola mea es, tu eris. Hi sunt liberi tui, filia & filius. Quam sponsam putabas, filia est tua. Illa præ gaudio tantùm non exanimis ruit in oscula liberorum: mox à matronis splendide induitur; Janicola in arcem accersitur, & honoratur: fit plausus major, quàm die nuptiarum? *Petrarcha de Obedientia & Fide Uxoria.* Vidisti heroicam rusticæ puellæ, ad omnem fortunam, & Heri nutum, paratæ resignationem? Non impetrabit a nobis similem JESUS?

FERIA IV.

Tessera diei: *Amor meus trabali cruce oneratus est!*

MEDITATIO: *DEUS Filium suum onerat cruce: CHRISTI erga eam affectus: DEIparæ V. dolor.*

1 ADora DEum O. M. & considera: quàm mirabili erga genus humanum benignitate, erga Filium austeritate, trabale lignum, non minùs ignominiâ, quàm pondere, gravissimum, humeris ejus jam aliunde fatiscentibus, imposuit; non aliter, ac Abraham olim Gen. 22. huic mysterio præludens, *tulit ligna holocausti, & imposuit super Isaac Filium suum.* Nimirum Filio, qui ultrò suscepit onus satisfaciendi pro peccatis nostris, imposuit quoque principale instrumentum satisfactionis; & supplicium, quod nos servi nequam meriti eramus. O inæstimabilem Dei & Domini nostri benignitatem: ut servos exoneret, Filium onerat! Quomodo jam excutiam leve jugum legis tuæ, Domine: qui infinitum pondus iniquitatum mearum transtulisti in Christum tuum? Portabo libenter: adjuva infirmitatem meam.

2. ADora D. JESUM, & considera: quomodo ad aspectum infamis & fatalis ligni secundùm sensitivam sui partem totus cohorruerit; sed animo & voluntate vividus ac validus, exultaverit Spiritu: quòd tandem apprehendere liceret machinam, quâ conteratur caput serpentis antiqui; arborem, cujus fructus sit in sanitatem gentium; stateram, cui appendatur pretium redemptionis nostræ. Longè igitur teneriore affectu, quàm postea discipulus suus, salutavit oblatam sibi crucem: Salve, salve, crux pretiosa, diu desiderata, solicitè amata, sine intermissione quæsita, ac tandem concupiscenti animo præparata. Tu mihi eris in cathedram Magistro; in thronum Regi, in aram Sacerdoti, in lectulum morienti. Collectis ergò residuis viribus, suavissimo amplexu apprehendit, consecravit, & honori amorique nostro commendavit, infame aliàs lignum, crucem. Et erit mihi jam horribilis aut invisa crux, sive tua, sive mea, Amabilissime JESU? Tua decorem & honorem accepit à corpore & sanguine tuo divino: meæ gratiam & levitatem conciliavit tua. Impone igitur; quam, & quot vis: Feram libenter per gratiam tuam.

3 VEnerare Deiparam V. & considera: quàm graviter eam affecerit aspectus prolatæ crucis. Hiccine est, cogitabat, thronus regnantis à Ligno Dei? hæc virga Imperij, quæ manibus non possit, humeris ferri debeat? hic floridus divini sponsi lectulus? hic thalamus verioris Salomonis,

lomonis, non jam sexcentis fortibus, sed millenis lictoribus stipatus? Fructum arboris deprædati sunt proto-parentes cum generatione sua: tibi; Fili mi, nudum reliquerunt truncum! O si liceret & Matri, supponere humeros: quàm leve mihi incumberet onus amore tui! Sed fiat Voluntas tua: siquidem elegisti torcular hoc calcare solus, & solus trahere plaustrum iniquitatis Filiorum hominum. Feram corde; quod humeris non possum. O Mater Afflictissima insere & meo cordi hanc arborem vitæ: vigeat in memoria mea, & fructum mihi ferat in patientia.

Propositum promptè acceptandi quasvis oblatas cruces.

LECTIO PRACTICA:

Quàm tenero fortique affectu amplectendæ sint cruces.

POstquam Salvator noster funestum & infame lignum obvijs amplexus est ulnis, & promptissimè humeros, cœli terræque molem ferentes, eidem subjecit: non illi tantùm, verùm & nostris crucibus mirabilem quendam conciliavit decorem, honorem & voluptatem: ut jam solicitè quærantur, cum gaudio inveniantur, & quadam triumphi specie portentur. Præter S. Andream Apostolum testes habemus innumeros & locupletissimos, omnis conditionis & ætatis.

Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra: inquit Paulus 2. Cor. 7. *Omne gaudium existimate, Fratres, cùm in varias incideritis tentationes*: monet Jacobus cap. 1. *Communicantes Christi passionibus gaudete: ut & in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes*: inquit Petrus 1. Pet. 4. Nam *in cruce salus, in cruce vita, in cruce protectio ab hostibus, in cruce infusio supernæ suavitatis, in cruce robur mentis, in cruce gaudium Spiritûs, in cruce Summa virtutis: in cruce perfectio Sanctitatis*: ait Kempensis lib. 2. c. 12.

S. Procopius M. judici tormenta majora minanti: Falleris, inquit, ô judex, si me tuis tormentis ad negandum Christum inducere speras: quin crede potiùs, nihil illis gratius jucundiusque existere posse. Quid enim ei, qui Christum amat, jucundius esse potest, quàm pati propter Christum? Quæ gazæ opulentiores esse possunt? Næ, si tu nôsses, quantum emolumenti mihi tuis tormentis accedat, non patereris inde me, quem odisti, tam locupletem & beatum fieri. SS. Marcus & Marcellianus fratres ferreis clavis palo affixi, dixerunt tyranno: Nunquam tam jucundè epulati sumus, quàm hæc libenter Jesu Christi causâ ferimus. S. Jonas, natione Persa, noctem, quam nudus totoque corpore laceratus in summo frigore exegerat, tam suavem sibi ac jucundam fuisse dixit; ut similem totâ vitâ non sit expertus, rationemq; addidit: Consolatio enim mihi præsto fuit ex sancto illo ligno, cui Dominus meus JESUS affixus erat. S. Thecla

S. Thecla post superatas fidei causâ bestias, ignem, carceres, animo ingenti sic DEUM affata est: Ecce me, ô Christe, ecce paratam me omnibus vitæ diebus quævis incendia, vincula & carceres pro nomine tuo sustinere: & pro majore semper gratia ac favore habebo, talia perpeti, quàm si quibuscunque mundi thesauris & delicijs daretur perfrui. Hanc unam, mi DEUS, gratiam postulo: ut tormenta liceat & multa, & continua pro nominis tui gloria perferre. S. Theresia, cui vita sine cruce morte acerbissimâ acerbior erat, in quodam colloquio cum Maria Diatia, rustica, sed magnæ sanctitatis, vetula octogenaria pauperrimã vitam agente Abulæ, dixit: Se valdè anxiè aspirare ad videndum DEum. Cui Maria reposuit: Se potiùs optare, hoc exilium sibi differri, ut plura pati posset. Nam in hac vita se posse aliquid DEO dare, tolerando cruces pro ejus amore: at in altera non aliud esse, quàm accipere præmium præteriti laboris; & cùm satis temporis supersit, ad fruendum DEO per totam æternitatem: æquum esse, hic multum pati propter dilectum, ut magis illi placeamus. *Lud. de Ponte in Vita P. Alvarez c.* 10. S. Agatha ad carcerem, quasi ad epulas invitata, ibat lætissima & gloriabunda.

S. P. N. Ignatius dicere solebat: A nulla re creata animum ita exhilarari posse, sicut à Spiritu S. exhilarantur ij, qui multa magnaq; pro Deo patiuntur. Notatus aliquando, præter illam suam ut animi, ita oris serenitatem perpetuam, vultu tristior esse, & suspiriosus, causam indicavit: quòd metueret; ne fortè minùs rectè ageretur in Societate; siquidem ab aliquot mensibus nihil adversi inaudivisset, sed omnia secundo cursu fluerent. Similiter S. Xaverius & Simon Rodericius, dum Olyssipone cernerent omnia sibi prosperè cedere, angebantur: quòd nullis persecutionibus exercerentur: quibus si diutiùs carerent, videri sibi nequaquam fideliter militare. Idem de se sentiebat P. Balthasar Alvarez. Unde, cùm post longiusculam prosperitatem, crucem oppidò gravem sibi sentiret immissam; respiravit quodammodo, &, serenatâ fronte, gaudioq; plenus, dixit: *Nunc video, DEum mihi benè velle; quem per suorum amicorum viam deducit. Nam diu fui solicitus; quòd videretur mei Dominus oblitus.* In Vita c. 40.

Altas igitur radices agat in animis nostris illud S. Jacobi: *Omne gaudium existimate, Fratres, cùm in varias tentationes incideritis.* Nam, ut ait S. Laurentius Justinianus in fascic. Amor. c. 11. *Utriusque lætitiæ ingens est causa; & persecutionem pati pro Christo, & conformari Christo. De persecutione quidem merces, & de conformitate provenit honor.*

Tessera diei: *Amor meus sub onere crucis collabitur.*

MEDITATIO: *DEUM servire & laborare facimus in peccatis nostris: CHRISTO crucem bajulanti quàm gravia fuerint? DEIpara V. occurrit Filio.*

1. ADora D. O. M. & considera: quomodo supremam & infinitam ejus Majestatem servili quodam labore oneramus, dum nos ad peccatum resolvimus. Cùm enim concursu omnipotentiæ illius omninò indigeamus ad quemvis motum nostrum (*sine me nihil potestis facere*, Joan. 15.) & ipse ultrò honestissimis ex causis eundem nobis obtulerit, offeratq; universaliter ad quosvis actus liberos sive bonos, sive malos, optando tamen semper bonos: dum ad malos declinamus, Deum valdè invitum, & indignantem, quodammodo trahimus ad cooperandum nobiscum, instar servi cujusdam. Unde expostulat per Isaiam cap. 43. *Servire me fecisti in peccatis tuis; præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis.* O quanto & quàm inviso labore fuit obruta Majestas illa: quando eam portentosi illi operarij iniquitatis quodammodo adegerunt ad cooperandum sibi in affligendo, excruciando & interficiendo filio suo unigenito! At numquid & ego modicum hujusmodi laborem præbui Deo; abutendo ejus concursu ad indignissima! Doleo, deprecor! Parce, misericordissime DEUS!

2. ADora D. JESUM, & considera eum laborantem sub onere crucis: Quàm bajulabat exhaustus viribus per sanguineum sudorem, noctem insomnem, cruentam flagellationem, & coronationem, adulto jam die. Ægerrimè trahebat trabale lignum; & nunc cespitabat, nunc impingebat, nunc concidebat, urgentibus continuò, protrudentibus, & exagitantibus satellitibus. At quòd vel maximè afflictissimum hunc bajulum gravabat & premebat; peccata nostra fuerunt, multitudine infinita, gravitate intolerabilia. *Posuit enim Dominus in eo iniquitatem omnium nostrûm.* Isaiæ 53. Quantum pondus vel mea solius? Ignosce, afflictissime Jesu; ecce ego deinceps ut jumentum ero apud te: impone onera & labores, quos voles, feram cum gratia tua, etiamsi sub onere sit concidendum & occumbendum.

3. VEnerare Deiparam V. & considera eam Christo bajulanti sibi crucem in quodam bivio, juxta antiquam traditionem, occurrentem cum Joanne & pijs quibusdam matronis. Cogita, quomodo utrinque aspectu mutuo sauciati fuerint, & affectibus magis, quàm verbis diserti, sua sibi corda communicârint, ac dolores. O Mater Afflictissima, jam non dicam te Mariam, sed Maram: quia amaritudine replevit te Dominus. Infunde illius guttam aliquam huic peccatrici animæ; ut tecum lugeat.

Proposi-

Propoſitum patiendi multa & gravia pro peccatis noſtris.

LECTIO PRACTICA:

CHRISTO non eſt aggravandus magis labor & crux.

QUantum Dominus ac Salvator noſter laboraverit in opere Redemptionis noſtræ, ſatis ſuperq; docet hiſtoria totius vitæ ipſius: luculentiùs tamen prodidit ultimus ærumnioſiſſimæ vitæ dies. *Multum quippe in eo laboravit Salvator*, inquit S. Bernardus Serm. 26. in Cantic. *nec in omni fabrica mundi tantum fatigationis Author aſſumpſit. Ille denique dixit & facta ſunt: mandavit, & creata ſunt: at verò in hoc, & in dictis ſuſtinuit contradicentes, & in factis obſervatores, & in tormentis illuſores, & in morte exprobratores.*

Et Serm. 11. in Cant. Sanè multum fatigationis aſſumpſit; quo multæ dilectionis hominem debitorem teneret, commoneretq; gratiarum actionis difficultas Redemptionis, quem minùs devotum eſſe fecerat creationis facilitas. Quid enim dicebat homo creatus & ingratus? Gratìs quidem conditus ſum, ſed nullo Authoris gravamine vel labore. Siquidem dixit, & factus ſum, quemadmodum & univerſa. Quid magnum eſt, ſi, quamlibèt magna, verbi facilitate donaveris? Sic beneficium creationis attenuans humana impietas, ingratitudinis materiam inde ſumebat, unde amoris cauſam habere debuerat, idq; ad excuſandas excuſationes in peccatis. Sed obſtructum eſt os loquentium iniqua. Luce clariùs patet, quantum modo, ô homo, diſpendium fecit pro te. De Domino ſervus, de Divite pauper, caro de Verbo, & de DEI Filio hominis filius fieri non deſpexit. Memento jam, te, etſi de nihilo factum, non tamen de nihilo redemptum. Sex diebus condidit omnia, & te inter omnia: at verò per totos 30. annos operatus eſt ſalutem tuam in medio terræ. O quantum laboravit ſuſtinens! *Ita Bernard.*

Gravis fuit Domini labor in prædicationis actione: ſed gravior longè in ſuppliciorum perpeſſione. Laboravit & laborat ut Medicus peritiſſimus pariter ac diligentiſſimus in aſſerenda ſalute animæ noſtræ: quamvis nos experiatur incurios in ea tuenda, negligentes in uſu pharmacorum præſcriptorum, obſtinatos in non cavendis relabendi periculis. Inviſit nihilominùs ægrotos quâvis horâ, ſuadet ſaniora, detegit pericula, medicinas de pretioſiſſimo ſanguinis ſui balſamo propinat: denique nihil ex parte ſua patitur deſiderari, quod ad conſervandam vel recipiendam ſalutem requiratur.

Laboravit, & laborat ut naviſſimus ac indefeſſus Magiſter in excolendis rudiſſimis, pigerrimis & contumaciſſimis diſcipulis. Docet, arguit, obſecrat, increpat in omni patientia & doctrina; invitat præmijs, terret ſupplicijs, ſolicitat exemplis, provocat coronis. Manè aſſidet foribus noſtris,

 ut ſobri-

ut sobrijs mentibus cœlestem instillet doctrinam; per diem varijs nos erudit aliorum casibus, ut discamus reprobare malum, & eligere bonum; vespere rationem exigit profectûs: nec ulli per omnem vitam nostram parcit labori, modò discamus sapere quæ sursum sunt, æstimare cruces, amare contemptus, despicere mundum cum pompa sua, & in officio continere carnem cum concupiscentijs suis.

Laboravit, & laborat ut Pastor optimus, de grege suo dies noctesq; solicitus. Ipse continuò educit, & reducit oves suas, præstatq; cumulatè, quod per Prophetam promiserat: *Ecce ego ipse requiram oves meas, & visitabo eas. -- In pascuis uberrimis pascam eas, & in montibus excelsis Israel erunt pascua earum: ibi requiescent in herbis virentibus, & in pascuis pinguibus pascentur super montes Israel. Ego pascam oves meas, & ego eas accubare faciam, dicit Dominus Deus. Quod perierat, requiram; &, quod abjectum erat, reducam; &, quod confractum fuerat, alligabo; &, quod infirmum fuerat, consolidabo; &, quod pingue & forte, custodiam.* Ezech. 34. Quid? quòd errantes assumit in humeros suos, infirmas sanat sanguine suo, & baculum crucis assumpsit in protectionem earum?

Sic laborantem pro salute nostra Dominum adhucne servire faciemus in peccatis nostris? Adhuc graviorem & longè molestiorem præbebimus ei laborem in iniquitatibus nostris? Adhuc molem crucis ipsius aggravabimus intolerabili pondere incorrigibilis irreligiositatis nostræ? Quin potiùs, monente Apostolo, Hebr. 12. *Deponentes omne pondus & circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in Anthorem & Consummatorem JESUM.*

FERIA VI.

Tessera diei: *Amor meus deficit sub mole crucis!*

MEDITATIO: *DEUS cruces nostras portat nobiscum: CHRISTUM juvat Simon Cyrenæus: Deiparæ V. dolor.*

1. ADora Deum O. M. & considera: quomodo cruces, quas nobis imponit, ipse portat nobiscum per suppeditatas gratias; quibus ita confortatur infirmitas nostra, ut non solùm oneri sufficientes simus; sed etiam cum exultatione portemus cruces nostras: nec gaudere solùm, sed superabundare gaudio in omni tribulatione nostra liceat; prout Apostolus de se testatus est 2. Cor. 7. Ne igitur queramur de crucibus nostris, tanquam importabilibus; non enim solum viribus nostris portandæ imponuntur; sed præstò est manus Domini, quæ adjuvet. *Omnia possum in eo, qui me confortat.*

fortat, Philipp. 4. Ignosce, Domine, pusillanimitati meæ. Non ampliùs querar aut murmurabo; Sed gratus suscipiam de manu tua hanc paterni affectûs tesseram; certus quòd non sines me tentari supra id, quod possum; sed facies cum tentatione proventum.

2. ADora D. JESUM, & considera: quomodo ipsi deficienti sub mole crucis Simon quidam Cyrenæus datus est adjutor, *ut tolleret crucem ejus* Matth. 27. Credibile autem est, Simonem non portâsse solum crucem; sed tantùm juvisse Dominum: qui, sicut crucifixus descendere de illa noluit; sic eam neque dimittere tunc voluit: tum ne aliquid molestiarum fugisse videretur; tum ne Simon innocens suâ causâ nimiùm gravaretur; tum maximè, ut sequacibus suis exemplum heroicæ constantiæ in portanda cruce præberet. Fuit autem auxilium illud causa non levis doloris Christo. Videbat enim, sibi datum esse non ex commiseratione; sed ne, penitùs occumbens sub onere crucis, evaderet ignominiosiorem & crudeliorem mortem in cruce. Vide, quomodo etiam levamina Christo non sunt sine gravamine. Compatior tibi, afflictissime Salvator. Invideo Simoni tam felicem sortem: in cujus partem cùm venire mihi non licuerit: feram saltèm promptus, amore tui, meam crucem; nec angariari me sinam.

3. VEnerare Deiparam V. & considera: quàm graviter indoluerit tum de summa debilitate & fatigatione Filij cruce onerati; tum quòd ipsimet non licuerit humeros supponere auxiliares, imò totam in se assumere crucem. Quàmvis enim & ipsâ doloris acerbitate pœnè confecta fuerit: Spiritus tamen promptus erat ad audendum, etiam supra vires. Tàm avidi crucis sunt JESUS & MARIA: & ego, qui centenas merui, unicam fugiam? Absit hoc probrum à servo JESU & MARIÆ. Amore vestri, dolorosissimi Amores mei, non feram solùm, sed quæram cruces: Adeste subsidio.

Propositum, recurrendi ad DEUM pro auxilio premente cruce nos vel proximos.

LECTIO PRACTICA:

Quomodo Christum juvare possimus in ferenda cruce.

MEritò felicem judicamus Cyrenæum illum Simonem, quòd ei contigerit, non tam per insolentium militum angariam, quàm divinâ electione juvare Dominum in ferenda cruce. Verùm & nos hujus felicitatis ac meriti participes esse possumus, si & mentem & humeros subjicere placeat sacro illi oneri. Mens subjicienda per frequentem piamq; memoriam & meditationem dolorum, quos tulit gravissimos Christus tum in gestanda trabali cruce (longitudo 15, latitudo 8 pedum erat) tum quando gestabatur ab ipsa.

Humeri ſubjiciendi, ut ad imitationem Salvatoris non velimus immunes eſſe à cruce. Nam ut obſervavit S. Ambroſius in c. 23. Lucæ: quòd Dominus ipſe primùm geſtaverit crucem, deinde tradita ſit Simoni: *id factum eſt, ut prius ipſe crucis ſuæ trophæum erigeret, deinde Martyribus* (ſive cruentis ſive incruentis) *traderet erigendum. Convenit enim: ut trophæum ſuum priùs ipſe victor attollat; ac deinde illud idem Chriſtus in homine, & homo portet in Chriſto.* Et Origenes: *Non ſolùm,* inquit, *eum conveniebat accipere crucem ſuam; ſed & nos conveniebat portare eam, ſalutarem nobis angariam adimplentes. Sic enim ipſe ſanxit: Qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus.* Matth. 10.

Cæterùm non noſtram tantùm ferendo crucem poſſumus imitari Dominum, eiq; gratificari: verùm & inſtar Simonis juvando proximum oneratum in bajulanda cruce ſua. Nam & hoc eſt portare crucem Chriſti, & onus ejus transferre in nos: cùm diſertè teſtatus ſit ipſe: *Amen dico vobis: quamdiu feciſtis uni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.* Matt. 25. Quatuor autem modis juvare poſſumus proximum in ferenda cruce ſua: ſcilicet Compaſſione, Adhortatione, Participatione vel Translatione, & Oratione.

Compaſſione juvamus, quando afflicto proximo conceptum de ipſius calamitate dolorem ſincerè teſtamur: cùm, ut canit vetus parœmia, *Gaudia ſunt miſeris, ſocios habuiſſe dolorum.* Et Chryſoſtomus hom. 67. ad pop. *Mœrentium Societas gravem triſtitiæ vehementiam auferre conſuevit. Sicut enim in onere, ſi quis ponderis partem ſuſceperit, ſoli ferenti ſarcinam levavit: ſic & in omnibus alijs.* Quod optimè declarat S. Thomas 1. 2. q. 38. a. 3. dicens: Naturaliter amicus condolens in triſtitijs eſt conſolativus. Cujus duplicem rationem tangit philoſophus l. 9. Eth. c. 11. quarum prima eſt: quia cùm ad triſtitiam pertineat aggravare; habet rationem cujuſdam oneris, à quo aliquis aggravatus alleviari cupit. Cùm ergò aliquis videt, de ſua triſtitia alios contriſtatos, fit ei quaſi quædam imaginatio: quòd illud onus alij cum ipſo ferant, quaſi conantes ad ipſum ab onere alleviandum; & ideò leviùs fert triſtitiæ onus, ſicut etiam in portandis oneribus corporalibus contingit. Secunda ratio & melior eſt: quia per hoc, quòd amici contriſtantur ei, percipit, ſe ab eis amari: quod eſt delectabile, ut ſup. dictum eſt. Unde, cùm omnis delectatio mitiget triſtitiam (ſicut ſuprà dictum) ſequitur: quòd amicus condolens mitiget triſtitiam. *Ita S. Thom.* Et ſic juvabat infirmos Apoſtolus: *Quis infirmatur, & ego non infirmor?* 2. Cor. 11.

Adhortatione juvamus: quando verbis congruis vel exemplo animos addimus afflicto, ad fortiter conſtanterq; ferendam crucem. Sic mulier illa fortis,

fortis, septem Machabæorum mater, filios in tormentis animabat: *Fili mi, miserere mei, quæ te in utero novem mensibus portavi* &c. *Peto, nate, ut adspicias ad cælum & terram* &c. Sic & alia Melithoni suo, è 40 MM. minimo animos addebat: *Fili, paulisper sustine: Ecce Christus ad januam stat, adjuvans te* Verbum enim opportunum torpentem suscitat animum, ut totis viribus annitatur ad superandum malum.

Participatione vel translatione juvamus: quando in partem oneris, laboris & molestiæ ultrò venimus, adeoq; onus dividimus, si divisibile est; vel totum transferimus in nos ipsos. Sic pater olim divisit pœnam à filio meritam, quando ei unum, sibi alterum erui curavit oculum. Alius dimidium plagarum amico infligendarum impetravit sibi. Alius pro alio se substituit in vincula & mortem, alius in captivitatem apud barbaros.

Oratione denique juvamus: quando fusis ad Deum ferventibus precibus, gratiam alteri impetramus ad ferendam crucem non æquo solùm, sed libenti animo. Quibus Christianæ charitatis officijs non potest non summè delectari JESUS, non suæ tantùm, verùm & omnis nostræ crucis bajulus.

SABBATO.

Tessera diei: *Amoris mei vultus quàm fœdè deformatus!*

MEDITATIO: *DEUS solari solet crucis bajulos: CHRISTO sudarium offert B. Veronica: Deiparæ V. solatium & dolor inde.*

1 ADora Deum O. M. & considera: quomodo crucigeros suos non solùm auxiliaribus gratijs confortat; sed subinde etiam solatio aliquo demulcet, ex paterna sua benignitate; & sudarium aliquod offert abstergendo sudori. Sic etiam ad Christum Dominum satiscentem sub mole crucis expedivit piam matronam; quæ ipsum pio commiserationis affectu aliquantùm recrearet, & sudarium abstergendo pulveri, sudori & sanguini, ex oculis & vultu, offerret. Erit: quando *Deus absterget omnem lachrymam ab oculis suorum afflictorum, & mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultrà* Apocalypſ. 21. Interìm contentus ero, ô Deus, totius consolationis sudariolo aliquo in tempore tribulationis; quò, absterso ab oculis pulvere, clariùs videam; nihil esse in hac vita beatius, quàm ut faciam & patiar omnem voluntatem tuam.

2 ADora D. JESUM & considera: quomodo eum inter summos animi, corporisque dolores aliquantùm recreârit pietas & compassio honestæ cujusdam matronæ Veronicæ, sudarium offerentis ad abstergendum è vultu squalorem. Tenue obsequium, sed gratissimum Christo in illa calamita-

lamitate: placuitque illud remunerari insigni prodigio, quo telæ oblatæ effigiem divini vultûs sui impressit, & in perpetuam grati animi tesseram tradidit. Ah menti & cordi meo imprime altiùs & distinctiùs, mi JESU, vivam tui patientis imaginem. Pone illam, ut signaculum super cor meum; ut signaculum super omnes sensus meos; ut signaculum super brachium meum: ut Te, amore mei, tanta passum, vivâ circumferam memoriâ, gratâ recolam mente, officiosissimâ prosequar voluntate, mortificatis colam sensibus, strenuo & continuo virtutum exercitio imiter atque honorem. Tu solus talis operis potes esse artifex: meum erit (quanquam & hoc non sine te) offerre tibi, instar telæ mundæ, animam puram.

3. VEnerare Deiparam V. & considera: eam quidem solatio aliquo affectam fuisse ab officiosa illa pietate Veronicæ; ideoque specialia grati animi signa erga eam dedisse: intimè tamen doluit de divino vultu sic deformato, tumido à colaphis, livido à pugnis, cruento à spinis, oppleto sputis, sordido pulveribus & luto. At nobis, ô Mater Afflictissima, amabilissimus est hic vultus Filij tui. Desiderent Angeli prospicere in illum Infinitâ Majestate radiantem: nobis eò sit gratior oportet, quò deformior est pro nobis. Talem pone mihi ante oculos, ô Domina, quoties aliqua vanitas mundi aut inordinata voluptas solicitabit cor meum.

Propositum consolandi & juvandi afflictos.

LECTIO PRACTICA:

Ad abstergendum mærorem in tribulatione optimum est sudarium intuitûs faciei Christi patientis.

MUlti in afflictione sua quærunt sibi solatia in rebus & actionibus illicitis: ut in commessationibus & ebrietatibus, in conversationibus jucundis sed non satis honestis, vel in studio & quadam dulcedine vindictæ. Verùm pessimè sibi consulunt miseri isti. Ad malum enim minus (si fortè malum est, quod immensum gloriæ pondus nobis operari potest) avertendum accersunt sibi longè, imò infinitè, majus; inciduntque in Scyllam cupientes vitare Charybdim. Nam malum, quo premuntur, eâ ratione non evadunt, sed solùm dissimulant: minùs acrem ejus sensum ad tempus quidem percipiunt; sed paulò pòst majus ipsius pondus, cum novo conscientiæ remorsu, sibi incumbere sentiunt, contracto insuper æterni supplicij reatu, & facto dispendio inæstimabilis præmij, quod per patientiam brevem lucrari poterant.

In sumptione vindictæ sit sanè dulcedo aliqua; sed per quales & quantas quæritur amaritudines? Quàm inquietus dies noctesque, quàm solicitus; quàm

quàm nunc timidus, & anceps, nunc ardens & insanus est amor vindictæ? Quantam variorum casuum, periculorum, criminum, & suppliciorum aliorumque damnorum trahit post se catenam? *Qui vincere alios conviciis & verberibus cogitant; in immensum bellum & pugnam erumpunt*, ait S. Chrysostomus Serm. de Mansuetudine, *mutuò insidiantur, calumnias struunt, pejerare audent, & accusationes meditantur eorum, quæ neque viderunt, neque audierunt: & in die quidem sicut canes rabidi quærente inimicum; noctem autem cogitando insumentes, quomodo malum aliquod machinentur.* Sæpè autem vel conatu suo frustrantur, vel supplicium gravius sibi accersunt.

Alij autem, ut labem sibi aspersam, mœroremque animi unà cum lacrymis abstergant; sudariolum aliquod quærunt vel apud Superiores & Judices, vel apud amicos. Quod quàmvis per se illicitum non sit; admodum tamen imperfectum est, & divitias Patientiæ dilapidant hujusmodi delicati martyres, imò imbelles confessores, maleque respondent passo pro ipsis Domino, nec imploranti vel adjutrices Angelorum legiones, vel vindicem Patrem. S. Bernardus Serm. 1. de S. Andrea dicit: *Incipientium esse crucem sustinere patienter; proficientium portare libenter; perfectorum verò amplecti eam ardenter.* Qui autem vel amicorum continuò emendicant solatia, vel implorant Superiorum opem, aut appellant Judicum authoritatem: neque in classe Incipientium sequi Christum, esse convincuntur, sed potiùs in cœtu Impatientium.

Opportunissimum, valdeque pretiosum, quia pretiosissimo sanguine suo tinctum, & divino vultu insignitum, offert afflictis sudarium Christus ipse. Optat nimirum docetque, ut, quavis premente cruce, qualicunque deformati convicio & calumnia, quocunque mœrore squalentes, conjiciamus in ipsum oculos animosque attentos. Ipse enim nobis est & exemplar absolutissimum patiendi, & incitamentum efficacissimum, & adjutor fortissimus, & consolator suavissimus, & præmium patientiæ liberalissimum. In vultu ejus squalido & cruento admiranda cernunt oculi piè curiosi, tàm ad consolationem, quàm ad compunctionem.

Ludovicus, Landgravius Hassiæ & Thuringiæ, Sponsæ suæ Sanctæ Elisabethæ in contestationem animi non solùm proni in ipsam, sed etiam pij in Patientem JESUM, obtulit ipsi pretiosum speculum, in quo singulari artificio relucebat Imago Crucifixi Salvatoris. Nullum aliud donum, quantumvis regium, tàm gratum accidisset, & opportunum, pijssimæ puellæ. In hoc notabat nævos suos, ut corrigeret; ex hoc discebat vanitatem mundi muliebris, ut contemneret; ad hoc mœsta confugiebat, ut solatium acciperet: tan-

ret; tantumque profecit ex hujus speculi crebro intuitu; ut, cùm regali cultu templum aliquando esset ingressa, & in Crucifixi imaginem oculos conjecisset; quàm dissimilis esset Domino ac Amori suo, illicò adverterit, ac se ipsam arguerit: En Creator & Redemptor meus, meâ causâ, nudus pendet in cruce; ego auro gemmisque fulgeo: ille spineam, ego auream gesto coronam. Proh pudor! Eâque cogitatione consternata corruit velut exanimis: ac posteà pompæ sæculi æternum Vale dixit. *Surius in Vita.* Tale Speculum nobis esse potest Sudarium Veronicæ, & quævis alia Patientem Jesum exhibens imago. Nam & confusionem ex ea reportare possumus, si nos conspexerimus Domino dissimiles; & consolationem uberrimam, si per crucis amorem & patientiæ studium nos inveneriмus ei conformatos. Nam, *sicut abundant passiones Christi in nobis: ita & per Christum abundat*, abundabitque, *consolatio nostra.* 2. Cor. 1.

DOMINICA PASSIONIS:

Tessera diei: *Amor meus Hierosolymâ in montem Calvariæ educitur.*

MEDITATIO: *DEUS deserit Hierosolymam: CHRISTUS ignominiosè inde educitur: Deiparæ V. dolor.*

1. ADora DEUM O. M. & considera: quàm charam habuerit, quàm gloriosam fecerit ante passionem Christi civitatem Jerusalem. Speciali elogio vocabatur Civitas Dei, *Civitas Sancti.* Isaiæ 52. De illa dixit Deus Isaiæ 37. *Protegam civitatem istam, ut salvem eam propter me, & propter David servum meum.* At postquam rea facta est sanguinis & mortis Christi; dictum est de illa per Jerem. Prophetam cap. 19. *Ponam civitatem hanc in stuporem, & sibilum: omnis, qui præterierit per eam, obstupescat, & sibilabit super universas plagas ejus. Sic conteram populum istum & civitatem istam; sicut conteritur vas figuli, quod non potest ultrà instaurari.* Deseruit, abjecit, delevit eam in æternum; Magnæ sunt & multæ misericordiæ Domini: verùm & terribilis vindicta ejus. Cave anima mea similis criminis rea fieri, crucifigendo iterum Dei Filium in temetipsa. Si enim interfectori Caini, homicidæ primi, statuta fuit Gen. 4. ultio septuplum; infectori autem Lamechi, similiter homicidæ, ultio septuagies septies: quanta jam erit ejus, qui fuerit reus sanguinis Filii Dei? & quidem post toleratam jam mortem pro nobis?

2. ADora D. JESUM & considera: eum ex ingrata & scelesta urbe egredientem versùs montem Calvariæ. Ibat onustus cruce, stipatus duobus latronibus, comitante innumerâ hominum & satellitum multitudine, quorum plerique insultabant oppresso. Luctuosior longè fuit hæc egres-

sio ex

ſo ex urbe, quàm Davidis fugientis à facie filij Abſalom. 2. Reg. 15. Ille ibat, ut vitam fugâ ſalvaret; ille, ut mortem crudeliſſimam oppeteret. Davidi ſolatio erant non pauci Amici, præſidio validus miles; unus, qui malediceret, inventus eſt Semei. In Chriſto omnia erant oppoſita; augebatque dolorem, quòd in ipſa urbis porta traditur gravi lapſu cum cruce corruiſſe, non ſine ſiniſtro omine urbis ruinæ. Affliċtiſſime vir dolorum, egreſſus ex ingrata urbe, ingredere caſtellum cordis mei; patent tibi portæ omnes animæ meæ. Ibi dominare in medio inimicorum tuorum, indomitarum paſſionum mearum; quas, ut junctis tecum viribus ponam ſcabellum pedum tuorum: arma, obſecro, cruce tuâ imbecillitatem meam.

3 VEnerare Deiparam V. & conſidera, quantus illi acceſſerit cumulus dolorum tum ex repetitis lapſibus Chriſti, tum ex luctuoſo ejusdem egreſſu ex urbe. Recolebat, quòd planxerat Jeremias Thren. 1. *Et egreſſus eſt à filia Sion omnis decor ejus.* Egreſſo enim Chriſto non aliud illam manebat, quàm ruina, vaſtitas & ignominia æterna: quam præſignabat vel ipſe ſitus Crucifixi Domini. Facie enim Occidentem reſpiciebat, tergo ad civitatem verſo. Recolebat quoque, quàm diſſimilis ſit hic egreſſus nupero in Civitatem ingreſſui, inter palmas & feſtivas acclamationes. O Mater affliċtiſſima per illos tuos dolores ſerva Filium tuum in corde meo & anima mea, ut inde nunquam egrediatur vel educatur! Quid enim ero ſine JESU?

Propoſitum ſequendi Chriſtum per ardua.

LECTIO PRACTICA.

Patienter ferendæ proſcriptiones, & aliæ locorum mutationes.

HIeroſolymâ, Religionis veræ & gentis arce, per ſummam ignominiam ejectus JESUS, tanquam peſtis civium, opprobrium hominum, & abjectio plebis, non ſuadet ſolùm, ſed regio exemplo imperat nobis, injuriæ ſimilis, ſi contingat, alacrem fortemque tolerantiam. Morem geſſerunt innumeri, tum primis Eccleſiæ ſæculis, qui teſte Apoſtolo Hebr. 11. proſcripti è popularium ſuorum cœtu, *circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, affliċti, quibus dignus non erat mundus, in ſolitudinibus errantes, in montibus & ſpeluncis, & in cavernis terræ:* tum poſterioribus etiam, nobisque propinquioribus, temporibus. Unum è Japonia, quem miremur & imitemur, producam heroem.

Cambacundonus, Japonum Imperator, ſæculo quinto ſupra decimum, exercitibus ſuis præfecerat ſtrenuiſſimos Duces Juſtum Ucondonum & Simonem Conderam, Chriſtianis Sacris utrumque initiatum, & in fide pro-

movenda inprimis zelosum. Contigit autem post annos aliquot, ut susurronum quispiam odio fidei Christianæ temulentum Imperatorem in eas ageret furias contra Christianos, qui jam ultra ducenta millia excreverant; ut intempestâ nocte miserit satellites, qui non solùm Patri Coellio V. Provinciali, quem ante paucas horas Imperator ipse stupendâ humanitate inviserat in navi, indiceret tumultuariam cum omnibus socijs proscriptionem: sed ipsi quoque Justo Ucodono denunciaret peremptoriè exilium, nisi ad avitam superstitionem rediret. Auditis nuncijs, Ucondonus sedatè, ac renidenti similis, *Ite*, inquit, *& renunciate statim Imperatori: Exilium me præoptare impietati; ac millies malle fortunarum omnium vitæque facere dispendium, quàm deficere à Sacris Christianis.* His acceptis, alios expedit mox tyrannus: qui ei capitalem exilij sententiam dicant: quæ nimirum non solùm patrij cœli mutationem importat; sed bonorum omnium jacturam, exclusionem ab omni tecto, privationem ignis & aquæ, cum interminatione necis, quâcunque horâ tyranno libuerit. Eâdem sententiâ involvuntur omnes cognati, parentes, conjunx, liberi, famuli, & tota rei parentela. Verùm tàm dura pariter & iniqua denunciatio nec animum nec vultum Ucondoni mutavit: nec in aures admisit accurrentium amicorum consilia; ut dubio aliquo responso voluntati Imperatoris ac tempori cederet: sed minaci vultu perstringens trepidos, *Impium est*, ait, *quod suadetis; vanum, quod speratis. Egone vel Imperatori fucum faciam, vel juratam DEO fidem fallam? Ibo potiùs actutum, & constantiam in fide Christi coràm detegam Imperatori.* Ægrè ab hoc quàm generoso, tàm periculoso consilio potuit dimoveri. Ergò illucescente die convocatis Ducibus ac Tribunis suis, Christianis omnibus, virisque fortissimis, refert gesta de nocte: quomodo DEI miseratione dignus sit habitus, qui Christi causâ bonorum omnium jacturam (Principatuum duorum, cum annuo septuaginta millium aureorum stipendio) atque exilium pateretur. Gaudere se tam gloriosa, & paucis concessa sorte: cæterùm ipsi fideles inprimis Christo, dein Imperatori perstarent. Adhæc omnium vox insonuit: se Ducem suum non deserturos in adversis æquè ac prosperis. Sed jussi sunt pro bono religionis in obsequio Imperatoris perstare. Ipse ægre sub vesperam ex accurrentium & condolentium amicorum, principum & regum turba eluctatus, ubi conscensâ scaphâ ad Domesticos suos delatus est habitu sordido, sine satellitio & Magistratûs Insignibus, attonitos reddidit senem parentem Darium, Fratrem Tarojemodonum, ac potissimùm uxorem, ignaros adhuc quid ageretur. At ubi hæc fidei causâ accidisse audierunt; exultare omnes, ac inprimis Darius inter dulces lacrymæ filium amplexans, *Læta*, inquit, *Fi-*

quit, *Fili, narras. Benè nobiscum agitur, quando DEO placuit eo honore domum meam dignari. Eamus actutùm, quò DEVS vocat. Non terret egestas, & quidquid malorum in exilio Japonico est. Utinam daretur, & vitam pro Christo profundere.* Tum uxor, frater, & omnis familia in collum & ad genua Justi irruere, & solemni hymno Eucharistico conceptam lætitiam testari. Nec mora: collectis paucis sarcinulis læti omnes proficiscuntur, heri principes hodie mendici, in montibus & sylvis latibula quæsituri; quæ tandem in modica & abstrusa insula invenerunt; nec minore constantiâ, quàm fortitudine eam vicissitudinem tulerunt Christi amore. *Histor. S. J. p. 5 lib. 7.*

Nec nos igitur stomachari, vel queri decet, si quæ nobis contingat mutatio loci, etiam cum ignominia aliqua conjuncta. Ex omni loco patet in cœlum prospectus, si non oculis, certè menti: nec dormitat, vel nobis iniquus est, qui nos inde observat, Oculus.

FERIA II.

Tessera diei: *Amor meus magni planctûs argumentum!*

MEDITATIO: *DEVS in communi hominum corruptione plerumque sibi servat fideles quosdam: CHRISTVS non voluit sortem suam plangi: Deiparæ V. dolor.*

1 ADora DEUM O.M. & considera benignissimam ejus Providentiam; quâ in communi hominum corruptione plerumque sibi servat immunes à communi contagio quosdam; quorum probitate colatur, ac delectetur. Sic ante diluvium servavit sibi fidelem Noe cum domo sua. In communi defectione Israelitarum ad idola reliquit sibi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal. *Rom* 11. In passione quoque Christi, conspirante totâ natione Judaicâ adversus Dominum & adversus Christum ejus, reliquit sibi pias matronas quasdam, quæ malitiam populi sui & luctuosissimam Salvatoris sortem amaris deplorabant lachrymis. *Luc.* 23. Sis benedictus, Benignissime DEUS, quòd animas istas non permiseris afflari contagio communi! Da & mihi gratiam, obsecro, ut non sequar turbam tumultuantem, aut lascivientem; sed tibi adhæream fidelis; quidquid de me dixerit, aut senserit turba.

2. ADora Dominum JESUM, & considera: quomodo in tanta sua calamitate pias matronas, quæ non tacitâ compassione, sed effuso ploratu *plangebant & lamentabantur eum*: prohibuerit à lachrymis. Solet amicorum compassio & luctus aliquo solatio demulcere afflictos: at JESUS, dolorum nondum satur, etiam hoc tantillum levamen non admittit. Non vult sortem suam, quàmvis luctuosissimam, deplorari; utpote quam sibi non

necessitas, aut culpa aliqua, sed amor Patris, & Salutis humanæ imposuit. Quàm solicitè quærimus nos solatiola, etiam in minimis adversitatibus? Quantas provocamus nænias exaggeratione mali, quo premimur, & invectione in Authores ejus? Da, JESU patientissime, & dolorum avidissime, ut pleniùs intelligam felicem sortem patientis innocentiæ, & hoc sim contentus solatio, quòd tecum patiar & amore tui.

3 VEnerare Deiparam V. & considera, quòd, quàmvis ille piarum matronarum affectus compassionis erga filium suum ipsi acciderit gratissimus; ex alia parte cruciabatur intimè, quòd tam pauci inventi essent in tanto hominum concursu, qui aliquâ tangerentur commiseratione; tam multi, qui opprobrijs & diris insectarentur Dominum ac Deum suum, reddentes mala pro bonis. Dici poterat tunc quid simile illi 2. Reg. 15. *Toto corde universus Israel sequitur Absalom*, seu principem tenebrarum, rebellem Domino suo, & persequentem eum usque ad internecionem. O Mater afflictissima, fac me verè tecum flere, Crucifixo condolere, in planctu desidero.

Propositum Ferijs Sextis abstinendi à leviore conversatione.

LECTIO PRACTICA.

Abstinendum à lamentis & lacrymis tempore adversitatis.

CUm ex sæpè dictis manifestum sit; insigni beneficio & honore nos affici à DEO, dum ab eo adversis exercemur; ac insuper præclarissimam tunc nos habere occasionem, quâ mutuum illi testemur amorem, & fidelitatem: patet, indecens omninò esse, ut muliebriter solvamur in lacrymas & lamenta, dum durius aliquid pati contingit. Præclarè declaratum est id ab Æterna Sapientia Ministro suo, B. Henrico Susoni Ord. Præd. ut in ejus vita tradit Surius 25. Jan. cap. 47.

Sub initio conversionis suæ ad vitam perfectiorem, summoperè optabat Henricus haud vulgariter placere DEO, attamen absque labore gravi & dolore. Quem errorem ut eum dedoceret æterna Sapientia, cui specialiter addictus erat, ordinavit: ut in trajectu lacûs Constantiensis, in eadem navi comitem haberet egregium quendam juvenem, splendidè vestitum. Accessit ad eum, quæsivitque modestè: Quis esset, & quid negotij gereret? Respondit ille: negotium suum esse, nobiles juvenes in militari palæstra exercere hastiludijs, & alijs hujusmodi congressibus, quorum specimen darent coram frequenti populo & præsentia nobilium puellarum. Petijt ultrà Henricus: Quid ferat præmij, qui excelluerit? Puellarum pulcherrima digito ejus aureum, inquiebat, inserit annulum, plaudente universo populo. Cæterùm, antequam quis eo donetur præmio: oportere ipsum multa tolerare duriuscula,

stulæ, plagas & ictus egregios devorare, vultu omninò sereno, & absque ullo impatientiæ signo, etiamsi ex oculis ejus emicent scintillæ, & ex naribus sanguis prorumpat. Ergò nec vultum contrahere, nec lacrymulam fundere licet; subjunxit Henricus? Non licet, reposuit Juvenis: aliàs non tantùm non potietur annulo, sed ludibrio erit omnibus.

His auditis, Minister in se descendit, & medullitùs ingemiscens ait: Eja DEUS præstantissime, & longè omnium dignissime; si mundi hujus milites talia perpeti coguntur pro tam vili stipendio: quàm æquum est, ut pro æterna gloria duriores toleremus labores! O si dignus ego essem in spiritualium militum tuorum numerum adscribi! O speciosissima & æterna sapientia, cujus amabilitati nihil unquam potest comparari, quid faciam & patiar, ut à te annulum merear? Inter hæc in largas solutus est lacrymas. Ubi emenso itinere ad terminum pervenit, Ecclesiasten acturus; immanes in illum plurimæque afflictiones irruerunt: ut ferè opprimeretur. Tum ille omnis strenuæ ac infatigabilis militiæ oblitus, mœrens & nonnihil impatiens, cogitavit: cur DEUS illum tantoperè affligeret? Manè sequenti sub exortum diei sublatâ à sensibus animâ, sensit intùs, exprobrari sibi: Ubi jam est illa præcellens militia & strenuitas? Itane miles stramineus præfidenti eris animo in prosperis, fracto & fœmineo in adversis? Hac sanè ratione obtineri non potest annulus ille, quem tu concupiscis. Respondit Minister: Atqui Domine, certamina illa, in quibus oportet se tibi resignare & permittere, teque perpeti, nimiùm diuturna sunt. Ad quod illi mox repositum: Sed & honor, & gloria, & annulus militum meorum perennis est. His Minister in sese rejectus & convictus, submissè admodum dixit: Fateor, mi Domine, culpam meam: tantùm oro; ut afflicto mihi liceat lacrymas fundere: siquidem cor meum omninò redundat. Cui Dominus: Proh pudor! Visne in fœminæ morem lacrymari? Certè tibi ipsi apud omnes cœli cives ignominiæ notam inures. Terge oculos, & hilarem vultum exhibe; ut neque DEUS, neque homines advertant, afflictionis causâ te plorare. Cœpit ille subridere, fluitantibus tamen per genas lacrymis: promisitque, se nolle deinceps flere: modò possit ab Æterna Sapientia annulum obtinere. Et nos hunc annulum sperare possumus; si oculis siccis hilariq; vultu exceperimus & tulerimus adversa.

In Vitis PP. apud Ruffinum libr. 3. traditur de quodam Fratre: quòd quantò magis quidam eum injuriabatur, tantò magis ridebat gaudens & dicens: *Isti sunt, qui nobis occasionem præbent ad profectum nostrum.* Abbas Joannes ibidem refert de quodam Juvene, qui cùm per annos aliquot pretio

condu-

conduxisset quendam, qui eum Patientiam doceret, & post triennium ab alio gravi contumelia affectus esset; in cachinnos solutus est. Rogatus causam risûs, respondit: Tribus annis mercedem dedi, ut hoc paterer: nunc id gratis obtineo: & non ridebo? Subjungitque dictus Abbas: *Hæc est Porta DEI* (tribulatio seu crux) *per quam Patres nostri gaudentes ingressi sunt Civitatem DEI.*

FERIA III.

Tessera diei: *Amor meus luget interitum populi ingratissimi.*

MEDITATIO: *DEI ultio quò tardior, eò gravior: CHRISTUS vult deplorari interitum hostium suorum: DEIparæ V. dolor.*

1\. ADora DEUM O. M. & considera, quòd non solùm sit Pater misericordiarum, sed etiam *DEUS, ultionum Dominus*, Ps. 93. Solet ille quidem dissimulare peccata hominum propter pœnitentiam, Sap. 11. at ubi hujus nulla cura tangit homines; quin potiùs pergunt thesaurisare sibi iram in die iræ; rapidus divinæ indignationis torrens, quasi intra aggeres longanimitatis & patientiæ diu collectus, eò majore erumpit impetu, grassatur clade; quò diutiùs fuerit coercitus. Sic persecutorum & interfectorum Filij sui pœnitentiam cùm ultra 30. annos expectâsset frustrà, irreparabili strage contrivit eos: prout Christus complorantibus mulieribus prædixerat Luc. 23. Recole jam, quando peccare, & quando pœnitentiam agere cœperis aut proposueris, & vide, ne illam præveniat ira DEI. Non omnes æquali tempore expectat DEUS.

2 ADora Dominum JESUM & considera ejus dicta ad plorantes mulieres Luc. 23. *Filiæ Jerusalem, nolite flere super me; sed super vos ipsas flete & super filios vestros.* Mitissimum cor Jesu magis tangitur alieno, quàm proprio malo. *Ecce venient dies, in quibus dicent: Beatæ steriles & ventres, qui non genuerunt; & ubera, quæ non lactaverunt; Tunc incipient dicere montibus: Cadite super nos; & collibus, operite nos.* Mox fontem tantarum calamitatum indicat: *Quia, si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Si hæc operantur peccata vestra in me; qui peccatum non feci, & omnium virtutum fructibus abundo, quid operabuntur in illis, qui inveterati dierum malorum, aruerunt in peccatis suis, & foco infernali maturissimi sunt? Redemptor Gratiosissime, nunc, nunc aperi mihi fontes lachrymarum; ut maturè defleam peccata mea. Peccavi; Doleo. Parce. Hoc momentum terminus peccatorum esto.

3\. Vene-

3. VEnerare DEIparam Virginem & considera: Quis sensus ejus fuerit, audito terribili illo vaticinio Christi. Elisæo cùm aperuisset DEUS 4. Reg. 8. quanta mala populo suo illaturus esset Hazael, rex Syriæ, *conturbatus est usque ad suffusionem vultûs, flevitque vir DEI.* Et quomodo non indoluerit acerbiùs longè graviori & extremæ calamitati populi sui Virgo, tenerrima, charitate ardentissima? Imò, quomodo non doluerit maximè, quòd *major effecta esset iniquitas filiæ populi sui peccato Sodomorum, quæ subversa est in momento*; Thren. 4. & tamen non sit, qui recogitet & recedat à via sua pessima! sed omnes, quasi vir unus, urgent Filium DEI in montem Calvariæ! Compatior tibi, ô Mater, & Filij & persecutorum ejus extremis malis afflictissima. Ne sinas, obsecro, me ita excœcari, ut non videam peccatum & periculum meum.

Propositum lugendi & pro viribus impediendi interitum animarum.

LECTIO PRACTICA.

De inimicorum nostrorum malis dolendum magis, quàm de proprijs.

VErus Amor inimicorum, quem nobis non suadet solùm, sed imperat Lex Christiana, urgetque exemplum Christi, non alio certiùs & manifestiùs probatur argumento, quàm intimi doloris sensu, dum illis triste aliquid accidisse discimus. Est enim is dolor germana nobilissimaque sinceri amoris proles. Ut enim amantis est, velle bonum amato: ita ejusdem proprium est, tristari de malo amati. Si is dolor non sit in amore; suspectus meritò habetur, quantumvis de altero magnificè loquatur, & in eum se præbeat liberalem. Quodsi is dolor ad eum ascendat gradum: ut de Inimici calamitate non solùm æquè doleamus, ac de propria; sed etiam magis: non solùm impleta est mensura imperatæ dilectionis, sed etiam superaffluenter impleta: & proximè accessimus ad exemplum heroicæ Charitatis Salvatoris nostri, qui à pijs matronis voluit magis deplorari imminentem homicidiis suis calamitatem, quàm quæ premebat ipsummet.

Præclarum, & planè regium, sancti hujusmodi doloris præbuit exemplum etiam David, egitque illustrem typum Patientis DEI. Ubi enim accepit 2. Reg. 1. occubuisse capitalem hostem suum Saulem in montibus Gelboe: Absalonem quoque parricidam filium, malè interijsse 2. Reg. 18. in eas erupit nænias, quales nunquam ei expressit, sivè antecedenter, sive postea, quæcunque gravissima persecutio, sive à Saule, sive à proprio filio tolerata. Et quidem dolor planctusque super nece Absalonis, videri poterat magis à natura, quàm virtute expressus: Sed si animum advertamus ad similem, in quem erupit non tantùm ob amicissimi Jonathæ, sed etiam inimicis-

micissimi Saulis cædem: facilè dolorem & planctum utrumque summæ virtuti vindicabimus, dignumque judicabimus Davidem, qui se, & omnem mansuetudinem suam speciali memoriæ divinæ commendet. Psal. 131.

Doloris sui sinceritatem & magnitudinem testatus est inprimis, quando nuncium cæsi salutis peremptoriæ sententiæ fulmine afflavit sine mora: *Accedens irrue in eum.* Deinde quando insolito, & amoris pleno luctu planxit, & plangi imperavit ab omni populo non minùs Saulem, quàm Jonatham: *Considera Israel pro his, qui mortui sunt super excelsa tua vulnerati: Inclyti Israel super montes tuos interfecti sunt! Quomodo ceciderunt fortes? Montes Gelboe, nec ros, nec pluvia veniant super vos* &c. Notandum autem studiosè prodigiosum illud, quia amoris plenissimum, inimici elogium: *Saul & Jonathas amabiles, & decori in vita sua, in morte quoque non sunt divisi: aquilis velociores, leonibus fortiores.* Oblitus injuriarum Saulis, memor beneficiorum Jonathæ, jungit utrumque in titulo amoris, *Saul & Jonathas amabiles!* Quàmvis Saul tigride sævior, Jonathas agno mitior: ambo tamen Davidi *decori in vita sua.*

Stupet hunc Christiani doloris & amoris excessum in Israelita Chrysostomus hom. 2. de Davide & Saule: *Postquam,* inquit, *audierat, regem in acie cecidisse; & discidit vestimenta sua, & cinere conspersus est, & eo luctu luxit, quo quis lugeret amisso primogenito, germanoque filio. Subinde nomen illius inclamans unà cum filij nomine, composito etiam in defuncti laudem encomio, ac vocis acerbi doloris testes emittens, impastus duravit usque ad vesperum, execrans & ipsa loca, quæ Saulis sanguinem exceperunt.* Nec his contentus David, cùm audîsset; à viris Jabes sepultum esse Saulem; misit nuncios suos ad eos, dixitque: *Benedicti vos Domino, qui fecistis misericordiam hanc cum Domino nostro Saul* (adhuc Dominum suum vocat) *& sepelistis eum. Ex tunc retribuet quidem vobis Dominus misericordiam & veritatem: sed & ego reddam gratiam, eò quòd fecistis verbum istud.* 2. Reg. 2.

Si non alius esset titulus, Davidem dicendi *Virum secundùm cor DEI*: sufficeret omninò tam heroicus inimici amor, & sincerus de malo ipsius dolor, idq; major, quàm de quavis propria calamitate. Hic est planè cordis Christi affectus: in hoc nos exerceamus Christiani, Religiosi & Ecclesiastici: ut simus Viri secundùm Cor Christi.

FERIA IV.

Tessera diei: *Amor meus ascendit montem Calvariæ.*

MEDITATIO. *Deus cur voluerit Christum in monte Calvariæ mori? Christi affectus in ascensu ejus montis: Deiparæ V. dolor.*

1. **A**Dora DEUM O. M. & considera: cur voluerit Christum non alibi, quàm in monte Calvariæ, mori? 1. Quia, ut ex antiquissima traditione & SS. Patrum testimonio habetur, ibi sepultus fuit primus homo & parens noster Adam: in cujus salutem, & totius generis ejus, ordinata fuit mors Christi. 2. Quia eundem montem consecraverant Abraham & Isaac heroicâ obedientiâ suâ: ibi enim immolandus erat Isaac, qui præsignabat Christum. 3. Quia eo tempore, quo passus est Christus, maximè infamis erat ea pars montis *Moria*, eò quod esset locus publicorum suppliciorum. Voluit autem DEUS, CHRISTUM extrema pati, & mortis ejus acerbitatem ex omni circumstantiarum genere aggravari: ut vel sic absterreremur à peccatis, quæ sic castigabantur in innocenti DEI Filio. O DEUS Benignissime; concute peccatricem hanc animam ingenti & constanti errore omnis peccati. Si alio titulo fugiendum non esset, sufficeret abundè, quid illius causâ sic excruciatus fuerit Filius tuus.

2. **A**Dora Dominum JESUM & considera eum ut innocentissimum & obedientissimum Isaacum, gravi pondere infamis ligni onustum, ægrè eluctantem in montem Calvariæ. Cogita, inter quos affectus conscenderit illud theatrum luctuosissimæ, quæ ab orbe condito datæ sunt, & dabuntur, tragœdiæ, spectaculum futurus DEO gratissimum, angelis tristissimum, hominibus probis saluberrimum, impijs funestissimum. Quantos elicuit actus profundissimæ submissionis & fortissimæ obedientiæ erga Patrem, tenerrimæ compassionis erga Matrem, intimæ commiserationis & charitatis erga genus humanum! Recole, quàm miserabili specie David profusus a facie Absalon! 2. Reg. 5. *Ascendit clivum olivarum, scandens & flens, nudis pedibus incedens, & operto capite; sed & omnis populus, qui erat cum eo, operto capite ascendebat plorans*; At longè miserabilior ascensus Christi in montem Calvariæ. Et nos inter plausus & triumphos ascendere, non nisi in templum gloriæ, volumus? Fallimur: Non ascendet in montem gloriæ Domini, qui non priùs cum JESU ascenderit montem Calvariæ. Trahe me post Te, Patientissime JESU.

3. **V**Enerare DEIparam Virginem & considera, quantum pondus doloris ipsi incubuerit, ascendente Filio in montem Calvariæ, seu *Moria*; quod quidam interpretantur: *Myrrha mea DEUS*. Ascendebat & ipsa, lectura fasciculum, imò jam grandem fascem, myrrhæ, commoraturum inter ubera memoriæ ejus, & voluntatis dolore plenæ, usque ad momentum vitæ. Ibi vel maximè dicere poterat: *Myrrha mea DEUS*; qui alias ei fuerat Botrus Cypri dulcissimus. Sic in hac vita etiam ex optimis non datur fu-

gere meram dulcedinem. O Mater afflictissima, depone hunc tuum myrrhæ fascem inter ubera mea, ut semper charissimus super omnia mihi sit DEUS; sive sit myrrha mea in tribulatione, sive Favus distillans in consolatione & prosperitate.

Propositum ascendendi ad heroicam Patientiam, præsertim in occasione N.

LECTIO PRACTICA.

Eò tendendum, ibi commorandum libentiùs; ubi amplior patiendi occasio.

INtrepidus Salvatoris ac Domini nostri ascensus in montem Calvariæ invitat nos: ut fidi & alacres sequamur; nec refugiamus, quin potiùs appetamus ea loca, in quibus & absynthio potandi, & vestibus bonæ famæ atque honoris nudandi, & ignominiosè crucifigendi sumus. Si tale theatrum non mererentur peccata nostra, meretur certe Gratiosissimus JESUS, qui patibularem montem in catastrophen feralis tragœdiæ suæ elegit, & extremis, quibus poterat, viribus conscendit. Sequemur Servi Dominum? Arduum quidem est iter, funestus itineris terminus: Sed *Gloria magna est sequi Dominum.* Eccl. 23. Secuti sunt innumeri, quorum fidelitatem, magnanimitatem & gloriam à sæculo in sæculum enarrabit omnis Ecclesia Sanctorum.

De S. Dominico scribit Ferdinandus de Castillo in ejus Vita: eum libentiùs concionatum fuisse in ijs locis, in quibus contemnebatur, quàm in alijs, in quibus honorabatur. De Socijs S. Franscisci refert S. Bonaventura 1. p. Chron. c. 4. Multa eis in diversis partibus orbis inferebantur convicia, tanquam personis despicabilibus & ignotis: verùm amor Evangelij Christi adeò eos patientes effecerat, ut quærerent potiùs ibi esse, ubi persecutionem paterentur in corpore, quàm ubi cognitâ eorum sanctitate mundano possent gaudere favore. Socijs suis præscribit S. P. N. Ignatius p. 3. Constit. c. 2. & p. 6. c. 3. *Nostræ vocationis est, diversa loca peragrare, & vitam agere in quavis mundi plaga; ubi majus DEI obsequium, & animarum auxilium speratur:* quidquid sit de commodis vel incommodis proprijs. Quanquam incommodorum, contemptuum, & quorumvis adversorum, vult nos appetentiores esse, & non solùm *admittere,* sed *concupiscere totis viribus, quidquid Christus, Dominus noster, amavit & amplexus est.* In Exam. c. 4. §. 44. Mons ergò myrrhæ & Calvariæ appetendus magis, quàm excelsus ille, in quo tentator promisit, se daturum omnia regna mundi & gloriam eorum. Matt. 4.

S. Philippus Nerius, cùm per 33. annos in domicilio S. Hieronymi manens multa à quibusdam domesticis pateretur: ne occasionibus quotidianorum meritorum se privaret, noluit ad domicilium Patrum Congregationis Oratorij à se fundati transire; donec Summi Pontificis authoritate ad hoc fa-

ciendum coactus est: ut scribunt Gallonius & Baccius in ejus Vita. Nimirum Sancti non sunt de genimine illarum arborum, quæ amant loca pinguia, irrigua & amœna, nec possunt deserere pinguedinem & dulcedinem suam, etiam propter regnum; Judic. 9. sed sunt de stirpe earum plantarum, quæ amant terram siticulosam & asperam; ibique frondent amœniùs, & fructificant uberiùs.

De S. quadam Virgine Isidorâ memorat Palladius in Hist. Lausiaca, quòd in monasterio, quod incolebat, pessimè fuerit habita à domesticis, per annos plurimos convicijs, contumelijs & verberibus affecta, à communitate reliquarum segregata, atque ad culinæ infima ministeria relegata. Quæ omnia summo silentio & patientiâ toleravit. At ubi DEUS per Angelum Abbati Pityrum revelavit ejus Sanctimoniam: cœpit ab omnibus, dolentibus de sua temeritate, suspici & honorari. Verùm Isidora respuens locum, qui ei desiisset germinare cruces, profugit inde: ut nunquam resciri potuerit; quò Christi amica, & inimica honoris, secessisset.

Ut mons Calvariæ, mundo infamis & sceleratis horribilis, Christo fuit in desiderio & amore: ita qui Christum propiùs sequuntur, libenter relinquunt populo & delicijs plenam Hierosolymam, tenduntque avidiùs ad loca, in quibus sibi colligant pretiosioris myrrhæ fasciculum. Qui verò montem Calvariæ studiosè declinant; & habitationi suæ cum Lot planiora amœnioraque eligunt; ijs plerumque idem contingit, quód eidem Lot: ut eâdem calamitate cum sæculi amatoribus involvantur, ac primùm in gravem vitiorum servitutem abripiantur, deinde in præsenti salutis suæ periculo versentur: vel saltem justo DEI judicio plures aut graviores ibi reperiant cruces, quàm alibi timebant.

FERIA V.

Tessera diei: *Amor meus felle potatus est!*

MEDITATIO: *DEUS amaris dulcia miscet: CHRISTO offertur vinum felle mixtum DEIparæ V. dolor.*

I. ADora DEUM O. M. & considera antiquissimum ejus morem, quo solet propinatum hominibus calicem passionis temperare dulcedine alicujus consolationis. Scit enim, quàm delicati sensûs simus; quòd, parvulorum instar, vel non admittamus potiunculam amariorem, nisi labium calicis sit nectare aliquo illitum: vel facilè fastidiamus, nisi dulce aliquid superfundatur. Facit ille paterno affectu, quod faciebant Romani atrocioris supplicij studio; qui reos proximos extremo supplicio, ne intempestivè

occumberent, reficiebant haustu vini suavioris & generosioris. O Pater Suavissime; tu scis imbecillitatem meam: attempera, obsecro, mihi calicem passionis, non prout velle me nosti, sed prout scis conducere. Bibam, qualem offeres; offer, qualem bibere potero.

2. ADora Dominum JESUM, & considera: quomodo Judæorum malitia modicam illam refectionem, etiam latronibus non negatam, Christo vertere studuit in majus tormentum. Haustum enim vini, de more offerre solitum reis, inauditâ barbarie corruperunt, injecto felle tam copioso, & crasso: ut non tam potus, quàm esca videretur; juxta illud Psal. 68. *Dederunt in escam meam fel.* Dominus autem, *cùm gustâsset. noluit bibere* illud fel draconum, & venenum aspidum insanabile, non tam ob amaritudinem, (cujus erat avidissimus) quàm ob bilem malitiæ Judæorum illi inditam. Condoleo tibi, Dulcissime Salvator. O quàm libenter Tibi propinarem gratissimum palato tuo nectar, lachrymas cordis pœnitentis; nisi hoc saxo duriùs rigeret, & obstructi essent fontes oculorum meorum. Tu ipse illos aperi: fluant venâ perenni.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: quàm acerbo perfusa fuerit dolore, quando vidit funestum illud poculum labijs Christi admoveri. Non enim ignorabat, quo nectare conditum erat; cùm ignara non fuerit Scripturarum apertè vaticinantium de felle propinando Christo. Sciebat, quanta gratia diffusa fuerit in labijs ejus; Psal. 44. quàm longè aliam myrrham, primam scilicet, id est optimam, fragrantissimam & saluberrimam, solita sint distillare. Cant. 5. Dolebat igitur acerbissimè, eâ labia inquinari, & amaricari felle illo Hebræorum draconum. Compatior tibi, Mater afflictissima, & oro: Impetra gratiam, ut omnes actiones & cogitationes meæ accidant ad suavissimum gustum. Filij tui, Domini mei gratiosissimi.

Propositum mortificandi gustum, præsertim in occasione N.

LECTIO PRACTICA.

Quomodo mortificandus Gustus?

NOn solùm perdiligenter mortificandum esse gustum: sed primùm ineundum esse certamen adversus gastrimargiam seu concupiscentiam gulæ; docet cum S. Gregorio lib. 30. Mor. cæterisque ascetis Cassianus lib. 5. Instit. c. 3. Tum quia valde dedecet, Virum Spiritualem servire ventri seu gulæ, & parvulorum vel fœmellarum more captare illecebras gustûs: tum quia homo his deditus ad tractanda Spiritualia redditur ineptus. Modos mortificandi gustum complures tradit P. Nicol. Lancicius Opusc. 2. c. 2. è quibus propono paucos, merituros apud DEUM multa.

I. Morti-

I. Mortificetur Appetitus: ne quantitatem sustentationi necessariam transgrediatur. Id enim imperat ipsa virtus Temperantiæ, & excessus iste sine peccato non est, sive in cibo, sive in potu contingat.

II. Quantitate permissâ ita fruendum, ut nunquam plenè satieris. Id enim & sanitati plurimum conducit ex Medicorum omnium sensu, & constanti communique experientiâ: & præ rigidiore per longius tempus inedia commendatur. *Parcus cibus, & semper esuriens venter triduanis jejuniis præfertur: & multò meliùs est, quotidiè parum, quàm raro sumere*: inquit S. Hieronymus ep. 10. ad Furiam. In Vitis PP. refertur: quòd cùm Abbas Cassianus cum Socijs quibusdam invisisset senem quendam; is fecerit eos gustare; imò satiatos adhuc invitârit ad comedendum. Respondente quodam: se jam non posse; dixit Senex: Ego supervenientibus Fratribus diversis, jam sexies mensam posui, & dum singulos hortor, etiam ego ipse manducavi, & adhuc esurio: tu verò hìc semel manducans ita satiatus es; ut jam manducare non possis? Doctrina valde opportuna tam ijs, qui visitant, quàm qui excipiunt, alios.

III. Contenti simus cibo potuque communi, & nihil singulare appetamus aut admittamus: nisi manifesta ratio valetudinis vel præsentis occupationis, aliud requirat. Quod, ait Lancicius, omnibus quidem Religiosis diligenter observandum est; ijs tamen maximè, qui tenuiore fortunâ usi sunt in sæculo. Perstringit tales S. Hieronymus ep. 2. ad Nepotian. quòd, *qui vix milio & cibario pane rugientem ventrem saturare poterant: nunc* (in Religione) *similam & mel fastidiant*. Quodsi delicatius aliquid ultrò offeratur: qui id non tetigerit, aut per modicam delibationem irritatâ gulâ, reliquerit: *hic & Confessor & Martyr vocari potest: quia martyrij genus est, delicias habere, & illis non uti*: dixit S. Agnes S. Brigittæ. Quidam cum S. Conrado Placentino hujusmodi munuscula, si recusare non possunt, seponunt, nec attingunt, donec putrida scateant vermibus: & sic illudunt gulæ. Alij remittunt ad alios, præsertim ægros: contigitque aliquando circulus virtuosissimus, ut scribit Ruffinus; dum S. Macarius oblatam sibi uvam misit Fratri infirmo; sed is animo quàm corpore validior, intactam misit ad tertium, is ad alium, donec uva omnium cellulas pervagata redijt ad S. Macarium, gratulantem DEO talem abstinentiam in servis ejus. S. P. N. Ignatius nihil sibi uni apponi voluit unquam, & graviter administrum semel punivit; quòd uvæ racemum uni sibi apposuisset. *Maffejus in Vita lib. 3.*

IV. Si cibus non sit ritè conditus, non solùm non erumpendum in querelas, murmura aut diras: sed, etiamsi ipse condimentum facilè posses apponere,

ponere, v. g. salem, acetum, oleum &c. non apponendum. Alphonsus Rodriquez notæ sanctitatis Coadjutor in Societate nostra, per annos 30 salem non comedit; quia illi valde sapiebat: nec succo malorum citrinorum cibos aspergebat, prout in ea regione etiam plebeji faciunt. Multò minùs de malè conditis cibis conquerendum erit. S. Francisco Borgiæ cùm tyro coquus jusculum sapidius paraturus, herbas colligeret, etiam absynthium per inadvertentiam immiscuit. Paratum ferculum apponens: *Ede*, ajebat, *Pater, jus meâ manu conditum*. Comedit Franciscus libenter; rogatusque, ecquid placuisset: *Nihil unquam comedi me dignius*; respondit. Gustantibus, quod reliquum erat, socijs, deprehensus error, reprehensus coquus. Procidenti ad genua & deprecanti; *Dominus*, ajebat, *tibi benedicat, faciatque benignè. Unus tu, de tot fratribus, sensum meum nôsti: quâque potissimùm re indigeam, percalles*. Catapotia amarissima paulatim sorbillabat, & dentibus comminuebat: ut Christo felle potato aliquatenus responderet, & delicias gustûs, quibus olim esset usus, expiaret. *Schottus in Vita lib. 4. cap. 5*. P. Bernardus Colnagus noster studio, occultè tamen & dextrè insipidam aliquam herbam cibo immiscebat. P. Balthasar Alvarez cibum, qui ipsi sapiebat, statim amovebat.

V. In potu non tantùm non quærenda voluptas, sed adhibendus etiam insipidus: haustus non faciendi grandes, præsertim urgente siti. Sitis subinde toleranda diutiùs. Plura docebit Amor JESU, sitientis in cruce, felle potati ante crucifixionem, ad expiandos gulæ nostræ excessus.

FERIA VI.

Tessera diei: *Amor meus vestibus spoliatus est!*

MEDITATIO. *DEUS ad restituendam nobis stolam gratiæ Filium vestibus spoliari permittit: CHRISTUS nudatur: DEIparæ V. dolor.*

I. ADora DEUM O. M. & considera: quomodo amissam gratiæ stolam in Paradiso, & aliàs per actualia peccata, non aliter nobis restituere voluerit, quàm per Filium suum, vestibus suis omnibus spoliatum, & nudissimum inverecundis infinitæ multitudinis oculis propositum. Ut nuditatem corporum Adami & Evæ contegeret, facilè illis vestes pelliceas confecit: verùm ut ijsdem, & nobis restitueretur stola prima gratiæ sanctificantis, tunica polymita virtutum supernaturalium, paludamentum cœlestis gloriæ; majoribus opus fuit impensis, labore majore. Nec vellus tantùm, sed pellis detrahenda fuerunt Agno DEI. Quàm facilè prodigimus nos cœlestes illas animarum nostrarum vestes; licèt non nesciamus: sine ipsis nos non admittendos in conspectum DEI, sed ejiciendos in tenebras exterio-

exteriores, ubi erit fletus & stridor dentium! Matt. 22. Parce infanæ prodigalitati meæ, Liberalissime DEUS; Erubesco, doleo, supplico: Tege nuditatem prodigi tui.

2. ADora Dominum JESUM, & considera: Quomodo illi jamjam crucifigendo rabidi satellites vestes detraxerunt cum summo ipsius dolore & confusione. Vestis interior per sanguinem concretum adhæserat dilacerato virgis & flagris corpori: unde per violentam ejus detractionem necesse fuit magnâ parte renovari accepta vulnera, & cùm veste etiam cutis concisæ particulas quasdam avelli. Quæ avulsio & vulnerum renovatio sensibilior esse solet, quàm prima vulneratio. Ferunt: Sic nudatum Dominum, donec fossa & alia ad crucifixionem necessaria perficerentur, super lapidem consedisse, crudis vulneribus acerbissimè dolentem, vento, frigori & hominum ludibrio expositum: atque tunc ei oblatum esse vinum felle mixtum. Vide, ô anima mea, hunc Virum dolorum, vide, & considera. Hic sponsus tuus est, sed sponsus sanguinum; Rex tuus est, sed à latronibus spoliatus, & plagis impositis non relictus, sed ad gravius tormentum servatus. Offer nudo lacernulam aliquam, aut, si rem ipsi facere vis gratiorem, depone in gratiam illius habitus tuos vitiosos, & pedibus ejus substerne. Si tantum animi non habes, ut eos sine mora, violento quodam seu heroico modo tibi detrahas, saltem exue sensim & minore dolore. Adjuva, ô Patientissime JESU, quia nimis inhærent animæ meæ.

3. VEnerare DEIPARAM Virginem, & considera: Quanto dolore mersum fuerit cor ejus maternum, quando vidit JESUM sic spoliatum, sic denudatum coram tanta hominum copia. Non potuit Michol æquo animo ferre Davidem maritum suum, deposito regio cultu, non penitùs nudatum, sed accinctum ephod lineo, saltantem ante arcam Domini: *Quàm gloriosus*, inquiebat, *fuit hodiè Rex Israel, discooperiens se ante ancillas Servorum suorum: & nudatus est, quasi si nudetur unus de scurris.* 2. Reg. 6. Quo igitur animi dolore tulerit Virgo Mater tàm malè nudatum à latronibus filium & sponsum suum? Compatior Tibi, ô Afflictissima, & per illos dolores oro, ne patiaris me spoliari unquam pretiosâ divinæ gratiæ stolâ.

Propositum patienter ferendi quorumvis bonorum jacturam.

LECTIO PRACTICA.

In bonorum temporalium jactura exultandum, non dolendum.

BOnis temporalibus ultrò se exuere quanti sit meriti apud DEUM, docuit Magister noster CHRISTUS, quando in præmium promisit centuplum in hac vita, & beatam æternitatem in altera. Hinc innumeri amplissi-

mis opibus & possessionibus sponte atque gaudentes contulerunt, in lucro reponentes: quòd arenâ exiguâ & vili comparare sibi possint bona cœlestia atque æterna. At non minùs arduum, si non magis, est: Spoliari bonis, quàm ipsis spoliare seipsum. Præterquam enim, quòd utrobique par sit jactura, minùs sentire solemus damna, quæ ultrò facimus ipsi, quàm quæ patimur aliunde. Nam non sola tunc nos premunt damna; sed etiam, idque maximè, damnificatores, quorum iniquitas & odium nobis esse solent acerbissima. Proinde hilarescere possumus animitùs, & quòd erepti simus per paternam DEI Providentiam multorum malorum causis; & quòd uberiores habeamus, quos in cœlo speremus, thesauros; & quòd Redemptori nostro spoliato vestibus suis, ultimo sævientis fortunæ spolio, conformiores evaserimus.

Admirabiles fuerunt in tali casu S. Eustachius M. Dux exercituum Trajani Imperatoris inclytus, & S. Elisabeth, Andreæ regis Hungariæ filia, Ludovici, Hassiæ & Thuringiæ Landtgravij relicta Vidua. Eustachius per Christum crucifixum inter cornua cervi apparentem conversus, admonitusque: quanta ipsi pro ejus nomine essent ferenda, ingenti & gestienti animo complexus est crucem. Per catenata infortunia è ditissimo factus egenus, dum in Ægyptum abire parat cum liberis & uxore, etiam hanc in portu amisit: postea dum fluvium cum filiorum altero trajicere parat, alterum à leone abreptum dum liberare contendit, etiam alterum à lupo asportari vidit, nec opem ferre potuit. Omnia tamen æquissimo tulit animo, illud mente volvens, quod postea scripsit ep. ad Paul. S. Hieronymus: *Bonus est DEUS, & omnia, quæ bonus facit, bona sint, necesse est. Conjugis orbitas irrogatur: plango, quod accidit. Sed quia sic placet Domino, æquo animo sustinebo. Unicus raptus est filius: durum quidem, sed tolerabile; quia sustulit ille, qui dederat.* Dederat autem auferendum.

Elisabeth cùm festo quodam die splendidè vestita in templi ingressu oculos conjecisset in obviam Christi crucifix imaginem, hac cogitatione velut telo acutissimo confixa est: DEUS meus nudus in cruce pendet & moritur; ego superbè induta, auro gemmisque fulgeo, & mundi pompam duco. Quas vices reddo Domino ancilla insolens? Fuitque tam vehemens hujus cogitationis impressio: ut inter animi deliquia famulorum manibus templo efferri debuerit ad auram captandam. Abjectâ ergò vestium pompâ, statuit, deinceps nudum JESUM sequi propiùs: optavitque splendorem aulæ regalis cum mendicabulorum sorte commutare; quod ei post mortem mariti liberaliter datum est. Nam à Cognatis Ludovici bonis omnibus exuta ad eam egestatem redacta subitò est: ut nec in unum diem annona ei suppeteret, sed mendica-

mendicatò quærenda fuerit; & descendens ex arce in oppidum, vix casam invenerit, in qua pernoctaret. Gaudebat tamen in sinum, quòd cum Christo non haberet, ubi caput reclinaret. Manè autem facto ad Ecclesiam PP. Franciscanorum se contulit, & Eucharistico SS. Ambrosii atque Augustini hymno solemniter decantato, gratum DEO animum est testata. Accessit ad cumulum calamitatis: quòd inhumani bonorum invasores prolem quoque teneram, filiolum cum filiabus duabus, ad eam remiserint: quorum sors afflicta magis laniabat viscera matris, quàm calamitas propria, præsertim cùm hyemali tempore eos, ut par erat, fovere non posset. Excrevit in tantum egestas filiæ Regis Potentissimi, & Conjugis Ducis opulentissimi, DEO ad majus ejus meritum ita disponente: ut liberos ostiatim victum quærere oportuerit, Matre cum ipsis & pauperibus laborem manuum suarum dividente. Postquam autem Pontifice Maximo urgente, qui Thuringiam occupaverant, adacti sunt, ad dotem Elisabethæ restituendam, & congruam sustentationem ei præstandam: maluit ipsa cum nudo JESU perstare in sua egestate. Convocatis igitur ex tota Thuringia & Hassia pauperibus, dotem suam distribuit intra unum diem: nec adduci potuit à Legatis Regis patris sui, ut in Hungariam remigraret; sed in sinu sanctæ paupertatis ditissimum magnis meritis spiritum DEO reddere maluit, nobis documento relicto: Compendium felicitatis esse, dispendia fortunarum, amore JESU, pati libenter. Proinde *ab eo, qui aufert tibi vestimentum, etiam tunicam noli prohibere.* Luc. 6.

SABBATO.

Tessera diei: *Amor meus Cruci affigitur!*

MEDITATIO: *DEVS impassibilis variè configitur ab hominibus: CHRISTVS crudelissimè affigitur cruci: DEIparæ V. dolor.*

I. ADora DEUM O. M. & considera: quomodo malitia hominum non solùm in corpus Christi Dei sævierit, sed etiam extenderit, & extendat manus suas & impietatem sacrilegam, in ipsum summum illum, immortalem & impassibilem Spiritum, variè illum configendo. Queritur ipse Malachiæ 3. *Si affiget homo DEUM, quia vos configitis me. Et dixistis: In quo configimus te? In decimis, & in primitiis. Et in penuria maledicti estis, & me vos configitis gens tota.* Si per subtractionem primitiarum & decimarum se configi queritur DEUS; quantò magis configitur tanquam telis quibusdam lethalibus, enormibus alijs sceleribus hominum, præsertim dum gens seu tota communitas conspirat in aliquod nefas? Tangitur nimirùm dolore cordis intrinsecùs (humano modo loquendo) dum experitur homines, tam ingra-

tos & impudenter sceleſtos. At ſi arripuerit & ipſe ſagittas, ſeu lanceas ſuas, eaſque animæ noſtræ infixerit, quis medebitur nobis? O Miſericordiſſime DEUS, confige potiùs timore tui carnes meas, ne pereat anima mea pretioſo ſanguine Filij tui redempta!

2. ADora D. JESUM & conſidera miſerabilem pariter ac horribilem ſcenam in ejus crucifixione. Statim ac imperârunt carnifices, aſcendit crucem; vel, ſi humi fuit affixus, ſupinus ei incubuit, tanquam fatali lectulo ſuo; mox promptus extendit pedes manusque ad affixionem; totumque ſe permiſit crudeliſſimæ illorum voluntati. Recole Iſaacum poſitum ſuper lignorum ſtruem, & nudatâ cervice expectantem ictum gladij paterni. At Chriſti divinas manus ferociter arripiunt lictores, diſtendunt brachia, quàm poſſunt, maximè, & per medias manus repetitis ictibus crudeliter adigunt ingentes ferreos clavos. Similiter arreptis ſacris pedibus totum corpus tantâ violentiâ inſtar chordæ extenderunt, ut *dinumerari poſſent omnia oſſa ejus*, Pſal. 21. imò juncturæ membrorum ſolverentur. *Diſperſa ſunt omnia oſſa mea*, dum per nervoſiores pedum partes adacto clavo uno vel gemino atrociſſimè affixerunt, ſanguine divino ex 4. illis vivi paradyſi fluvijs profuſo, largè crucem terramque rigante. O manus diviniſſimæ, quibus hyacinthis vos plenas video, quàm copioſam amaramque ſtillatis myrrham! O pedes ſpecioſiſſimi pacem evangelizantis DEI! quibus ego vos lachrymis cum Magdalena rigabo? quibus imbuam ungventis? Amabiliſſime JESU, quis me tuæ configat cruci? Meipſum, obſecro, incita contra me, ut ipſe crucifixor & crucifixus carnem meam crucifigam cum concupiſcentijs ſuis.

3. VEnerare DEIPARAM V. & conſidera: Quomodo commota & conſciſſa ſunt materna ejus viſcera tam immani ſupplicio innocentiſſimi Filij ſui: Quomodo maternos ejus oculos ſauciavit horrenda illa divini corporis extenſio, divini ſanguinis perfuſio: Quomodo aures perculit feralis ſonus malleorum, & inſultantium ſatellitum petulantia: Quomodo cor ejus vulneravit admiranda & inaudita Chriſti patientia. Compatior ineffabili dolori tuo, ô Mater Afflictiſſima, & oro: Sancta Mater, iſtud agas, Crucifixi fige plagas cordi meo validè.

Propoſitum crucifigendi carnem cum concupiſcentijs ſuis.

LECTIO PRACTICA.

Quomodo nos cum Chriſto crucifigi oporteat?

Refert

REfert Cæsarius lib. 8. cap. 15. Christum D. cuidam Religioso Cisterciensi per visum ostendisse 15. Monachos secum Crucifixos, atque dixisse: *Hi soli ex omni Congregatione mecum crucifixi sunt; meæ Passioni vitam conformantes suam.* Non arguit Dominus cæteros tanquam vitiosos aut dissolutos: sed solùm indicat; eos ad hunc perfectionis & honoris gradum non pervenisse, ut essent cum ipso Crucifixi: quia nimirùm minùs dediti fuerunt mortificationi & tolerantiæ incommodorum atque injuriarum (quâ excelluerunt quindecim illi) quod est Passioni Christi vitam suam conformare. Cæterùm, ut clariùs appareat quid sit: Crucifixum esse cum Christo; seu, *Christo confixum esse cruci*, ut loquitur Apostolus Galat. 2. duo videntur ad id requiri.

Primum est, ut nos ipsos, amore JESU, privemus libero usu membrorum corporis nostri, præsertim manuum & pedum, idque constanter, per ferrea seu nunquam infringenda proposita, quæ vices subeant ferreorum clavorum. Quemadmodum enim cruci affixo liberum non est, ire quo vellet; totumque corpus expositum habet quibusvis incommodis & injurijs: sic eos, qui cum Christo crucifigi volunt, oportet habere manus pedesque non solùm vinculis quibusdam solubilibus adstrictos, sed velut clavis usque ad mortem affixos: ut non tantùm non possint cum impijs ambulare in circuitu, sed neque per amœna spatiari liberiùs, aut quærere lucra sua, vel tendere ad honorum fastigia. Imò si vocentur, atque invitentur ad talia, ire nec velint, nec possint; sed cum Apostolo dicere debeant: *Christo confixus sum cruci.* Similiter si inordinati quidam & discoli affectus, vel Socij, incitent impellantque ad hoc illudve agendum sive vitiosum, sive imperfectum; manus oportet esse immobiles: *Christo confixus sum cruci.* Corpus denique totum pateat & cœli & hominum injurijs, tanquam Christo confixum cruci ita; ut contraxisse videatur impotentiam quandam declinandi talia, vel se expediendi ab illis, vel procurandi sibi leniora quædam fomenta: qualem impotentiam suam prodidit castissimus Josephus solicitatus ad nefas, Genes. 39. *Quomodo possum hoc malum facere?* Et hoc intelligit Apostolus, dum ad Galat. 5. 24. dicit: *Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs.*

Alterum est: ut firmâ constantique voluntate velimus perpetuò expositi esse contemptui, ludibrijs, opprobrijs, calumnijs, & quibusvis in fama & honore injurijs: non solùm non reddendo, vel optando mala pro malis; sed optando & reddendo bona pro malis, orando pro persecutoribus, injurias excusando, ac omnem denique voluntatem & dispositionem DEI circa nos,

Q 2 quantum-

quantumvis gravem, fideliter fortiterque consummando. Hanc enim nobis exhibuit normam Crucifixus JESUS. Hoc est, Crucifigi cum Christo, & Christo configi cruci; seu *Pati Christiformiter*; prout in alis Seraphini sibi apparentis scriptum legit B. Henricus Suso.

Convertit enim sese aliquando eximius hic Crucis amator & bajulus ad DEUM, perquàm seriò orans, ut ipsum pati doceret. Apparuit ergò illi per visum similitudo Christi crucifixi in forma Seraphini, qui sex habebat alas: & duabus quidem tegebat caput, duabus pedes, & duabus volabat. In duabus infimis alis scriptum erat: *Afflictionem sponte suscipe.* In medijs; *Feras crucem æquanimiter.* In supremis expressum erat: *Disce pati Christiformiter.* Surius in Vita 25. Jan.

Hic nimirùm summus est gradus & apex Patientiæ nostræ, si conformata fuerit modo patiendi Crucifixi Christi. Nec aliam ob causam ipse Dominus talia & tanta tali modo pati voluit: nisi ut nobis in se ipso normam traderet patiendi; quam in momento Incarnationis inchoatam, omnibus numeris absolvit Crucifixus, & moriens in Cruce. Unde eleganter S. Laurentius Justinianus in Fascic. amor. cap. 11. *Se propterea Christus voluit transformare in singulos; ut charitatis compagine singulos reformaret in se, conformaretque sibi. Fecit se sicut te: ut te faceret sicut se.* Non est autem conformatio cum Christo absolutè perfecta: nisi sit conformatio cum Christo Crucifixo: quemadmodum nec opus reparatæ salutis nostræ consummari potuit, nisi à Crucifixo.

Crucifixus igitur Christus, Crucifixus JESUS, Crucifixus DEUS sit nobis in oculis, in mente, in corde: ut nostram nostri Crucifixionem feliciter absolvamus; memores, quòd *si socij fuerimus passionum* in ignominia & acerbitate crucis; *erimus & consolationis* in gloria æterna. 2. Cor. 1.

DOMINICA PALMARVM.

Tessera diei: *Amor meus Crucifixus quàm admirandum Objectum!*

MEDITATIO: *DEVS cur Christum crucifigi voluit? CHRISTVS Crucifixus quàm varijs hominum affectibus exceptus: DEIparæ V. dolor.*

I. ADora DEUM O. M. & considera causas, ob quas Christum, hostiam pro peccatis nostris, crucifigi, sapientissimè voluit. 1. Ut manifestiùs demonstraret sapientiam & potentiam suam summam; quòd non armis, aut politicis artibus, sed infami ligno & morte Christi ad suum, & ipsius obsequium subigere possit mundum universum. 2. Ut diabolus, qui per lignum vicerat, per lignum vinceretur. 3. Ut, unde mors oriebatur, inde vita resur-

ta resurgeret; adeoque magis pateret Sapientiâ Medici. 4. Ut Christus pendens inter cœlum & terram exhiberetur tanquam Mediator reconcilians ima summis. 5. Quia omnia omnium peccata in se susceperat Christus: summo, quod tunc erat, supplicio ea expiari voluit. 6. Ut eò magis animarentur Martyres ad sustinenda quævis tormenta. 7. Ut tantò amabilior nobis redderetur Christus & ipse Deus. Adoro Sapientiam & Bonitatem tuam infinitam; O. M. Deus, in crucifixione Filij tui maximè relucentem. Fieri non poterit, ut non amem Te; qui Filium Unigenitum voluisti crucifigi pro me?

2. ADora D. JESUM & considera: quibus hominum affectibus exceptus fuerit, postquam crucifixus apparuit. Confluxerant ad ferale spectaculum multa hominum incolarum & advenarum millia, frequentiâ longè majore, quàm ante dies 5; quando inter palmas & plausus introductus in urbem fuit JESUS. Vix erat, qui tangeretur commiseratione: *Sustinui; qui simul contristaretur; & non fuit: & qui consolaretur, & non inveni. Ps. 68.* imò, *omnes videntes me, deriserunt me; locuti sunt labijs, & moverunt caput. Aperuerunt super me os suum; sicut leo rapiens & rugiens. Ps. 21.* Exultabant Seniores cum populo, Pharisæi cum Scribis & Pontificibus; quòd tandem metam votorum suorum attigissent. *Satiati sunt pœnis meis. Job. 16.* Non clamatur jam: *Osanna in excelsis filio David; Benedictus, qui venit in nomine Domini Rex Israel*: *sed Maledictus, qui pendet in ligno. Deuter. 21.* Pilatum exagitabat conscientia sceleris: Judam, si nondum interijt, in laqueum impellebat desperatio, discipuli tunc maximè scandalum patiebantur; sola Mater cum Joanne recolebat mysterium, adorabat Crucifixum. Et ego Te, mi Jesu, non solùm regnantem à ligno; sed etiam pendentem in ligno, credo, confiteor & adoro Dominum meum & Deum meum. Benedictus sis in æternum & ultrà: quia pro nobis fieri voluisti maledictum. Absit mihi gloriari, nisi in cruce tua, in qua est salus, vita & resurrectio nostra.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: quomodo non erubuerit videri Mater Crucifixi JESU: imò propior accessit cruci; ut tam loci conjunctione, quàm doloris magnitudine profiteretur se Matrem, & è vicino profundiùs in cor maternum exciperet doloris gladium, è corde Crucifixi dolorum pleno vibratum. *Stabat ergò juxta crucem JESU Mater ejus.* Rarum spectaculum; in tanta talis filij calamitate videre Matrem stantem; idque juxta crucem JESU, omnibus tam invisi, ab omnibus maledicti. O Mulier fortis, gratulor Tibi tantam animi constantiam. O Mater doloro-

sissima, juxta crucem tecum stare, me libenter sociare in planctu desidero. Fac, ut nunquam è memoria, nunquam è corde mihi excidat JESUS CRUCIFIXUS.

Propositum venerandi & attentè intuendi Imagines Crucifixi JESV.

LECTIO PRACTICA.

Quibus affectibus intueri & recolere debemus Crucifixum JESVM.

I. A*Ffectu sinceræ Pœnitentiæ.* Causæ pœnitendi sunt: 1. Quòd etiam nostra peccata (ô qualia, quot & quanta!) causa fuerint totius Passionis & Mortis Christi. *Posuit in eo Dominus iniquitatem omnium nostrûm. Vulneratus est propter iniquitates nostras: attritus est propter scelera nostra.* Isa. 53. O quantum cæteris graviora mea! 2. Quòd ad hanc diem valdè frigidam egerimus pœnitentiam; & quæ fortè meritò sit suspecta. 3. Quòd emendatio vel nulla, vel exigua sit secuta; & quotidianis, ac ferè momentaneis peccatis iterum iterumque recrudescere fecerimus vulnera antiqua. Conteramus ergo totis gratiæ & naturæ viribus cor sceleratum, & in summa faciei confusione ingemiscamus cum Davide: *Peccavi!* Clamemus cum Bartimæo cœco: Luc. 18. *Jesu, Fili David, miserere mei!* Cum B. Catharina Genuensi: *Non ampliùs, Domine, non ampliùs!* Cum Ecclesia: *Ingemisco tanquam reus; Culpâ rubet vultus meus; supplicanti parce Deus.*

II. *Affectu fiduciæ & spei.* Causæ sunt: 1. DEI Misericordia infinita, ob quam plus potest dimittere, quàm infiniti peccatores peccare. 2. Benignitas Christi inexhausta, & sanguinis ejus efficacia infinita. 3. Oratio ejus, etiam in cruce pro peccatoribus, & Reservatio Stigmatum ad interpellandum pro peccatoribus. 4. Matris Christi summa benignitas, erga genus humanum charitas, & apud Filium authoritas. Quomodo ergo desperemus de venia, & non potiùs firmiter speremus gratiam & gloriam? Ecce in manibus suis descripsit nos. Dicamus cum Augustino: *Lege, Domine, scripturam,* utique gratiæ & misericordiæ, *& salva nos.* Non moriar, sed vivam. *Hinc enim pascor à vulnere, hinc lactor ab ubere.* Ecce Christus Patri ostendit vulnera: MARIA CHRISTO pectus & ubera: ubi orant hæc charitatis & clementiæ insignia, non potest esse repulsa; ait Arnoldus Carnoten:

III. *Affectu ardentis amoris.* Causæ sunt: 1. Charitas, quâ præventi sumus, idque ab æterno. 2. Quòd amati simus, etiam cùm inimici essemus. 3. Quòd amati simus usque ad profusionem totius sanguinis & vitæ. 4. Quòd innumeris titulis debeamus DEO & CHRISTO ejus amorem ex toto corde & anima tota. 5. Quòd hactenus offensas pro dilectione rependerimus. In-

mus. Inclamemus eum S. Magdalena de Pazzis: *O Amor! Amor! Amor! Quid aliud Te, Crucifixe Jesu, quàm Amorem appellem?* Et cum S: Bonaventura: *Transfige, dulcissime JESV, medullas & viscera animæ meæ, suavissimo ac saluberrimo amoris tui vulnere.* Cum S. Ignatio M: *Amor meus crucifixus est.* Quid aliud ut homines amabimus, si Jesum Crucifixum pro nobis, non amamus?

IV. *Affectu Timoris moderati.* Causæ sunt: 1. Iterata quodammodo Crucifixio, & divini sanguinis conculcatio, quoties lethaliter peccavimus. 2. Abusus Clementiæ & Misericordiæ divinæ, ac Redemptoris Christi, per tot annos. 3. Si hæc in viridi: quid fiet in arido? 4. Summa nostra Ingratitudo, & seriæ pœnitentiæ negligentia. Dicamus cum S. Psalte: Confige, Domine, timore tuo carnes meas. Confige, Gratiosissime JESU, clavis, vepribus & lanceâ tuâ cor meum, & animam totam: ut à judicijs tuis & cumulandis deinceps offensis, timeam medullitùs.

V. *Affectu Gratitudinis debitæ.* Causæ sunt: 1. Inæstimabile beneficium Redemptionis. 2. Redemptio copiosissima, & infinitè superaffluens. Cùm posset guttâ, maluit undâ. 3. Traditio Filij Dei, Domini mei, in mortem propter servum nequam. Canamus in æternum Misericordias & Beneficia Domini, cum Ecclesia: *O mira circa nos tuæ pietatis dignatio! O inæstimabilis dilectio charitatis! Vt servum redimeres, Filium tradidisti!* Inquiramus cum Psalmographo: *Quid retribuam Domino?*

VI. *Affectu Compassionis intimæ.* Causæ sunt: 1. Quia innocens vulneratus & occisus est Dominus. 2. Quia à planta pedis usque ad verticem capitis non est sanitas in eo. 3. Quia Rex tremendæ Majestatis factus est opprobrium hominum & abjectio plebis. 4. Quia hæc omnia tulit amore mei. Dicamus cum Sponsa Cant. 1. *Fasciculus myrrhæ Dilectus meus inter ubera mea commorabitur.* Et cum Bernardo: *DEVS meus pendet in patibulo: & ego voluptati operam dabo? Nolo vivere, Domine, sine vulnere, quia te video vulneratum.*

Denique quibusvis pijs affectibus, in omni genere virtutum, tumultuariè erumpentibus, imperante Charitate & impellente Gratitudine, prosequamur, veneremur, & colamus Crucifixum amore nostri DEUM ac Dominum nostrum. *CHARITAS* enim *Christi* inæstimabilis *urget nos.* 2. Cor. 5.

FERIA II.

Tessera diei: *Amor meus pendet in medio latronum!*

MEDITATIO: *DEVS summo honori Christi præmittit summam confusionem: CHRISTVS pendet in medio latronum: DEIparæ V. dolor.*

1. ADora DEUM O. M. & considera: quomodo, cùm CHRISTO deberentur summi honores, & hypostaticæ unionis, & maximorum me-

rum meritorum titulo; ut ipse esset *Caput supra omnem Ecclesiam*, Ephes. 1. *in omnibus primatum tenens*, Coloss. 1. præmitti tamen huic honorum fastigio & splendori confusionem summam, voluerit; ut non solùm reus mortis decerneretur, cruci affigeretur, in cruce moreretur; verùm etiam medius inter duos latrones penderet; quo nihil deterius & ignominiosius homini ingenuo & innocenti, nedum REGI Regum, DEI Filio, contingere potuit. Tanti erat, fastui & arrogantiæ nostræ ruborem adspergere. Erubesce jam; quisquis æquales non pateris, & vivere non potes, nisi summus inter tuos. DEI Filius propter te & fastum tuum pendet in patibulo, in medio latronum: tu parem pati non poteris in dignitate? Gratias Tibi immortales, Benignissime DEUS, pro tam pretioso superbiæ nostræ remedio.

2. ADora D. JESUM & considera eum pendentem in cruce in medio duorum latronum. Promovit eum ad hunc ignominiosissimum locum rabies dæmonum & hominum inaudita malitia: ut Sanctus Sanctorum videretur coryphæus latronum, & pessimis pejor. Pro malitiæ velo impositus est fastigio crucis titulus Judæorum Regis, quasi malis artibus, & seditione quæsitus. Proh! quàm longè deterior sors Christi in monte Calvariæ fuit, quàm in stabulo Bethlehemitico! Vidit illum ibi Propheta & attonitus exclamavit: *Consideravi opera tua, Domine, & expavi: in medio duorum animalium cognoscêris.* (Habac. 3. juxta versionem Septuag.) Quantò magis expavisset, imò obriguisset, si vidisset eum in patibulo in medio duorum latronum, & inter tot belluas immanes, quot erant persecutores! Quis jam Christianorum conqueratur de prostituta dignitate vel authoritate sua? DEI Filius & Dominus noster tanquam *novissimus virorum* (Isa. 53.) *cum sceleratis reputatus est*; nobis continuò in mente & ore erit illud architectorum turris Babel seu confusionis suæ: *Celebremus nomen nostrum*? Gen. 11.

3. VEnerare DEIparam V. & considera, quanto illam dolore cumulaverit gravissimus ille contemptus Christi: quando eum jam non vidit in stabulo, sed in patibulo; non in medio bovis & asini, sed ferocissimorum & sceleratissimorum latronum; non in medio Doctorum, aut inter Moysen & Eliam, sed inter proditores Domini sui & Deicidas. Compatior Tibi, ô Afflictissima! & obsecro, ut impetres mihi, Mater, non jam sessionem à dextris vel sinistris Filij tui in regno ejus; sed ut amem in cruce & ignominia ipsi associari. Hæc nunc sit pars & hæreditas mea. Amet, qui JESUM Crucifixum non novit, subsellia prima & cathedras primas: me locus novissimus decet.

Proposi-

Propositum patienter ferendi Confusiones, etiam publicas.

LECTIO PRACTICA.

Innocens etiam inter reos securus est sui: Reo etiam inter innocentes timendum.

PEndens in medio latronum Innocentia, JESUS, sustinuit animo planè divino ignominiosissimum supplicium: permisit, se infami ligno non premi solùm, sed opprimi, repositam habens in sinu suo spem non confundentem, de gloriosissimo propediem adfuturo Innocentiæ suæ triumpho. Non expostulavit proinde cum Præside iniquissimo, non vocavit ad Tribunal divinum sanguinariam turbam cum rabidis Pontificibus suis: sed libens institutum cursum suum permisit Providentiæ & Justitiæ divinæ, immani confusione & oppressione sui contempta, probè gnarus; neminem fieri reum nisi à se ipso; & superesse vindicem, qui nec falli, nec corrumpi possit.

Nullum est innocenti oppresso præsentius solatium & præsidium, quàm conscientia innocentiæ suæ DEO notæ & charæ. Hoc se tuebatur Joseph inter reos carceris socios; de quo Chrysostomus hom. 62. in Genes. *Adductus in carcerem*, inquit, *silenter tulit omnia. Non sicut alij: qui dum non sunt sibi conscij malitiæ, magnâ utuntur fiduciâ, & dicendi libertate, superbientes & inflati, & insurgentes contra eos, qui insontibus crimen intentant. Verùm ille non sic; sed silet, & omnia mansuetè fert, & magna cum patientia DEI expectat subsidium.* Quo factum est, ut non solùm impositi criminis ignominiam tacitus diluerit: verùm etiam Prophetiæ donum, & primam post regem in tota Ægypto meruerit dignitatem. Unde idem Chrysostomus epist. 3. ad Olymp. ait: *Nulla res æquè splendidos & admirandos homines reddit, tantoque bonorum acervo cumulat: ut tentationum frequentia, & pericula, & labores, & mærores, & perpetuæ insidiæ, ab ijs, à quibus minimè decebat, comparatæ; dum tamen omnia æquo & placido animo ferantur.* Non solùm cum sceleratis reputata, & in crucem acta; verùm etiam sepulta, & saxis obruta Innocentia germinare solet ut lilium; & flores ejus fructus honoris & honestatis: ut manifestum est in Salvatore & innumeris servis ejus.

Non sic impij, non sic. Lavent sanè inter innocentes manus suas: nemo hominum, nec oculus mundi sol sit testis iniquitatis eorum; abscondant illam non solùm in sinu, sed inscrutabili abysso cordis sui: securi tamen non sunt. Vidit enim & notavit Oculus, qui simul testis & Judex est. Prodet suo tempore, & innocentiæ larvam detrahet reis. Mirandum est, quod Discipulus tradit, Promt. lit. E. Exemp. 39. Bertoldus Palentinus de Guildispach Judex erat severissimus ita; ut furibus pro damno unius oboli vitam auferret. Un-

ret. Unde quoties domo exibat, laqueos cingulo suo appendebat: ne rerum pœna caperet dilationem. Die quâdam manè surgens; & laqueum cingulo suo more solito appendens, vocem in aere audivit: Bertolde, qui tibi primus in egressu tuo de castro occurrerit, hoc laqueo ipsum suspendas. Qui vocem pro omine & imperio accipiens, cùm procederet; primus ei occurrit Scultetus suus, homo, ut credebatur, rectus & honestus. Quo viso cùm satis doleret Bertoldus, eò quòd illum diligeret, dicebat ei: Doleo de occursu tuo. Quare, ait? Quia suspendêris. Quare suspendar? Nescio, respondit Palentinus: Sed præpara te per confessionem, & ordina de rebus tuis; quia voci divinæ resistere non valeo. Ille videns seriò rem agi, & se deprehensum, dixit: Justus est Dominus! Nam plures ad domum meam divertentes insecutus occidi; multis multa rapui, nec tibi, Domine, unquam fidelis extiti; neque pauperibus peperci. Mirati sunt omnes audientes ejus confessionem, & cognoverunt; reis, quantumvis occultis, imminere justum & omniscium Judicem: qui & innocentes subinde permittit inter sceleratos reputari ad majorem suam & ipsorum gloriam; & reos occultos è cœtu innocentium mirabiliter extractos, producit in lucem, & meritis afficit supplicijs.

Non omnis, qui pendet inter patibulatos, fur est aut latro: nec rarò inter justos sedet furcâ, rotâ, vel rogo dignus. Dominus est, qui merita discernit, & præmia suppliciaque dispensat, loco & tempore sibi placito. Si alicujus innocentiam in diploide infamiæ deducit in tumulum; educet illam gloriosiorem, ubi opportunum fuerit. *Dominus mortificat & vivificat: deducit ad inferos & reducit.* 1. Reg. 2. Timeant, qui habitu sacro vestiunt scelera sua: *Quia DEUS Scientiarum Dominus est, & ipsi præparantur cogitationes.* Ibid.

FERIA III.

Tessera diei: *Crucifixus Amor meus blasphemijs horrendis & improperijs exagitatus est!*

MEDITATIO: *DEUS & CRUCIFIXUS JESUS blasphemos & illusores tolerant: DEiparæ Virginis dolor.*

1 ADora DEUM O. M. & considera admirandam ejus longanimitatem & patientiam, quâ horrendas in Christum jactatas blasphemias & ludibria toleravit. Petulante joco perstrictus fuit Elisæus, & quidem à pueris parvis, 4. Reg. 2. & mox immisit in eos DEUS vindices ursos, qui ex eis duos supra triginta lacerârunt. Filium suum supremo agone luctantem lin-

tem linguis blasphemis crudeliter lacerari sinit impunè; quasi servus pretiosior illi esset Filio. Vide masculum DEI amorem, & rigidum procedendi modum cum Charissimis sibi. Et nos continuò mulceri optabimus? Vultum austerum, ne dicam manum castigantem, non feremus?

2. ADora D. JESUM, & considera, quantas pendens in cruce inter summos dolores toleraverit contumelias, ludibria, improperia, blasphemias à variæ conditionis hominibus. *Prætereuntes blasphemabant eum; moventes capita sua, & dicentes: Vah; quî destruis templum DEI, & in triduo reædificas illud; salva temetipsum.* Nec religiosiores fuerunt *principes Sacerdotum; sed illudentes cum Scribis & Senioribus dicebant: Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere. Si Rex Israel est, descendat nunc de cruce, & credimus ei. Confidit in DEO: Liberet nunc, si vult, eum;* Matth. 27. *Et stabat populus spectans, & deridebant eum Principes cum eis*, Luc. 23. *Illudebant autem ei & milites accedentes, & acetum offerentes ei, & dicentes: Si tu es Rex Judæorum, salvum te fac.* Ibid. Nec latrones cum eo crucifixi tacebant: *Idipsum & latrones improperabant ei.* Matth. 27. *Conviciabantur ei*, Marc. 15. Quæ convicia, improperia & blasphemiæ quàm acerba fuerint Afflictissimo JESU, prodidit per Psalmographum Psal. 68. *Quoniam, quem tu percussisti, persecuti sunt, & super dolorem vulnerum meorum addiderunt.* Compatior Tibi intimè, Afflictissime Salvator: Pro toleratis improperijs benedicet Tibi totis viribus anima mea: Laudabit, magnificabit, glorificabit, superexaltabit Te in sæculorum sæcula.

3. VEnerare DEIPARAM V. & considera: quomodo animam ejus divini honoris studiosissimam tot lanceis crudelissimis perfoderint impij illi; quot verba blasphemiæ & conviciorum jactârunt in Christum. Fuit autem dolor tantò major, quantò major erat copia illudentium & blasphemantium. Dicitur autem de his Psal. 21. *Omnes videntes me, deriserunt me; Locuti sunt labijs,* (horruit exprimere sacer Psaltes, quid locuti sint) *& moverunt caput* Recolebat quoque Afflictissima Virgo, non sine novo dolore, pœnas olim ab impijs illis dandas juxta comminationem Isaiæ cap. 1. *Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam; filijs sceleratis: dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt Sanctum Israel.* At ego per singulos dies benedicam illi, & laudabo nomen ejus in sæculum, & in sæculum sæculi. Adjuva me, ô Domina, & infrena os meum laude ipsius.

Propositum afflictos non affligendi ampliùs verbo aliquo.

LECTIO PRACTICA.

Afflictis non addenda Afflictio.

EA est inhumanorum quorundam cordium cruditas: ut non solùm gaudeant in calamitate & afflictione alterius; verùm etiam studeant, vel non caveant, afflicto addere afflictionem. Adversatur hæc pravitas inprimis Naturæ humanæ; quæ ut per se socialis est, amatque vitæ societatem: ita in compassionem prona est, moveturque tenero affectu, etiam dum animalia domestica gravi dolore laborare cernit. Innatam quoque sibi habet Maximam illam: *Quod tibi non vis fieri; alteri ne feceris.* Nolumus, & intolerabile nobis est; si alterum de afflictione nostra gaudere, aut intentum esse, ut illam augeat, advertamus: naturali ergo lege, & nobis ipsis à tam cruda inhumanitate est abstinendum.

Deinde adversatur Christianæ Charitati, cujus cardinales leges sunt: *Gaudere cum gaudentibus, Flere cum flentibus.* Rom. 12. Et Galat. 6. *Alter alterius onera portate: & sic adimplebitis legem Christi.* Qui compatitur afflicto, quasi partem oneris & doloris ejus transfert in se: & ille allevari se sentit, dum videt benevolum alterius erga se affectum. Qui vel gaudet de alterius afflictione, vel alio modo sinistrum erga eum prodit affectum: novum illi imponit onus, & acetum ejus felle miscet. Quod sanè barbarum & inhumanissimum est, proditque venenum & indolem antiqui serpentis, cujus negotium, solatium & gaudium est; inquietare, vexare, affligere & perdere homines.

Porrò Afflictio additur afflicto diversimodè. 1. Prodendo gaudium de ejus afflictione. 2. Ostendendo amarum erga illum animum, seu aversionem ab illo: v. g. non exhibendo ei solita humanitatis, aut communia Christianæ Charitatis officia, vel subtrahendo singularia benevolentiæ & amici affectûs signa, quæ aliàs tali personæ, aut similibus, exhibere solebas. 3. Improperando & exprobrando calamitatem præsentem, tanquam pœnam à DEO, justo Judice, inflictam, propter aliquos excessus, vel defectus. Qui aculei valdè acuti sunt; & intimè vehementerque pupugerunt ipsum illud Patientiæ Miraculum, innocentissimum Job. Amici enim ejus, non intelligentes occulta judicia divina, existimârunt: tantam calamitatem non aliam ob causam esse Jobo immissam, quàm quòd gravi quopiam delicto ipsum offenderit, & ad iram provocârit: cùm DEUS totam illam tragœdiam instituerit ad demonstrandam orbi, & ipsi Satanæ, innocentiam constantem & heroicam Viri patientiam, atque ad augenda ipsi merita, gloriam & coronas. In quem finem etiamnum multos sibi charissimos varijs, gravibusque exercet infortunijs & tribulationibus: ut plerumque periculosum sit, si non temerarium, judicare; DEUM in pœnam specialem talia ordinâsse. Quod, quàmvis

quamvis re verâ subinde ita sit: nobis tamen ita sentire periculosum est; tum quia DEus sæpè aliâ intentione talia agit; tum quia hoc ipso damnamus proximum alicujus gravis delicti (quis autem nos constituit judices?) cùm minora & communia non soleant graviter in hoc mundo plecti. Et sic accedimus iniquo sensui amicorum Job, similemque ac illi, meremur indignationem divinam. *Iratus est furor meus in te* (dixit Dominus ad Eliphaz) *& in duos amicos tuos.* Job. ult.

4. Addunt afflictionem afflicto, qui salsis dicterijs, sannis, convicijs, vel illusionibus eum lacessunt ac perstringunt, quasi unguem mittentes in ulcus. *Non irrideas hominem in amaritudine animæ suæ:* monet Spiritus S. per Ecclesiasticum c. 7. 12 *Est enim, qui humiliat & exaltat, circumspector DEVS.* Derisoribus affines sunt illi, qui hujusmodi hominum dicta, vel facta, vel agitata contra afflictum referunt eidem. Nam sub specie solatij pugionem adigunt in viscera ejus. Expedit ut nesciatur; quod jam evitari non potest, & cui tunc idonea remedia adhiberi non possunt. 5. Ad hanc injuriantium classem pertinent, qui vel nova onera imponunt afflicto, vel à communibus eum non eximunt, prout possent & deberent secundùm jura naturalia, Christianæ Charitatis, aut patriæ suæ. Portabunt judicium suum & divinum hujusmodi exactores. *Judicium sine misericordia illi, qui non fecerit misericordiam:* (Jac. 2.) quâ vel maximè indigent afflicti. Specialiter *parata sunt derisoribus judicia: & mallei percutientes stultorum corporibus.* Proverb. 19. Quid autem stultius, quàm deridere, vexare, aggravare afflictum?

Cæterùm in talibus occasionibus assurgant animis afflicti, & ipsâ tristi sorte suâ solentur se: tum quia momentaneum hoc & leve tribulationis æternum gloriæ pondus operatur in ipsis; tum quia Crucifixus DEUS, sannis, ludibrijs, convicijs, improperijs, blasphemijs, & omni genere contumeliarum exagitatus ab omni genere hominum in summa amaritudine animæ suæ, dignatus est, specialissimo favore, aliquatenus ipsos conformare sibi. Alioqui, ut notat S. Isidorus Pelusiota, *si DEI causâ quidpiam perpeti recusent; id tamen alio modo perpeti, necesse habebunt:* idque sine corona.

FERIA IV.

Tessera diei: *Crucifixus Amor meus à Patre derelictus est!*

MEDITATIO: *DEVS subtrahit Christo omne solatium: CHRISTI ultima 7. verba: DEIPARÆ Virginis dolor.*

1. ADora DEUM Optimum Maximum & considera: quomodo Crucifixo Domino JESU subtraxerit omne paternum solatium, il-

lumque inter inauditos & ineffabiles dolores plenè reliquerit imbecillitati Naturæ humanæ; ut experiretur, quidquid naturalis mali naturam humanam afficere potest. Poterat Afflictissimus JESUS potiori jure quàm Job cap. 30. conqueri Patri: *Mutatus es mihi in crudelem, & in duritiâ manûs tuæ adversaris mihi. Elevâsti me, &, quasi super ventum ponens, elisisti me validè.* Sic Pater egit cum Filio propter aliena peccata; quid malorum & derelictionis detrectabimus nos propter propria? Obsecro tamen, Pater misericordiarum, per vulnera & derelictionem Christi Filij tui: ne relinquas me mihi; quia pessimo pejor ero. Cætera subtrahe; ut libet; gratiam da, & relinque mihi.

2. ADora Dominum JESUM Crucifixum & considera ejus ultima verba in cruce. (*Si tempus non suffecerit, poterunt residua alio commodo per diem tempore expendi.*) Primum verbum & prima cura erat de Crucifixoribus suis. *Pater, dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt.* Luc. 23. Quanta & quàm digna imitatione charitas erga capitalissimos hostes! Secundum erga pœnitentem latronem: *Amen! dico tibi: Hodiè mecum eris in paradiso.* Latroni dixit, sed pœnitenti. Tertium ad Matrem: *Mulier, ecce filius tuus!* Et ad S. Joannem: *Ecce Mater tua!* Providet Matri & remuneratur Joanni virginitatem & præsentiam juxta crucem. Quartum circa horam nonam, post tres horas gravissimi agonis, clamavit voce magnâ: *DEUS meus, DEUS meus, ut quid dereliquisti me!* Horribilis derelictio & afflictio, quæ talem tantamque vocem morienti extorsit! Quintum; *Sitio!* non tam potum corporalem, quàm salutem animarum. Sextum; *Consummatum est*; quidquid agendum & patiendum fuit. Septimum; *Pater, in manus tuas commendo Spiritum meum.* Erat Patri commendatissimus; tamen commendat ampliùs ad nostram instructionem, quanta sit animæ cura habenda. Gratias tibi infinitas, Amabilissime JESU, pro his infinitæ sapientiæ & charitatis verbis. Imprime illa profundissimè animæ meæ: quia spiritus & vita sunt.

3. VEnerare DEIPARAM Virginem & considera, quàm varios in corde ipsius excitârint affectus prædicta verba. Precabatur & ipsa veniam Interfectoribus Filij: Gratulabatur latroni paradisum: Suscipiebat Joannem in Filium: Scindebantur viscera ejus tristissimâ derelictione Christi: Compatiebatur sitienti: Gratulabatur consummatum opus summè arduum: denique Patri Æterno offerebat & ipsa animam Filij. O Mater dolorosissima per salutifera illa verba, & vulnera Filij tui, per tuos illos affectus omnes fac, ut portem Christi mortem, Passionis ejus Sortem in jugi memoria.

Propositum acceptandi libenter à DEO & cruces, & desolationes.

LECTIO PRACTICA.

Quàm libenter acceptare debeamus à DEO & cruces & desolationes.

INter omnia, quæ Afflictissimus JESUS in animo & corpore passus est, tormenta, vix aliquod tam grave & acerbum fuit, ac horribilis illa in summis angustijs & doloribus Derelictio à Patre. Nihil, nihil prorsus aliunde affulgebat solatij: imò quoquò circumferebat oculos, nihil nisi immensam dolorum materiam videbat: non aliter ac naufragus quispiam, qui apprehensâ modicâ tabulâ, in medio Oceani, intempestâ teterrimâ nocte fluitans, ne scintillam quidem stellantis cœli videt, sed meram tristissimæ mortis imaginem, & fatalem, quâ jam jam absorbeatur, voraginem. Unde tristis illa apud Psalmographum naufragantis vox: *Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam. Infixus sum in limo profundi, & non est substantia. Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me. Laboravi clamans; raucæ factæ sunt fauces meæ: defecerunt oculi mei, dum spero in Deum meum.* En luctuosissimum solatij omnis defectum. *Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis. Confortati sunt, qui persecuti sunt me inimici mei injustè. Sustinui, qui simul contristaretur; & non fuit: & qui consolaretur; & non inveni.* Psal. 68. *Deus meus respice in me: quare me dereliquisti?* Psal. 21.

In similes angustias subinde devenire sinit Gratiosissimus Pater etiam adoptivos filios suos, quos teneriùs amat. Actis in crucem quampiam non levem subtrahit omne solatium tam divinum, quàm humanum, & quod ab ulla creatura capere possent; facitque ipsis amaritudinem suam amarissimam: ut ostendat angelis & hominibus, quàm viriliter eos amet, & quàm fortiter ametur ab ipsis. Sic exercuit olim Jobum, atque recentiùs inter alios B. Henricum Susonem, (de quo Surius 25. Jan. c. 40. Vitæ.) idque in medio laborum pro DEI gloria, & animarum salute susceptorum, fervore. Venerat aliquando Henricus ante Natalem Domini ad oppidum quoddam in Germania: cumque totus esset in docendo, & juvandis animabus, multusque ad ipsum fieret hominum concursus; convenit ipsum etiam versipellis fœmina, fœdumque prostibulum, animæ suæ remedia dolosè quærens. Excepit illam Vir DEI, quâ decuit charitate, juvitque & spiritualibus & temporalibus medijs; donec à fide dignis informatus de vita mulieris etiam tunc valde scandalosa, subtraxit illi paulisper suppeditari solitam annonam. Illa, indignatione furens, comminata est: se infantem, quem recenter per scelus enixa erat, ad eum delaturam, & patris nomine ipsum infamaturam. Cohorruit Henricus, advertens; undique sibi esse angustias. Si enim perge-

ret, familiariter agere cum muliere; sibi periculum & scandalum populi præstò erat; secus, infamia gravissima. Maluit tamen famam suam exponere, quàm periculum adire atque scandalum dare cum infamia non minore. Illa igitur ultrò citroque ad sæculares & religiosos cursitans, longè lateque innocentem sceleris insimulabat, ac denique infantem ad pedes ejus deposuit, seque proripuit. Non potuit non intimo cordis dolore tangi Vir Sanctus, non tàm suâ causâ, quàm Ordinis Sacri, cui fœdissima labes aspergebatur; & populi, apud quem labor omnis infructuosus esset futurus. Luctanti inter acerbissimum dolorem & metum, adfuit mulier alia, prompta ad remedium præsens tantis malis adhibendum; si infantem sibi permitteret, vel vivum sepeliendum nocturno tempore, vel adacta in cerebrum acu interimendum. Exhorruit iterùm ad tantum facinus Henricus: sed mulier zelo, ut sibi videbatur, pio succensa, instabat, urgebatque; ac tandem cultrum, ad id paratum, vibravit, quo infantem jugularet in ejus conspectu. Vix hanc cohibuit, atque ægrè persuasit, ut susciperet infantem suis impensis alendum: cùm adfuit amicorum quispiam, sanctè contestans: se calumniatricem illam mulierem è ponte dejecturum: ne pergat innocentem diffamare, prout continuò faciebat. Sic vir bonus & ab amicis & ab inimicis habuit, quod pateretur. Invalescente autem infamiâ & intolerabili animi afflictione, atque metu; ne res ad Ordinis Superiores deferreretur: ut levaminis aliquid caperet, adijt duos amicos suos, quos semper fidissimos expertus fuerat. Sed, DEO ita disponente, plus doloris ab illis retulit (refugientibus ejus conversationem etiam pijs alijs hominibus) convicijs & contumelijs oneratus. Et ne quid deesset ad cumulum malorum; contigit ut sub idem tempus Generalis & Provincialis Ord. Præd. venirent ad eam civitatem. Unde Henricus novum sensit in viscera sua adactum gladium. Putabat enim impossibile, ut sinistra de ipso fama tam latè diuque sparsa, ad ipsos non perveniret, & pro criminis gravitate ad supplicia non deposceretur. In his incredibilibus angustijs per hebdomadas aliquot absque omni solatio luctatus, & vix sui compos; vidit tandem affulgentem cœlitùs sibi lucem, calumniatores suos intra breve tempus repentinâ morte abreptos, redeuntes ad se amicos, Superiores nihil contra se attentantes, totamque tragœdiam quasi momento dissipatam.

Hoc certè est pati Christiformiter: Si patiaris absque omni humano divinoque solatio. Felix, cui datum est, ad hoc fastigium crucis & patientiæ ascendere! Ascendit S. Dominicus, qui, cùm graviter ægrotans, à Socio moneretur, ut solatium à DEO posceret: primò ipsum graviter increpuit dicens:

dicens: Nisi de tua simplicitate mihi constaret; te protinus hinc expellerem, quòd hæc dicere non sis veritus: dein in humum se abjiciens, Gratias, inquit, tibi ago, Amantissime DEUS, pro his, quæ mihi dedisti perferenda. Auge dolores, multiplica cruciatus, da centum morbos: dabis etiam, sat scio, patientiam. *Chron. S. Domin. c. 2.*

FERIA V.

Tessera diei: *Crucifixus Amor meus acerbissimo trium horarum agone conflictatus est!*

MEDITATIO: *DEUS horribili solis ecclipsi mundum involvit: CHRISTUS gravissimum trium horarum agonem sustinet: DEIPARÆ V. dolor.*

1. ADora DEUM O. M. & considera: Quomodo paulò post Crucifixionem Christi, quando impij planè effusi fuerunt in ludibria, improperia, & blasphemias, repentè contra naturæ ordinem, (plenilunium erat, in quo naturaliter contingere non potest ecclipsis) horrendâ solis eclipsi mundum universum, trium horarum spatio, involvit. *A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super universam terram usque ad horam nonam*, Matth. 27. Tùm ut aliquo modo velaretur nuditas Crucifixi, tùm maximè, ut consternati redirent ad cor prævaricatores, considerantes facinoris sui atrocitatem; quòd mundi oculus videre nollet, & author mundi perhorresceret. Vide ineffabilem Optimi Numinis benignitatem! Inter omnia, quæ operatus est eo tempore, prodigia maxima, nullum fuit alicui impiorum noxium. Horrendo hiatu dehiscens terra in sinistro latere montis Calvariæ neminem absorbuit, quàmvis incomparabiliter pejores adessent, quàm æmuli Moysis, Core, Dathan & Abiron. Nimirùm Misericordia Domini super omnia opera ejus. Suspice illam, Anima mea, & æstima; sed abuti cave, imitari stude.

2. ADora D. JESUM & considera eum Crucifixum gravissimo & acerbissimo agone tribus horis conflictantem. Dolor immanis torquebat membra omnia, viscera defectu spirituum & sanguinis contabuerunt, animam summa desolatio, tædium, tristitia cruciabant; verbo, patiebatur JESUS, quod nullus reorum aut martyrum passus est, vel patietur. Agebat tamen interim causam nostram, ac in particulari meam ac tuam, apud Patrem: commendabat illi Ecclesiam suam; repetebat orationem pro crucifixoribus in hostiam propitiationis & holocaustum amoris: offerebat se totum Patri, qui pridie se nobis obtulerat in cibum, stupendo miraculo, dignatione summâ, charitate infinitâ & usque ad finem vitæ constantissimè pro-

tractâ: *Cùm dilexiſſet ſuos, uſque in finem dilexit eos*, Joan. 13. non obſtantibus quibuſvis, quæ ante oculos ejus verſabantur, & præcipuum ejus tormentum erant, peccatis. O Amor mi crucifixe, condoleo intimè agoni tuo pleniſſimo doloris & amoris. Doleo autem maximè, quòd ego ipſe inter præcipuas illorum dolorum cauſas fuerim. Da veniam, & mortem felicem, per vulnera & acerbiſſimam agoniam tuam. Oro ſupplex & acclinis, cor contritum quaſi cinis, gere curam mei finis, à quo infinita pendet æternitas.

3. VEnerare DEIPARAM V. & conſidera ipſam quoque ſub cruce, in agonia quadam graviſſima poſitam fuiſſe. Si enim viva apprehenſio imminentis paſſionis Chriſtum deduxit ad agoniam, & anima ejus triſtis fuit uſque ad mortem; quidni & anima Matris in præſente extrema calamitate Filij, quam & oculis videbat, & auribus accipiebat, & attentiſſimâ mente clariſſimè perſpiciebat, quâ longè magis afficiebatur, quàm quovis cogitabili proprio malo; quidni, inquam, & anima talis Matris triſtis fuerit uſque ad mortem? Quam ſine dubio oppetijſſet, niſi divinâ virtute roborata fuiſſet, ut diuturniore martyrio fieret martyrum regina, non ſolùm dignitatis ſublimitate, ſed etiam dolorum acerbitate. O Mater Afflictiſſima, per lethales illos dolores tuos adeſto huic animæ peccatrici, ſupremo agone luctanti. Non perdat illam propria iniquitas, quam tanta Filij tui redemit charitas.

Propoſitum majorem habendi curam extremi agonis.

LECTIO PRACTICA.

Quàm gravis fuerit extrema agonia Chriſti: & quomodo noſtra inſtruenda.

GRavem ſupra omnem modum fuiſſe extremam Chriſti Agoniam; colligi poteſt ex ſequentibus capitibus. Quia 1. imminebat ſeparatio animæ à corpore ſummè naturaliter amato propter ejus naturalem perfectionem & aptitudinem ad perfectiſſimas operationes. 2. Imminebat ſeparatio animæ à corpore ſummè amato ſupernaturaliter eò: quòd fideliſſimè concurrerit ad operationes ſupernaturales perfectiſſimas & Theandricas. 3. Summmè horrebat natura interitum Hominis, qui non ſolùm erat Compendium totius Univerſi, ſed etiam omnium divinarum perfectionum. 4. Horrebat anima ceſſationem à nobiliſſimis & DEO maximè placitis operationibus humanis per triduum. 5. Pro incredibili zelo ſuo dolebat Chriſtus, jam adeſſe terminum laborum pro gloria Patris ſui. 6. Adeſſe terminum laborandi & patiendi amore hominum. 7. Adeſſe terminum operationum meritoriarum, quibus plures nobis compararet gratias. 8. Diſſolvendum eſſe Templum tantâ

Divinæ Omnipotentiæ virtute constructum, tam mirabiliter à Spiritu S. unctum & consecratum. 9. Horrebat Christus, Corpori omnis Ecclesiæ, Angelicæ & Humanæ, tollendum esse Caput. 10. Horrebat Filium DEI naturalem interire patibulatum. 11. Horrorem augebat mors oppetenda in medio latronum, non inter amplexus charorum. 12. Inter plausus & triumphos hostium suorum. 13. Protrahendum esse acerbissimum agonem per spatium horarum trium. 14. Ingruentes horribili solis eclipsi tenebræ horrorem addebant. 15. Dæmones ultimam rabiem exerentes, terribili specie se se objiciebant. 16. Totis viribus incitabant Judæos & Satellites, ut Christo quàm ægerrimè facerent. 17. Qui consolaretur, inventus est nemo. 18. E discipulis vix comparuit unus. 20. Alterius interitus temporalis & æternus dolorem addidit Magistro. 21. Prætereuntes turbæ blasphemabant, moventes capita sua, & dicentes: Vah! quî destruis templum DEI &c. 22. Milites Romani insolentissimè illudebant. 23. Latrones quoque, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei. 24. Similiter & principes Sacerdotum illudentes cum Scribis & Senioribus exprobrabant impotentiam ad evadendam mortem, solicitabant ad descendendum de cruce. 25. Pilatus solicitabatur ad mutandam Crucis inscriptionem, & abrogandum Christo titulum Regis Judæorum. 26. Satellites diripiebant vestimenta. 27 Mater cùm dilecto discipulo cruci adstantes dolore inexplicabili scindebantur. 28. Piæ quædam matronæ lacrymis liquescebant. 29. Magdalena inconsolabili luctu tabescebat. 30. Pater, quodammodo mutatus in crudelem, omne negabat solatium, vitamque solùm sustentabat ad exaggeranda mortis tormenta. Hæc talia ac tanta videre & audire, quanti doloris sunt argumenta morienti? Accesserunt incommoda & dolores corporis gravissimi. 31. Lectulus mortualis quàm incommodus, Crux? 32. Pedes quàm malè compositi, & dirè terebrati! 33. Manus & brachia quàm malè disposita, quàm ægrè, diductis vulneribus, corporis pondus sustinentia! 34. Caput quàm insolens & horridum cervical suffulciebat, Spinea Corona! 35. Faciei, nuditate corporis confusæ, atque lethali sudore, & terebratæ frontis cruore, madenti, quæ sudarium admoveret, nulla aderat Veronica. 36. Os, lingua, fauces incredibili ardebant siti. 37. In refrigerium non aqua aut vinum pro more, sed acetum admotum. 38. Humeri diuturnâ brachiorum extensione lassi, & à crucis bajulatione alto vulnere hiantes. 39. Pectus supra solitum prominens, gravi cordis luctantis palpitatione succutiebatur. 40. Corpus totum, vulnus unum, violentissimè usque ad luxationem artuum extensum, nec foveri poterat, nec moveri. Quàm gravis sic affecto corpore agonia? Animam in-

mam insuper alia inquietabant, gravabant, laniabant tristissima objecta. Ut 41. Enormis obstinatio, feritas & interitus populi Judaici. 42. Prævisus modicus fructus talium ac tantorum laborum & dolorum. 43. Hominum ingratitudo summa. 44. Enormia etiam à Christianis committenda peccata. 45. Hæreses & Schismata in Ecclesia. 46. Persecutiones gravissimæ fidelium. 47. Apostasiæ à Fide & Religione. 48. Complurium præcipuorum Ecclesiæ suæ membrorum vita scandalosa. 49. Injuria gravissima sibi & æterno Patri per necem Unigeniti illata. 50. Denique gravissimam & acerbissimam morienti JESU agoniam faciebat excessus Amoris & doloris omnes sensus, & partes corporis, omnes animæ potentias occupantis & opprimentis. Attendite, & Videte!

Dum talem video & considero Crucifixi DEI, ac Domini, atque Amoris nostri agoniam & mortem: inprimis non videtur consultum, ut lenem suavemque petamus à DEO, vel optemus nobis, mortem & agonem. Quin potiùs ipsius amore offeramus nos ad acerbissimum, & diuturnum cum gratia ipsius sustinendum. Est tempus illud extremum vitæ nostræ, & occasio ultima, quâ possimus per actus liberos tanto nostri Amatori mutuum testari amorem; quæ contestatio nullo alio modo fieri potest tam bene, ac per heroicam passionem: quidni ergo ad illam pro modico eo tempore nos resolvamus? Fortè & peccata nostra, atque neglecta per vitam mortificatio & satisfactio, non levem merentur agonem. Deinde per crebram & devotam Agoniæ Dominicæ memoriam studeamus nobis conciliare finalem gratiam, & patientiam heroicam pro illo articulo necessariam. Differant Angeli Musicam suam, si quâ morientes solari vellent: placet magis, in amaritudine animæ contritæ mori.

FERIA VI. PARASCEVES.

Tessera diei: *Amor meus in Cruce moritur!*

MEDITATIO: *DEVS quid nobis proponit in Christo Crucifixo? CHRISTVS moritur, & lanceâ vulneratur: DEIPARÆ V. dolor.*

2. ADora DEUM OPTIMUM, MAXIMUM, & considera: Quid nobis Pater Cœlestis proponat in Christo Crucifixo? I. Charitatem suam & ipsius Christi inæstimabilem erga genus humanum & singulos nos in particulari. *Sic DEVS dilexit mundum,* Joann. 3. *Dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* Galat. 2. II. Gravitatem peccati mortalis. *Attende, homo, quàm gravia oportet fuisse vulnera, pro quibus necesse fuit D. Christum vulnerari: imò mori in cruce.* III. Rigorem Justitiæ divinæ. *Si in viridi*

viridi ligno hæc faciunt; in arido quid fiet? Luc. 23. IV. Pretium animæ cujuslibet hominis. *Empti estis pretio magno.* 1. Corinth. 6. quia Infinito divini sanguinis V. Debitum nostrum infinitum, ut nos totos DEI honori & amori impendamus, ac ipsi vivamus. *Pro omnibus mortuus est Christus, ut, & qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est.* 2. Cor. 5. O Pater misericordiarum, infige altissimè cordi & memoriæ meæ divina hæc, quæ mihi in Crucifixo Filio Tuo proponis, documenta, ut secundùm illa deinceps vitam instituam, & agam omnem.

2. ADora D. JESUM CRUCIFIXUM, &, collectis accuratiùs sensibus ac viribus animæ omnibus, contemplare eum in cruce inter infinitos cruciatus & dolores cum clamore valido tui amore morientem. Grandis & totâ æternitate digna cogitatio, *JESVS CRVCIFIXVS.* Grande & à sæculis non visum spectaculum *DEVS MORIENS!* Grande & prodigiorum omnium prodigium maximum *DEVS AMORE HOMINIS MORIENS!* Expende illa per vulgaria illa, sed mysteriorum plena, Adjuncta: Quis, Quid, Ubi, Quibus auxilijs, Cur, Quomodo, Quando. Ac denique vide excessum stupendum Amoris Crucifixi JESU: quòd etiam post mortem suscipere voluerit vulnera, & ex aperto lanceâ latere & corde divino residuum sanguinis nobis impendere. Et adhuc non amabimus D. JESUM? & adhuc offendemus D. JESUM? Pudor! Insania! Lege, Anima mea, quam Apostolus Cruci Christi affixit decretalem sententiam: *Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema.* 1. Cor. 16.

3. VEnerare DEIPARAM V. & considera: Quo sensu corporis & animæ exceperit mortem Filij non auditam relatione hominum, sed oculis cominus spectatam. Si Matrem solùm unici & charissimi Filij cogitemus: grande tenemus inconsolabilis doloris argumentum. At, si Matrem consideremus Filij DEI, innumeris & gravissimis hominum peccatis oppressi, flagris, spinis, clavis excarnificati, à subditis perduellibus in crucem acti, à Judæis & Gentilibus, à Senioribus populi, Scribis, Pharisæis & Pontificibus inter enormia convicia & blasphemias crudelissimè trucidati: quis mente concipiat multitudinem & magnitudinem doloris? Quantus autem cumulus accessit; quando vidit militem etiam in mortuum sævientem & crudeli lanceâ intima divini cordis scrutantem? Nonne eadem lancea, pariterque acutissimus ille gladius Simeonis, cor & animam Matris penitùs pertransivit? O Mater dolorosissima, magna, magna erat, velut mare immensum, contritio tua & amaritudo animæ tuæ! Compatior Tibi toto corde, condoleo totâ animâ, & condolebo totâ vitâ meâ. At magis dolere

dolere debeo: quòd malitiosissimus peccator Tibi ac Filio Tuo tantorum fuerim causa dolorum. Ego, ego sum proditor ille, qui vendidit Filium Tuum! Ego fera illa pessima, quæ devoravit Filium Tuum! Doleo super omnia. Non ampliùs. Parce.

Propositum heroicum, tempori congruum.

LECTIO PRACTICA.

Quomodo dies hic luctuosus piè transigendus.

QUi hoc die non movetur eximiâ pietate in JESUM CRUCIFIXUM, Deum & Dominum suum: non Christianus, nedum Spiritualis aut Religiosus, sed brutum est, & infideli deterior. *Quis tam irreligiosus, qui nunc non compungatur? quis tam insolens, ut non humilietur? quis tam iracundus, ut non indulgeat? quis tam deliciosus, ut non abstineat? quis tam flagitiosus, ut non abstineat? quis tam malitiosus, ut non pœniteat his diebus?* quærit S. Bernardus Serm. 4. hebd. sacr. & addit: *Meritò quidem. Nempe adest Passio Domini, usque hodiè terram movens, petras scindens.* Si quando, hodiè certè æquissimum est: ut, quod requirit S. Augustinus, *Totus nobis figatur in corde; qui totus pro nobis fixus fuit in cruce.*

De Regina Armeniæ, conjuge Tigranis traditur: quòd, cùm ambo apud Cyrum Persarum regem captivi detinerentur, Cyrus aliquando ex Tigrane quæsierit: quid pro conjugis redemptione offerret in lytrum? Ille nil moratus, Integrum, ait, regnum, ô Rex: Sed quia illud jam meum non est: libens vitam & sanguinem totum dabo. Eo responso delectatus Cyrus, ambos liberos dimisit, regnoque restituit. Domi deinde Tigranes familiariter quæsivit è conjuge: quid de Cyri prudentia, & regia ejus magnificentia, pulchritudine, aliisque dotibus ipsi videretur? num omnem aulæ apparatum probè observâsset? Cui illa: Ego in Cyrum & pompam aulæ ejus oculos non conjeci; sed oculis & mente totâ fui fixa in eum, qui me sanguine & vitâ suâ in libertatem asserere voluit. *Penequin p. 2. Isagog. c. 16. Engelgrave dom. Quinquag.* Egregiè factum, dictumque. At nos miseros Dei Filius, regum Rex omnium, sanguine suo divino, & vitâ profusâ, non solùm redimere voluit; sed redemit. Quod ergo aliud objectum, his potissimùm diebus, in oculos mentemque admittere poterimus, quàm JESUM amore nostri crucifixum?

Inspice vulnera pendentis, sanguinem morientis, pretium redimentis, cicatrices resurgentis. Caput habet inclinatum ad osculandum, cor apertum ad diligendum, brachia extensa ad amplexandum, totum corpus expositum ad redimendum. Hæc quanta sint, cogitate: hæc in statera cordis vestri

appendi-

appendite: ut totus vobis figatur in corde, qui totus pro nobis fixus fuit in cruce: *movet Augustinus lib. de Virgin.*

Prima ergo Occupatio hujus diei, &, quantum fieri potest, omnibus per annum Sextis Ferijs, sit Attenta Passionis Dominicæ Meditatio. S. Magdalenæ de Pazzis dixit Christus in quodam raptu (3. par. Vit. §. 1.) Dico tibi: Si quâlibet Feriâ Sextâ attendes horæ, quâ exspiravi in cruce; continuò recipies particulares gratias à Spiritu, quem reddidi Patri æterno. Et quàmvis illum non senties: nihilominus semper requiescet in te. S. Paulus Apostolus tam assiduus fuit in recolenda Passione Christi, ut 1. Cor. 2. dixerit: Non arbitrari se aliquid scire, nisi JESUM, & hunc Crucifixum.

Secunda: Creberrimè & affectuosè oculos conjicere, & defigere in Imagines Crucifixi. Multi multa ex tali intuitu didicerunt, & magnos in pœnitentia & charitate progressus fecerunt. *Quod me plus omnibus accendit, urget, movet & permovet ad te diligendum; & super omnia amabilem te mihi reddit, ô bone JESV: est ignominiosissima mors, quam sustinuisti; Opus redemptionis nostræ:* ait S. August. l. 2. Confess. c. 16.

Tertia: Offerre sæpiùs Patri æterno Passionem, Agoniam, Sanguinem, & Mortem Christi. Faciebat hoc S. Magdalena de Paz. creberrimè & magno animi ardore pro peccatoribus & animabus defunctorum (ordinariè in diem quinquagies) ostenditque sæpè ei DEUS, multarum animarum hâc ratione per eam esse impetratam conversionem, & è Purgatorio liberationem. Aliquando in raptu exclamavit eadem Sancta: Quotiescunque creatura offert hunc sanguinem æterno Patri; tale donum offert; ut quasi non habeat DEUS pretium, quo illud solvat. Hoc donum est tam magnum: ut Pater æternus se reputet obligatum creaturæ suæ. *Lancic. Opusc. II. c.* 22.

Quarta: Suscipere aliqua rigidioris Mortificationis exercitia; uti sunt severius jejunium, asperioris cilicij gestatio, cruenta flagellatio, prolixior genuflexio, & brachiorum in modum crucis extensio, diuturna coram sepulchro Domini Meditatio & Oratio &c. Dies enim ista, tantis Domini tormentis dedicata, peculiari jure suo exigit à nobis insolitum quidpiam, & excessum quendam, discretum tamen, in corporis nostri castigatione. Si non aliàs, hodiè saltem verificetur etiam in nobis illud Apostoli ad Gal. 5. *Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitij & concupiscentijs.*

Quinta: Elicere amore Crucifixi JESU heroicum aliquem actum, ad quem aliàs nos resolvere non potuimus. v. g. Condonare insignem aliquam injuriam; exhibere insigne aliquod beneficium, vel benevolentiæ contestationem ei, à quo majorem animi aversionem sentimus; subire insignem aliquam,

etiam publicam, confusionem; subjicere se plenè voluntati Superiorum in ardua quâpiam occasione &c. Charitas enim Christi tam excessiva, Humiliatio tam inaudita, Obedientia tam ardua, Patientia tam fortis, hodie acriore stimulo urget nos; ut Domino, po nobis sic passo & mortuo, arduo aliquo virtutis actu respondeamus. *Christus enim passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* 1. Pet. 2.

SABBATO SANCTO.

Tessera diei: *Amor meus passus & sepultus est!*

MEDITATIO: *DEVS mortem Christi prodigijs clarificat: Erga CHRISTVM mortuum varij hominum affectus & studia: DEIPARÆ V. dolor, & spes inconcussa Resurrectionis.*

1. ADora DEUM O. M. & considera: Quomodo Christum, mox à morte, maximis prodigijs clarificaverit. 1. *Velum Templi*, quo velabantur Sancta Sanctorum, *scissum est in duas partes, à summo usque deorsum.* Quâ scissione, tanquam vestimento suo scisso, more gentis illius, testabatur DEUS quodammodo luctum suum & atrocitatem facinoris commissi in Christum à Sacerdotibus & Pontificibus. 2. *Terra mota est* concussione horribili & universali per totum mundum ita, ut in varijs provincijs non paucæ conciderint civitates. 3. *Petræ scissæ sunt*, præsertim in ipso monte Calvariæ, ubi ad sinistram manum Christi terra aperta est tanto hiatu, ut corpus humanum latitudine suâ facilè caperet: profunditate tantâ, ut fundus nullus inveniri possit. 4. *Monumenta aperta sunt, & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt.* Matt. 27. Quæ omnia facta sunt ad justum terrorem incutiendum impijs, ad asserendam innocentiam Christi, & ad ipsum glorificandum. Potentissime DEUS, ô scinde tandem & velum, quod est ante oculos meos; ut videam clariùs vanitatem mundi, fraudes dæmonis, & tuum erga me amorem. Concute me salutari timore, scinde, contere penitùs petram cordis mei: prodeat de monumento suo vetus homo, qui fœtet in me, & innova me in Salutari Tuo, JESU meo.

2. ADora D. JESUM, & considera miram mortis ejus efficaciam, quam exercuit illicò in animis hominum paulò antè petrâ durioribus. *Centurio, & qui cum eo erant, custodientes JESVM, timuerunt valdè, dicentes: Verè Filius DEI erat iste.* Matth. 27. Nec inter paucos stetit hic motus: *Et omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant, quæ fiebant, percutientes pectora sua revertebantur.* Luc. 23. Joseph autem, qui & ipse discipulus erat JESU, sed occultus, propter metum Judæorum, posito jam metu,

metu; *audacter introivit ad Pilatum, & petijt corpus JESU.* Nicodemus etiam, nocturnus olim discipulus Christi viventis, non veretur jam accurrere ad justa publicè persolvenda mortuo. Accesserunt quoque propiùs piæ matronæ, quæ aliàs *steterunt à longè*, & de cruce deposito suprema exhibuerunt officia. Denique intrepidè solemniqúe funere defertur ad monumentum novum corpus JESU; aromatibus, ut illustrium personarum solebant, liberaliter procuratum: factumque est, & constanter manet, manebitque *Sepulchrum ejus gloriosum.* Gratulor Tibi, Dolorosissime Salvator, hanc animorum mutationem, & tristissimæ sortis conversionem. Operetur & in me similia vivifica mors tua!

3. VEnerare DEIPARAM V. & considera: Quo affectuum genere depositum de cruce divinum corpus Filij materno exceperit sinu. Quo luctu prosecuta sit funus: quas gratias dixerit Josepho & Nicodemo. Ubi verò functi supremo illo officio, recesserunt à sepulchro; quomodo excitabant tum in viæ comitibus, tum in domesticis & discipulis spem vivam resurrectionis Christi, certò certiùs propediem futuræ. Ipsa verò verbis Patris sui David identidem evocabat è tumulo JESUM suum: *Exurge, gloria mea, exurge psalterium & cithara*, Psalm. 107. dissipa noctem mœroris nostri. *Exurgat DEUS, & dissipentur Inimici ejus.* Absterso squalore passionis *intende prosperè* in vota nostra, Fili mi JESU, *procede & regna.* Excita in me quoque, ô Domina, ardens desiderium reviviscentis in corde meo Filij tui; qui ibi velut sepultus, & obrutus temporalibus curis, jacet. Exurgat; & dissipentur inimici ejus, & mei: dissipentur terrenarum cogitationum pulveres: regnet, imperet in anima mea gloriosus; qui est super omnia DEUS benedictus in sæcula. Amen!

Vide denique, & statue: quomodo Festa Paschatis sis celebraturus cum majore Dei & Christi gloria ac fructu tuo.

Propositum, Patientes JESUM & MARIAM diligenter & constanter colendi.

LECTIO PRACTICA.

De Doloribus Deiparæ V. & religiosa eorum memoria.

MAgnitudinem doloris DEIparæ V. concepti ex Passione & Morte Filij sui, ex triplici potissimùm capite colligere aliquatenus, non plenè intelligere, possumus. 1. Ex qualitate seu excellentia & dignitate Christi: quem Virgo sciebat ita esse Filium suum, verumque hominem: ut simul esset verus DEI Filius, verusque DEUS: consequenter sciebat, esse Personam infinitæ Excellentiæ, Dignitatis, Sanctitatis, & omnigenæ Perfectionis. Unde paratissima fuit, non pro vita tantùm ipsius; sed pro evitando

vel minimo ejus dedecore millies profundere sanguinem omnem & vitam. 2. Ex summo Amore, quo in illum ferebatur. Cùm enim illum æstimaret super omnia, tanquam Summum Bonum: etiam amabat super Omnia, non solùm appretiativè, sed etiam intensivè. Amorem supernaturalem acuebat, & magis incendebat natura; cujus impulsu Matrum in filios amor est tenerrimus pariter ac fortissimus, tantoque ardentior, quantò Matri proles est similior. Unde concludit S. Bonaventura de Virginis dolore: *Nullus dolor amarior: quia nulla proles charior.* Quanto luctu prosecutus est David Absalonem, fratricidam & parricidam filium; quia præ cæteris dilectum; moribus quidem turpem, sed facie & cæsarie pulchrum, patrique similiorem? 3. Ex summo amore, quo à Filio amabatur super res omnes creatas; & observabatur atque honorabatur ut Mater, usque ad infimam subjectionem: *Erat subditus illis.* Luc. 2. Est hic amor & honor proborum filiorum erga parentes maximi doloris parens, præsertim si contingat ipsos immaturo, licèt non violento, fato defungi: vel si nesciant parentes, quid agatur cum filijs: ut in matre Tobiæ Junioris patet. Quis ergo doloris sensus oppressit cor maternum Virginis, quando non rescivit, sed vidit tam crudeli & ignominiosâ morte obtruncari Filium suum, in cujus mente & corde primas habebat ipse super omnia creata?

Ex his & similibus SS. Patres dolorosam Matrem Christi prædicant plus quàm Martyrem. S. Bernardus Serm. Signum Magn. ait: *Tuam animam pertransiit vis doloris: ut plùs quàm Martyrem non immeritò prædicemus; in qua nimirùm corporeæ sensum passionis excesserit compassionis affectus.* S. Anselmus de Excell. Virg. c. 5. *Quidquid crudelitatis,* inquit, *inflictum est corporibus Martyrum; leve fuit, aut potiùs nihil, comparatione tuæ passionis: quæ nimirùm suâ immensitate transfixit cuncta penetralia tua, tuique benedicti cordis intima.* Plus audet Sanct. Bernardinus apud Miechov. in Litan. Laur. disc. 386. dicens: *Tantus fuit dolor Virginis: ut si in omnes creaturas, quæ pati possunt, divideretur: omnes subitò interirent.* Nimirùm Speculum crystallinum erat Virgo: in cujus corde, tanquam in centro seu foco, colligebatur dolor omnis sparsus per Filij corpus & animam, æstuabatque vehementissimè.

Nec solùm Passionis tempore, sed per omnem vitam urebat illam hic dolor; imò septuplex dolor; prout ipsa S. Brigittæ revelavit, lib. 6. Revel. c. 57. dicens: *Primò fuit dolor in Cognitione mea. Nam quoties aspiciebam Filium meum, quoties involvebam eum pannis, quoties videbam ejus manus & pedes: toties animus meus novo dolore quasi absorptus est; quia cogitabam, quomodo crucifigeretur. Secundò fuit dolor in auditu meo. Nam quoties audivi opprobria mei*

Filij, & mendacia, & insidias ei positas: toties animus meus motus est dolore ita, quòd vix se tenere poterat. Sed virtute DEI dolor meus modum & honestatem habuit, ne impatientia & levitas in me notaretur. Tertiò fuit dolor meus in visu. Nam quando vidi Filium meum ligari & flagellari, & in ligno suspendi: corrui quasi exanimis; sed reassumpto Spiritu steti dolens, & sic patienter sufferens; ut nec inimici, nec alij in me aliud reperirent, nisi gravitatem. Quartò fuit dolor meus in tactu. Ego enim cum alijs deposui Filium meum de cruce, & involvi eum, & posui in tumulum; & sic tunc augebatur dolor meus, ut vix manus & pedes mei haberent robur ad me sustinendum. O quàm libenter fuissem sepulta cum Filio meo! Quintò patiebar ex vehementi desiderio perveniendi ad Filium meum, postquam ipse ascendit in cœlum. Sextò patiebar dolorem ex tribulatione Apostolorum, & amicorum DEI; quorum dolor erat dolor meus; timens semper & dolens, ne succumberent tentationibus & tribulationibus; dolens insuper, quia verba Filij mei ubique habebant contradictionem. Et licèt gratia DEI semper perseverabat mecum, & voluntas mea erat secundùm Velle DEI: attamen dolor meus continuus erat, permixtus consolatione, donec assumpta fui in corpore & anima ad Filium meum.

Quàm grata DEIparæ, & utilis nobis sit frequens memoria dolorum ejus, & devota compassio: indicat eadem S. Brigitta lib. 6. Revel. c. 97. ubi refert: primarium quendam virum, qui inito pacto cum diabolo, per 60 annos scelestissimam vitam egerat: in fine tamen Contritionis gratiam obtinuisse: quod sæpiùs dolorum B. V. memor fuisset, cum tenera erga illam compassione. S. P. N. Ignatius quàm addictus fuerit Dolorosæ Matri, testatus est per ejus dolentis sub Cruce Imaginem cum effigie Crucifixi, continuò in pectore gestatam à primo conversionis suæ ad sanctiorem vitam, die: retulitque P. Antonio Araozio: se semper per illam à DEO miris modis adjutum esse. *Nadasi in Annal. Marian. S. J.*

DOMINICA RESVRRECTIONIS.

MEDITATIO: *DEVS suscitat Christum à mortuis: CHRISTVS resurgit; & Matrem suam invisit.*

I. ADora DEUM O. M. & considera: Quomodo non dedit Sanctum suum videre corruptionem; sed festinavit suscitare eum, & glorificare, etiam nondum elapso triduo. Animam ergo Christi, cùm ex limbo in sepulchrum pervenisset, atque Corpus tenerrimo affectu amplexa esset, tanquam fidum laborum ac dolorum socium: illicò eidem univit; adeòque quasi iterum genuit Christum Deum-Hominem, juxta illud Psal. 2. *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu: ego hodiè genui te.* Quod de Christi suscitatione

tione à mortuis exponit Apoſtolus Actor. 13. Regeneravit nimirùm eum in utero terræ Deus: ſed non jam ad ærumnas & dolores; ſed ad vitam & gloriam immortalem, naturali Filio DEI dignam. Sic bonus DEUS oppreſſos ſervos ſuos, velut mortua frumenti grana, è pulvere educit, & gloriosè efflorescere facit. Gratias tibi æternas, Pater æterne: quòd Filium tuum, Dominum meum JESUM, orbi reddideris redivivum, decore & fortitudine veſtitum, gloriâ & honore coronatum. Fac: ut mortificati cum ipſo, per ipſum ad vitam regeneremur æternam.

2. ADora D. JESUM, & conſidera: quòd non ſolùm ſit à Patre ſuſcitatus à mortuis; ſed etiam propriâ virtute reſurrexerit, propter Divinitatem humanitati ſuæ unitam: quaſi mors dulcis ſomnus ſolùm illi fuiſſet. *Ego dormivi, & ſoporatus ſum, & exſurrexi.* Pſal. 3. Glorioſa igitur Anima Christi Corpus exanime, ſed Divinitate non exutum, ingreſſa, in momento omnem ei abſterſit livorem, & ſqualorem; produxitque unà cum Patre unionem inter ſe & ipſum; atque ſic è tumulo tanquam thalamo proceſſit glorioſiſſimus animarum noſtrarum ſponſus. Gratulor tibi, Glorioſiſſime JESU, novam hanc diviniſſimam Humanitatis tuæ ſpeciem. Intende proſperè, procede & regna, inprimis in anima mea, Rex gloriæ immortalis.

3. VEnerare DEIparam V. & conſidera: quomodo ſtatim, ac è tumulo prodiit, redivivus JESUS, ipſam primam inviſerit, & inæſtimabili gaudio repleverit. Expectabat afflicta Mater, ardenti deſiderio, fide vivâ, ſpe inconcuſsâ, exordium diei tertiæ à morte Filij, ingeminabatque identidem: Exorere Sol meus JESU; exurge Vita & Gloria mea; oſtende mihi faciem tuam; ſatiabor, cùm apparuerit gloria tua. Non defuit juſtis chariſſimæ Matris deſiderijs piiſſimus Filius; ſed acceleravit conſolari eam: implevitque & ſuperimplevit tanto divinæ voluptatis torrente; ut neceſſe fuerit divino eam fulcire brachio, ne opprimeretur à gloria & gaudio. Gaudeo, ô Domina, tantâ gaudiorum tuorum ubertate. Hæc dies, quam fecit Dominus: exultemus & lætemur in ea.

Propoſitum repetendi ſæpiùs per diem: Vivat, regnet, triumphet Crucifixus Amor meus; *& fugiendi corporis oppletionem per copiam ciborum.*

LECTIO PRACTICA.

Quibus affectibus excipiendus ſit Redivivus Salvator.

1. AFfectu *profundiſſimæ Adorationis*, & Triumphalis Applauſus; exemplo Seniorum 24, & totius militiæ cœleſtis Apocal. 5. Ubi enim Agnus, qui occiſus erat, apparùit redivivus, & ſolvit 7 ſignacula libri: Quatuor Animalia, & 24 Seniores ceciderunt coram Agno, habentes ſinguli ci-

tharas,

tharas, & phialas aureas, plenas odoramentorum, quæ sunt Orationes Sanctorum: & cantabant canticum novum dicentes: Dignus es, Domine, accipere librum, & aperire signacula ejus: quoniam occisus es, & redemisti nos DEO in sanguine tuo, ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione; & fecisti nos DEO nostro regnum, & Sacerdotes, & regnabimus super terram. Et vidi: & audivi vocem Angelorum multorum in circuitu throni & animalium, & seniorum, & erat numerus eorum millia millium, dicentium voce magnâ: Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem & divinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem. Et omnem creaturam, quæ in cœlo est, & super terram, & sub terra, & quæ sunt in mari, & quæ in eo; omnes audivi dicentes: Sedenti in throno & Agno benedictio honor, & gloria & potestas in sæcula sæculorum. Et quatuor Animalia dicebant: Amen. Et 24. Seniores ceciderunt in facies suas, & adoraverunt Viventem in sæcula sæculorum. *Ita illi.* Talis Adoratio facienda est inprimis ipsa nocte Resurrectionis coram Venerabili Eucharistia, dum è sepulchro producitur: Plausus autem tempore solemnis Processionis, totis viribus cantando Domino, & plaudendo: quia gloriosè magnificatus est, equum & ascensorem dejiciendo in mare rubrum Passionis suæ. Deinde iteranda opportuno tempore per diem sæpius Adoratio, præsertim tempore Elevationis in Sacrificio.

2. Affectu *sincerissimæ Gratulationis*: gratulando redivivo Domino, exemplo S. Mechtildis, Consummationem acerbissimæ Passionis, Peractum opus Redemptionis nostræ maximè arduum, Devictam mortem, & omnem omnium hostium potentiam, Confractos vectes inferni, & eductam inde Captivitatem, Gloriam immensam Corporis & Animæ, Exaltationem & celebritatem nominis per mundum universum: & quòd secundùm multitudinem & magnitudinem dolorum consolationes totius Deitatis lætificaverint Animam ejus.

3. Affectu *Gratitudinis debitæ*: Gratias agendo, quàm potes, maximas & immortales, pro tantis impensis in redemptionem nostram profusis; pro tam profunda sui Humiliatione, exinanitione, & quasi annihilatione amore nostri; pro tam ardua Obedientia in negotio salutis nostræ; pro tam forti, constanti, inaudita Patientia; & super omnia pro Excessu Charitatis erga genus humanum, & singulos hominum. Ne autem Gratitudo nostra intra sola verba & speciosas velleitates consistat: Offeramus, oportet, nos ipsos vicissim ad promovendam & augendam, totis viribus naturæ & gratiæ, gloriam ejus, 1. In nobis ipsis per mores honestos, & vitam exemplarem; agendo

agendo fortia, & patiendo dura. 2. In proximis, cum quibus familiaritèr conversamur, & quorum nobis incumbit cura. 3. In alienis à fide vera hæreticis, gentilibus & Judæis; ferventer pro eorum conversione orando, variaque pietatis & mortificationis exercitia, si aliter eos juvare non possimus, offerendo, præsertim autem Sacrificium Missæ: ut omnes agnoscant, diligant, timeant, glorificent Te DEUM Patrem, & quem misisti, ac gloriosissimè resuscitâsti, JESUM CHRISTUM.

4. Affectu *Gaudij intimi*: 1. de felicitate & gloria Domini, Redemptoris, Regis, & Capitis nostri: tum quia ipsum decet omnis beatitudo, majestas, & gloria; tum quia honor & gloria Capitis redundat in totum corpus & omnia membra. 2. De repentina optatissimaque vicissitudine; quòd post tantum turbinem & tempestatem, quæ Dilectum votorum nostrorum involvit atque demersit, supra spem emerserit ipse felicissimè, non salvus tantùm, sed gloriosissimus. 3. Quòd ipsius virtute & potentiâ internecione profligati sint omnes ejus & nostri hostes: nec jam lædere nos possint, nisi volentes.

5. Affectu *humilis Supplicationis*: ut, *qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram*; Rom. 4. velit in nobis mortificare veterem hominem, qui secundùm carnem est, & Spiritui gratiæ repugnat: suscitare autem vitam novam, vitæ suæ immortali conformem. Ne scilicet aliquando recidant in mortem animæ nostræ: sed sicut ipse semel pro peccatis nostris mortuus, non moritur ampliùs; sic & nos per gratiam ipsius vitam vivamus immortalem etiam in corpore mortali.

FERIA II. PASCHATIS.

MEDITATIO: *DEUS in gloriam Christi dimittit captivos è limbo: CHRISTUS apparet euntibus in Emmaus: DEIPARA V. gaudet splendido comitatu Filij.*

I. ADora DEUM O. M. & considera: quomodo ob merita Christi, & augendam gloriam triumphalis ejus Resurrectionis, animas Patrum & omnium electorum ab orbe condito ad eum diem defunctorum, dimiserit è limbo, gloriâ & honore coronaverit, & beatitudine æternâ donârit. Sedebant in tenebris & umbra mortis, expectantes beatam spem, & adventum gloriæ Magni DEI: & ecce subita lux orta est eis; Dominus fortis & potens in prælio, ariete Crucis suæ contrivit portas æreas, & vectes ferreos inferni confregit, & eduxit vinctos suos de domo carceris, juxta illud promissum Patris, Isa. 53. *Dispertiam ei plurimos, & fortium dividet spolia pro eo; quòd tra-*

quod tradidit in mortem animam suam, & cum sceleratis reputatus est. O utinam & me numeres aliquando inter spolia tua, gloriosissime Triumphator! Interim strenuus pugnabo pro Te. Adjuva periclitantem.

2. ADora D. JEsum, & considera benignissimam ejus apparitionem, quâ eodem, quo resurrexit, die manifestavit se duobus discipulis euntibus in Emmaus castellum. Tristibus de jactura Domini, & immeritâ ejus passionem recolentibus in via, adfuit opportunus consolator, non autem acceptarum injuriarum exprobrator. Imò nec memoriam earum sibi superesse ostendit. Ut humanitati eorum & hospitalitati præberet occasionem: adfuit specie peregrini. Optima enim ad excipiendum Dominum dispositio, est charitas exhibita servis ejus. Non internis solùm luminibus, sed Scripturarum divinarum explanatione caligantes eorum oculos illustrare, & cor accendere voluit: ut monstraret fontem, ex quo solatia & lumina hauriamus; Ecce, ô Domine, stultam animam meam: tardam corde ad credendum, frigidam ad amandum, injuriarum acceptarum nimis memorem, erudi & accende.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: quanto gaudio perfusa fuerit; quando redivivus filius eam invisit, stipatus splendidissimis duabus turmis, innumerorum Angelorum, & animarum è limbo liberatarum, jamq; gloriâ beatitudinis æternæ donatarum. Vidit Angelos supremos Divinitatis honores reverentissimè deferentes Filio suo, ex mandato Patris: *Cùm iterum introducit Primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli DEI.* Hebr. 1. Audivit innumerabilem Sanctorum turbam acclamantem: *Cantemus Domino: gloriosè enim magnificatus est.* &c. Exod. 15. Quis explicet materni cordis affectus? Gratulor tibi, ô Domina: ut plenum sit gaudium tuum, annitar: ne pereat tibi Anima mea.

Propositum *repetendi hodiè sæpiùs:* Regina cœli lætare, &c. *& exercendi aliqua humanitatis officia erga adversarios.*

LECTIO PRACTICA.

Injuriarum quantocyus obliviscendum.

REdivivus Salvator, cùm per gloriosissimam Resurrectionem non solùm in pristinum, in quo ante passionem fuit, statum restitutus esset; sed etiam admirandis, & Majestate suâ dignis, dotibus ornatus in anima & corpore: memoriæ tamen defectum aliquem prodidit Luc. 24. Spectabilis enim, & itineris socius factus duobus discipulis, euntibus in Emmaus vicum, non tantùm quæsivit: Quinam essent sermones ipsorum? verùm etiam Cleophâ respondente; *Tu solus peregrinus es in Jerusalem, & non cognovisti,*

visti, quæ facta sunt in illa his diebus? interrogavit: *Quæ?* Tam citò exciderunt Christo, quæ ante triduum iniquissimè & crudelissimè gesta erant in ipsum. Exciderunt! Imò in sepulchro æternâ oblivione sepulta manserunt. Nam etiam cùm discipuli illi referrent: quomodo summi sacerdotes & principes JESUM *tradiderunt in damnationem mortis, & crucifixerunt*: ipse nullum injuriæ prodidit sensum, nullum memoriæ indicium; sed simpliciter ex Scripturis demonstravit: Oportuisse ita fieri: & quod factum fuerat, in magnam Christi gloriam factum esse. *Nonne hæc oportuit pati Christum: & ita intrare in gloriam suam?* Non accusat, sed excusat facinus commissum: nec verbulo perstringit Crucifixores, dum stultitiæ & duritiei cordis arguit discipulos rudiores.

O admirandam, & utrique mundo stupendam, Gratiosissimi Salvatoris benignitatem! Gloriosiorem certè mihi repræsentat hic Memoriæ defectus (imò divinissima memoriæ perfectio) seu injuriarum oblivio; quàm omnis gloriosissimi Corporis ejus splendor, dotesque omnes. Voluntaria enim injuriarum oblivio dos est ipsius Divinitatis, attestante DEO per Prophetam: *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis &c. Omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor.* Ezechiel. 18, 21.

At hanc sapientissimam oblivionem capere non possumus infelicissimæ memoriæ filij Adæ, non minùs stulti, quàm duri corde. Beneficiorum sæpe nec in crastinum memores, offensarum etiam exiguarum memoriam fovemus æternam. Vix exæstuare incipit bilis: & mox & honesti, & utilis, & prudentiæ, & cœli, & inferni, & ipsius DEI obliviscimur, toti in vindictam abrepti. Monet sapienter Isidorus Pelusiota lib. 3. ep. 7. *Acceptarum injuriarum memoriam retinere, haud generosi animi est: verùm improbi ac miseri.* Monet S. Hilarius super illud Matt. 5. *Beati Pacifici, quoniam Filij DEI vocabuntur*: nos non aliter in hanc adoptionem & gloriosam nuncupationem venire posse; *nisi oblivione earum rerum assumpta, quibus possumus offendi*; aut offensi sumus. Monet per Ecclesiasticum Spiritus Sanctus: *Omnis injuriæ proximi ne memineris.* Eccl. 10. Sed proficiunt parum, aut nihil. Marmorea facta est nobis memoria; difficillimè eraduntur incisæ ipsi injuriæ, juxta illud Thomæ Mori: Beneficia scribimus in pulvere, injurias incidimus marmori.

Cæterùm si nos monita Sapientum, atque exempla Sanctorum, imò ipsius Resurgentis Salvatoris ac Domini nostri, non movent: pudore saltem nos aspergant dicta factaque Paganorum. Julium Cæsarem ambitioso planè elogio extollit Cicero Orat. pro Marcello; dum dicit: *Eum nihil oblivisci solere,*

solere, nisi injurias. Quid in hac memoria celebrandum magis? capacitas, vastitas, tenacitas; an oblivio? Priora sunt naturæ talenta: postremum dos est & flos virtutis. Floruit hâc dote etiam Phocion prudentissimus & fortissimus Atheniensium Dux: cui, licèt innocentissimo, cùm ingrata patria per lictorem obtulisset hauriendum poculum venenatum; rogatus ab amicis Phocion: quidnam filio extremâ voluntate demandaret? Respondit, teste Æliano: *Mando ei: ut obliviscatur potius hujus, quem nunc ab Atheniensibus oblatum bibo.* Ne scilicet de injuria Patris vindicanda cogitet.

Nobis autem quid supremâ voluntate demandavit Dominus, & Pater noster, jam jam moriturus JESUS? Finitâ cœnâ ultimâ, *Filioli*, inquit Joan. 13. *adhuc modicum vobiscum sum.* Et mox: *Mandatum novum do vobis; ut diligatis invicem. Sicut dilexi vos: ut & vos diligatis invicem.* Et cap. 15. 12. *Hoc est præceptum meum: ut diligatis invicem; sicut dilexi vos.* Et ibid. v. 17. *Hæc mando vobis: ut diligatis invicem.* Non consilium dat, sed mandatum & præceptùm, idque supremâ voluntate, & toties in eodem sermone iteratum; nec sub alia forma præcipit dilectionem; quàm *sicut dilexi vos.* At ipse dilexit, altâ oblivione sepeliendo injurias tam à profugis & perjuris, atque incredulis discipulis, quàm à Crucifixoribus acceptas. Ergo & nobis similis oblivionis incumbit obligatio. Non potes eam penitùs delere è memoria? Noli signo aliquo prodere memoriam; & occasione datâ declara charitatem: sic oblivione prorsus deleta censebitur injuria.

FERIA III. PASCHATIS.

MEDITATIO: *DEUS, quibus dotibus glorificaverit Corpus Christi: CHRISTUS apparet discipulis congregatis: DEIPARAM V. mirantur & venerantur educti è limbo.*

I. ADora DEUM O. M. & considera: quibus dotibus, & quàm liberaliter glorificaverit Corpus Christi resurgentis. 1. Tribuit ei *Immortalitatem*, & Impassibilitatem omnimodam. *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur: mors illi ultrà non dominabitur*, (Rom. 6.) nec satellitibus ejus, fami, siti, tristitiæ, tædio, & quibusvis doloribus, quidpiam licebit in illum. 2. *Subtilitatem*: quâ sine ulla difficultate penetrare potest quævis solidissima & crassissima corpora instar Spiritus: prout hodiè legitur ingressus esse ad discipulos *januis clausis*, & diligenter obseratis ob metum Judæorum. 3. *Agilitatem*: quâ, velociùs aquilis, potest se momento præsentem reddere Christus cuivis, quantumvis remoto, loco. 4. *Claritatem*, sideribus omnibus & sole pulchriorem, splendidiorem, amœniorem, copiosiorem: ob

quam Apoc. 21. dicitur Civitas DEI non egere sole aut lunâ: quia *Lucerna ejus est Agnus.* O quàm gloriosum è ferali tumulo eduxit Pater æternus Filium suum, Redemptorem meum! Similem tibi promisit sortem, ô Caro mea putrida & demens: si Christo fueris compassa. Quid in sordibus quæris voluptates tuas?

2. ADora D. JESUM, & considera eum ipso die Resurrectionis suæ, cùm jam *serò esset*, foribus clausis ingressum ad discipulos suos congregatos: ut eos solaretur, & erigeret ad fidem firmiorem. *Serò* venit: quia ob spei, fideique defectum non meruerunt accelerari solatium. *Januis clausis* venit: tum ad indicandam subtilitatem gloriosi Corporis sui; tum ut sciremus, portas sensuum esse claudendas, & animæ recollectioni studendum; ut JESUM habere hospitem mereamur. *Stetit in medio*; tanquam Finis & centrum, quò collimare & tendere debemus. Ostendit discipulis manus & pedes nuper dirè confixos, nunc mirè glorificatos; ut ad similem gloriam per studium mortificationis accendat. Quàm solicitus de suis, quàm blandus, quàm totus, amabilis est JESUS meus! Et non insinuabo me in familiaritatem ejus? Admitte, ô Gratiosissime: & doce me ita tractare corpus meum; ut mereatur conformari tuo.

3. VEnerare DEIPARAM V. & considera: quantâ ejus admiratione (non minore certè quàm Dionysius Areopagita) capti fuerint, educti ex limbo Protoparentes nostri, Patriarchæ, Prophetæ, aliique Sancti, invisentes eam cum redivivo Christo? Quantâ submissione venerati sunt Dei Matrem? Procido cum illis ad plantas tuas, ô Augustissima. Vive, & regna cum redivivo Filio in orbe universo, potissimùm in Anima mea.

Propositum, v. g. *de corpore proprio ita hìc tractando, ut olim glorificari mereatur.*

LECTIO PRACTICA.

Corpus duriùs habendum: ut gloriosam mereatur Resurrectionem.

VEritatis oraculum est: *Nemo unquam carnem suam odio habuit: sed nutrit, & fovet eam.* Ephes. 5. Amant omnes, sed alii inordinato, improbo, & noxio amore; alii ordinato, probo, & maximè proficuo. Illi corpus suum blandiùs, quàm par est, fovendo, & corpus & animam præcipitant in gehennam: isti duriùs illud tractando, & corpori & animæ gloriosissimam merentur resurrectionem, & æternas cœli voluptates. Sed pauci sunt isti: plurimi illi. Non minùs enim crudum videtur; carnem suam, instar conjugis copulatam animæ, persequi, & instar mancipii tractare viliore cibo & amictu, atque atterere, castigare, mortificare laboribus, jejuniis, vigiliis, imò & verberibus non raris. Sed ad-

Sed advertere oportet: quòd, nisi sic tractetur corpus; non aliud à nobis alatur & foveatur, quàm sordidus porcus, in pinguem assaturam cessurus Plutoni. Si durior videtur hic sermo, & non sapiat similitudo: utamur sanè molliore & comptiore. Sit caro nostra similis parvulo, quem mater, utpote unicum, & os de ossibus suis, carnem de carne sua, in delicijs habet, lavat, pectit, comit, &, quàm potest, exquisitissimè ornat, vestit bysso & purpurâ, nutrit sacchâro & crocis; fovet in sinu & intimis amoribus, permittit excurrere, quò placet, agere, quod libet: averruncent Superi, ut aliquis domesticorum filiolo sit molestus. Quis putas, puer iste erit? Facilis, certa & obvia est prophetia. Nebulo, heluo, ganeo turpissimus erit, probrum & ruina domûs: nisi pater invigilaverit, virgam apprehenderit; vitulantem filiolum coercuerit, prudentem pædagogum ei præfecerit, cum obtestatione, ne parcat. Nam, ut monetæ, ita puero dant formam & pretium plagæ.

Si adhuc comptiorem, præsertim pro festis hisce diebus, velimus similitudinem; videamus: annon sit similis Caro nostra eleganti puellæ, nondum nubili, sed vehementer nupturienti. Nondum duodecimum attigit annum, & jam nihil nisi nuptias cogitat, dotem requirit, sponsum ipsa sibi deligit, emancipari urget. Obstat mater, arguens ætatem immaturam, dotem nondum paratam, sponsum imparem & malè moratum &c. sed nihil proficit. Adest cum amicis pater, imprudentiam filiæ accusat, suas circa illam curas exaggerat, orat atque obtestatur: ut filia sibi & domui suæ consulat, idoneamque expectet paulisper ætatem. At illa: maritum habere astutum volo, & debeo, nec alium, quàm hunc: alioqui proco non uni me exponam. Quid hìc agent mœsti parentes? Pergent blandiri filiæ? Permittent illam desiderijs suis? Nisi planè insani sint, ad acriora recurrent remedia, & lascivientem in officio continere rigidiore disciplinâ studebunt.

Numquid prudentior, aut minùs petulans ac lasciva est caro nostra? Utinam ejus temeritatem, dissolutionem & insolentiam rariore disceremus experientiâ! *Quomque misera, insipiens, cæca, demens & prorsus insana caro, transitorias & caducas quæris consolationes, imò desolationes?* inclamat Bernardus Serm. 6. super Missus. Sed clamet ille usque ad ravim: delicatam & vagam non absterrebit, nec in ordinem rediget; nisi armatâ manu eam apprehenderit, & cum Apostolo 1. Cor. 9. omninò *in servitutem* redegerit.

Cæterùm ut servitutem, quàmvis duriusculam, ferat, si non libenter, patienter tamen: lactanda identidem est spe certâ melioris sortis post modicum temporis intervallum. *Salvatorem* enim *expectamus*, & certo certiùs aderit,

 qui refor-

qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ. Philipp. 3. O quali corpori, quàm gloriosè & accuratè conformabit! *Illine*, quærit attonitus Chrysostomus, *quòd sedet ad dexteram Patris?* Et respondet: *Hoc ipsum corpus conforme fiet illi, quod adoratur ab Angelis, cui assistunt incorporeæ potestates: illi, quod est super omnem potestatem & virtutem; illi ipsi conforme fiet.* Non minùs miratur, & miranda narrat Bernardus cit: *Mira*, inquit, *dicturus sum, sed tamen vera, & indubitata fidelibus. Ipse Dominus Sabaoth, Dominus virtutum & Rex gloriæ, ipse descendet ad reformanda corpora nostra, & configuranda corpori claritatis suæ. Quanta erit illa gloria? quàm ineffabilis exultatio: quando Creator universitatis, qui pro animabus justificandis humilis antè venerat, & occultus; pro te glorificanda, ô misera caro! sublimis veniet & manifestus, non jam in infirmitate, sed in gloria?*

Excitat nos ad hanc spem etiam hodiè comparens in medio congregatorum discipulorum redivivus Salvator: dum ipsis, nec minùs nobis, exhibet glorificatas manus & pedes suos: *Videte manus meas & pedes meos: quia ego ipse sum.* Luc. 24. Ego ipse sum, in ipso illo corpore, ante triduum tam fœdè deformato, tam dirè lacerato, nunc tam mirè glorificato. Si similem & vestris corporibus optatis gloriam: stigmata mea in ipsis paulisper circumferre non pigeat.

FERIA IV.

MEDITATIO: *DEUS prodigijs glorificat Resurrectionem Christi: CHRISTUS in glorioso corpore retinet cicatrices vulnerum: DEI PARÆ Virg. erga eadem affectus.*

I. ADora DEUM O. M. & considera: quibus prodigijs glorificaverit Resurrectionem Christi. 1. Christus, sicut nascens prodijt clauso Virginis utero; ita resurgens exivit clauso sepulchro. 2. Monumenta aperta sunt, Matt. 28. & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt post resurrectionem Christi; & venerunt in Sanctam Civitatem, & apparuerunt multis. 3. Angelo descendente de cœlo ad revolvendum lapidem sepulchralem, & denunciandam Resurrectionem; factus est terræ motus magnus. 4. Custodes sepulchri exterriti, facti sunt velut mortui. 5. Solem solito citiùs exortum fuisse, colligunt quidam cum B. Petro Chrysol. ex Marc. c. ult. ubi dicuntur S. mulieres cum aromatibus venisse ad sepulchrum *valdè manè, orto jam sole.* Gratias tibi immortales, Magne Deus, pro eo honore Redemptori nostro habito. Unicum, oro, ut ejusdem honori hodiè adhuc adjicias prodigium: ut moriatur tandem in me vetus homo cum concupiscentijs suis, & nunquam resurgat. 2. Ado-

2. ADora D. JESUM, & considera: cur in glorioso corpore suo voluerit retinere vulnerum suorum cicatrices. 1. Ad firmandam fidem nostram: quòd in eadem carne, in qua vivimus, resurgemus. 2. In memoriale acerbissimæ Passionis pro nobis toleratæ; adeoque in perenne monimentum sui in nos amoris summi. *Non obliviscar tui*, inquit per Isaiam c. 49. *Ecce in manibus meis descripsi te*. 3. Ut iratum Patrem, luculentis hisce misericordiæ argumentis exhibitis, faciliùs placaret imposterùm, & nos cum ipso reconciliaret. 4. Ad majorem damnatorum confusionem in die Judicij; quando eis exprobrabit: se tanta pro ipsis passum frustra. 5. Ad magis commendandum nobis vulnerum suorum cultum & refugium ad ipsa in tentatione. O anima mea, quo oculo aspicies olim splendidissima hæc stigmata Judicis; quæ nunc tam parùm moveris cruentis vulneribus Redemptoris? Parce, mi JESU, per eadem vulnera tua; & permitte, ut in ipsis abscondar à facie iræ DEI.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: quo oculo & materni cordis affectu aspexerit in redivivo Filio illas vulnerum cicatrices. Vidit illas jam conversas in soles: & immane tormentum transiisse in cœleste ornamentum. Suspexit vulnera illa ut infinitum & inæstimabile pretium redemptionis nostræ; ut asylum miserorum; ut ora disertissimæ Charitatis DEI pro nobis morientis; ut foramina Petræ, in quæ se recipiant periclitantes columbæ, & animæ devotæ. O Domina, tuos illos mihi infunde affectus erga eadem vulnera. In ipsis habitabo: & securus Judicem meum expectabo.

Propositum, v. g. *de singulari devotione erga vulnera Christi*.

LECTIO PRACTICA.

De frequenti memoria & religioso cultu quinque vulnerum Christi.

GLoriosus JESUS à mortuis resurgens sibi reservavit Stigmata V. Vulnerum, nobis reliquit ipsa Vulnera, tum ad usum salutarem, tum ad memoriam & cultum. Grande & pretiosum depositum, cordi & menti nostræ commissum: si uti sciamus & velimus! Rectè monet Kempensis lib. 2. c. 1. *Si nescis speculari alta & cœlestia, requiesce in Passione Christi; & in sacris ejus vulneribus libenter habita*. Commoda enim ex quinque vulneribus Christi promanantia sunt planè infinita ob infinitam ipsorum virtutem. Quintuplex specialiter decerpere possumus ex Biblioth. Lohneri tit. 152.

I. Efficacissimum sunt Medium ad placandum DEUM offensum. *Peccavi peccatum grande*, inquit S. Bernardus Serm. 65. in Cant: *turbatur conscientia: sed non perturbat; quoniam vulnerum Domini recordabor*. Recordabor: ut ea cor-

ea corde contrito præsentem offenso DEO: nec dubito, placandum. S. Mechtildem in visu raptam ad tribunal divinum, accusârunt Angeli Sancti, & creaturæ omnes: Seraphini ob teporem in amando, Cherubini ob exilitatem sciendi; Throni incusabant defectum pacis, Apostoli exiguam doctrinæ suæ curam, Martyres in fortitudine pusillam magnanimitatem, DEIpara V. neglectam in fidelitate erga Filium suum integritatem: Omnes creaturæ in usu sui abusum. Inter hæc Christus ad Mechtildem conversus, eam bono animo esse jussit, & intentata crimina diluit. Ex quo illa animosior facta, talem ac tantum Advocatum in ulnas sumpsit, offerens ejus vulnera, & inde manantem sanguinem cum meritis Passionis pro suis defectibus: ut Humilitatem pro superbia, Charitatem pro sua tepiditate. Sic satisfecit Judici, & abijt indemnis.

II. Efficax sunt Medium ad Voluptates & illecebras Mundi spernendas. Devotæ cuidam animæ, ut habet Caraffa in Fascic. lib. 5. Consid. 7. creaturarum pulchritudini plus æquo addictæ, apparuit Christus, ostendens vulnera sua gloriosissima & speciosissima, itaq; recentia, ac si eâ horâ inflicta fuissent. Tantumque fuit lumen & pulchritudo illorum; ut anima illa capta Christi amore, omnem creatum exuerit. S. Theresia ex solo unius vulneris manûs aspectu ita fuit immutata animo: ut hanc illius pulchritudinem & lumen adamaret super omnia; & ab illa hora omnem mundi amorem abhorreret.

III. Efficax sunt medium ad vitanda peccata. Tanta est virtus vulnerum Christi, inquit S. Bernardus apud Caraf. cit. ut ad eorum memoriam totius peccati & mortis fugetur exercitus. Ex eorum enim consideratione agnoscit homo; ut notat idem Serm. 3. de Nativ: *quàm gravia sint peccatorum vulnera, pro quibus necesse fuit Dominum Christum vulnerari. Si non essent hæc ad mortem, & mortem sempiternam: nunquam pro eorum remedio Filius DEI moreretur.*

IV. Efficax sunt medium ad adversa fortiter toleranda. Nam juxta Bernard. pudor est sub spinoso capite membrum esse delicatum. Et miles non sentit vulnera sua, qui ducis sui vulnera intuetur. Religiosus quispiam cùm asperitatem, præsertim in victu viliore ferre ampliùs non posset, egressum meditabatur; & jam monasterij foribus appropinquabat: cùm ecce obvium habet Patientem JESUM, qui pallio diducto vulnus lateris illi exhibuit, jussitque: ut grossiorem insipidumque panem in eo intingeret; illicò futurum suavem & dulcem. Redijt miser ad cor, ac deinceps meditatione vulnerum Salvatoris omnem acerbitatem sibi feliciter condiebat. Bene

Kempen-

Kempensis libr. 2. de Imit. c. 1. *Si ad vulnera & pretiosa stigmata JESV devotè confugis; magnam in tribulatione confortationem senties: nec multùm curabis hominum despectiones, faciliterque verba detrahentia perferes.*

V. Efficax sunt medium ad acquirendas virtutes, præsertim charitatem inflammandam. Viro eximiæ sanctitatis petenti medium efficacissimum ad inflammandum cor amore divino, respondit Christus: Exerce te in consideranda Humanitate mea vulnerata. Nam in ea maxime lucet mea charitas non aliter quàm sol in suo splendore, rosa rutilans in suo odore, ignis vehemens in suo flagranti æstu & ardore. *Caraf. in Fascic. Consid.* 21.

Sufficere possunt hæc ad excitandum in nobis religiosum ferventemque SS. eorundem vulnerum cultum, & refugium ad illa. S. Elzearius Comes ad conjugem, suam præsentiam desiderantem scripsit: *Si me videre cupis: quære me in Vulnere lateris Christi: ibi enim habito, & ibi me poteris invenire.* S. Francisco Xaverio familiarissima fuit hæc Oratio: *Domine Jesu Christe, Deus cordis mei, rogo te per illa quinque vulnera, quæ tibi nostri amor in cruce infixit: famulis tuis subveni, quos pretioso sanguine redemisti.* S. Mechtildis à Deo inspirata sic orare solebat: *O salutifera vulnera dulcissimi mei Jesu salvete, salvete, salvete in potentia Patris, qui vos dedit: in sapientia Filij, qui vos sustinuit: in benignitate Spiritûs sancti, qui in vobis opus nostræ redemptionis perfecit.* Tempore Friderici Imp. miles triduo hæsit in patibulo, nec mori potuit, donec Sacramentali absolutione expiaretur: eò quòd honori SS. Vulnerum quinquies Orationem Dominicam & Angelicam Salutationem quotidiè recitâsset. *Hartunck Domin. in Alb. Conc. Civica.*

FERIA V.

MEDITATIO: *DEVS inenarrabilibus solatijs replevit Animam Christi: CHRISTVS & Mater ejus exultant spolijs inferni.*

1. ADora DEUM O. M. & considera: quibus solatijs & gaudijs repleverit Animam Filij statim à momento mortis. Fuit illa quidem semper beata clarissimâ Visione Dei: sed tempore mortalis vitæ obstruxerat Deus canales (ipsâmet volente) quibus in illam exonerari debuisset divinæ voluptatis Oceanus infinitus. At ubi effluxit tempus patiendi: illicò ruptæ sunt cataractæ cœli, & illam aridè beatam animam per annos 30. & ampliùs, toto DEO inundârunt. Quanta fuerint ejus solatia & gaudia; assequi non possumus: conjecturam præbet Psalmus 93. *Secundùm multitudinem dolorum meorum consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Sis benedictus Opt. Max. DEUS pro ea gaudiorum profusione in Dominum meum. Mihi sufficit gratia patientiæ: da copiosam & efficacem.

2. ADora D. JESUM, & considera: quantâ animi exultatione exierit benedicta ejus Anima è limbo Patrum, captivam ducens captivitatem animarum sanctarum, collectam ibi ab orbe condito. Copia erat innumerabilis, dignitas personarum ascendens usque ad sortem amicorum & filiorum DEI, diuturnitas captivitatis extendebatur non paucis ad annos circiter quater mille. Tot ac talium eliberatio, in manu forti & brachio extento, quanta seges gaudiorum & triumphi! Amplior certè sine comparatione, quàm olim fuit Abrahamo, post cæsos tumultuario prælio hostes, & eliberatum Loth. Expressit aliquatenus affectum Salvatoris Patriarcha Jacob Genes. 32. reduxè Mesopotamia, & felicitatem suam admirans: *In baculo meo transivi Jordanem istum; & nunc cum duabus turmis regredior.* Gratulor Tibi, Gloriosissime inferorum Triumphator, opima hæc spolia. Utinam & ego revertar ad Te cum numerosis turmis animarum. Laborabo: da fructum labori.

3. VEnerare DEIPARM V. & considera: quomodo exultaverit Spiritus ejus in DEO Salutari suo; quando vidit atrium fortis armati per tot sæcula custoditum, expugnatum tandem à Filio suo, & Captivos ejus omnes in libertatem assertos; præsertim Protoparentes Adamum & Evam, primum Martyrem justum Abel, clarissimos Patriarchas Abrahamum, Isaac, Jacob, Joseph, regiæ stirpis suæ authorem Davidem, Sanctissimos Parentes suos Joachimum & Annam, Sponsum Josephum, Joannem Præcursorem &c. Quis explicet jubilum cordis ejus? Congaudeo Tibi, ô Domina. Impetra gratiam: ut & ego cum copiosa præda tali compaream olim coram Duce meo JESU.

Propositum, v. g. *procurandi: ut cum multis animabus, DEO acquisitis, ingrediaris cœlum.*

LECTIO PRACTICA.

Nihil gloriosius, quàm spolia detrahere inferno.

NOn sine causa Salvator noster Satanam Luc. 11. vocat *Fortem Armatum.* De ipso enim dicitur, Job 41. *Non est potestas, quæ comparetur ei: qui factus est, ut nullum timeret.* Nam & proprijs tumet viribus, & innumeris fortissimorum satellitum succinctus est legionibus: quibus olim atrium suum, (Limbum) custodiebat, ne vel unicus captivorum evaderet. Nihilominùs supervenit fortior illo, Salvator noster, qui ligno crucis universam ejus potentiam profligavit, arma ejus abstulit, & captivam duxit captivitatem triumpho à sæculis inaudito & gloriosissimo. Imò parum ei fuit, hostem quasi singulari certamine, profligâsse: eâdem virtute suâ induit

servos

servos suos, ejusdemque gloriæ voluit esse participes; ut non solùm ex hominum corporibus ejicerent dæmonia, verùm & animas in eorum potestatem redactas per peccata, vindicarent in libertatem, non minore gloriâ DEI & suâ, quàm fortitudine.

Quàm gloriosum sit hoc opus, colligere licet tum ex difficultate interveniente, tum ex honore sequente. Difficultatem faciunt inprimis vires & artes hostium, qui, quas in suam potestatem redegerunt, animas & custodiunt vigilantissimè, ne evadant, & totis viribus, quibus pollent maximis, se opponunt conatibus eorum, qui aliquam eripere tentant. Hinc non rarò fit: ut, qui se animarum saluti procurandæ strenuè impendunt, tantis involvantur difficultatibus, persecutionibus, injurijs, impedimentis à dextris & sinistris, à probis & improbis: ut ipsimet ægerrimè reperiant exitum. Patet in Apostolis & Viris Apostolicis. Unde cùm Apostolus 1. Cor. 16. dixisset: *Ostium enim mihi apertum est magnum & evidens*, ad propagandum Evangelium; statim subjunxit: *Et adversarij multi.* Nam, ut notavit S. Chrysostomus hom. 43. in ep. ad Corinth. & ep. 15. ad Olymp: *Nunquam magis sævit ac furit scelestus ille dæmon: quàm cùm ex suis vasis & instrumentis multa videt diripi. Quamobrem quando videris virum justum magna & præclara gerere, & mala pati innumerabilia, ne mireris. Nam contrà mirari oporteret; si diabolus multas accipiens plagas, esset quieturus, & vulnera placidè toleraturus.*

B. Henricus Suso, cùm ad prædicandum, aliaque Evangelij ministeria profectus esset peregrè: vidit alius vir Sanctus DEum in solio suo residentem, & ejus permissu duos cacodæmones solutos atque egredientes, qui divexarent ipsum. Et sanè multis gravibusque turbis eum involverunt, ut non solùm à sæcularibus insimularetur sacrilegij, sed etiam à quibusdam Fratribus suis hæreseos: atque in extremum vitæ discrimen adductus fuerit. *Surius in Vita.*

S. P. N. Ignatius cùm Parisijs Philosophiæ adhuc operam daret: ut meliùs studijs vacaret, ab Exercitijs Spiritualibus tradendis, alijsque proximum juvandi modis aliquantisper abstinendum sibi duxit. Interim altâ pace fruebatur: ut quidam ei gratularetur; quòd non solùm quiete gauderet, sed etiam miris hominum laudibus in cœlum ferretur, tanquam Vir Sanctus. Ad quæ subridens Ignatius: *Sine*, inquit, *finiam Philosophiam, & juvando proximo iterùm me applicem: videbis, quanta mox insurget, fervebitque tempestas.* Nec aliter evenit, quàm dixerat. *Ribad. in Vita l. 2. c. 1.*

Sed quàm arduum est Inferno, fortique Armato detrahere spolia; tam gratum Christo, & nobis honorificum invenitur. S. Theresia Cordubæ existens,

stens, à S. Communione in cœlum atque in DEum mente rapta, vidit è purgantibus flammis animas magno numero, & gratulatione festivâ ferri in cœlum. Ducebat reliquas una cunctis splendidior: quam, inter angelicas legiones obvius factus, magnâ singularis benevolentiæ significatione, suavissimo amplexu dignatus est D. JEsus. Desiderabat Theresia scire, quænam essent illæ animæ, ac potissimùm Dux reliquarum? idque ex una de posterioribus quæsivit. Responsum ei est: Dux noster, tam acceptus Domino, est Frater unus è Societate JEsu, cujus virtuti ac precibus debemus, quòd hodiè à Purgatorio liberemur. Obierat verò eo ipso puncto temporis quidam è Societate JEsu Coadjutor, Ecclesiæ Cordubensis æditus, qui annis plus 30. eo officio admodùm religiosè functus fuerat, atque singulari continentiæ laude: quòd è 400. Virginibus Devotis, ut vocant, quæ templum illud frequentabant, ex voce distingueret singulas, nullam tamen earum noverit de facie. Addidit anima illa S. Theresiæ loquens: Quòd obvius JEsus amplexu dignatus sit ductricem nostram, id novum non esse, sed ordinariè exhiberi defunctis è Societate: scilicet propter animas in cœlum ductas. *Imago Primi Seculi Soc. pag. 648. Lancicius Opusc. 17. n. 167.* Placet hic amplexus? Placeat etiam strenuus & indefessus labor in spolijs inferno detrahendis, cœlo autem inferendis. Aderit Gratiosissimus JEsus, non minore gratulatione & plausu nos excepturus, quàm Melchisedech excepit Abrahamum à cæde hostium cum spolijs revertentem. *Gen. 14.*

FERIA VI.

MEDITATIO: *DEUS confundit Judæos: CHRISTUS apparet Mariæ Magdalenæ & alijs pijs matronis: DEIPARA Virgo gaudet nuncio de Apparitione Christi.*

1. ADora DEUM O. M. & considera: quàm admirandâ sapientiâ eludere solet consilia & machinationes hominum; ipsisque illudere, inducendo eventus, ipsorum intentioni planè oppositos. Consilio inito petierant Judæi à Pilato custodes sepulchri Domini: ne fortè illius corpus auferrent discipuli, & fieret novissimus error pejor priore. At hi ipsi custodes facti sunt testes Resurrectionis Christi: *Venerunt in civitatem, & nunciaverunt principibus Sacerdotum omnia, quæ facta fuerant.* Matt. 28. Iterùm igitur inito consilio, *pecuniam copiosam dederunt* militibus, ut dicerent: Discipulos abstulisse corpus JEsu, *ipsis dormientibus*. Ridiculum consilium. Dormientes adhibentur testes furti. Stupenda obstinatio! Fraudes intexere malunt fraudibus maligni, quàm cedere veritati. Sed quare fremuerunt gentes, & popu-

& populi meditati sunt inania? Qui habitat in cælis, irrisit eos; & Dominus subsannavit eos. Non est consilium adversus Dominum. Jam toto claret in mundo, quod Judæus obscurare nitebatur auro. Tibi omnem prudentiam & calliditatem meam submitto, DEus. Tibi serviam in simplicitate cordis mei.

2. ADora D. JESUM, & considera: eum priùs apparuisse Mariæ Magdalenæ, & alijs quibusdam pijs matronis, quàm Apostolis. Illæ enim ferventiores erant & constantiores in cultu Christi. Nam & summo manè contenderunt ad sepulchrum, & pretiosa ferebant unguenta ad ungendum Corpus D. JEsu. Non sexum aut statum personæ respicit Dominus: sed cordis devoti affectum & officia. Magdalenæ igitur specie hortulani inprimis apparuit, tanquam zelosiori inter cæteras, magisque diligenti: quæ etiam digressis à sepulchro alijs, constans & anxia ibidem hæsit, quærens, quem diligebat anima ejus, & lamentans: quia *Tulerunt Dominum meum.* Hæc jactura, vel sola, vel primaria debet esse causa luctûs nostri. Alijs quoque Hierosolymam à sepulchro revertentibus matronis occurrit Dominus, easq; humanissimâ salutatione dignatus est: *Avete.* O si anima mea ex hoc corpore migrans mereretur simile *Ave!* Interim cum ijsdem pijs matronis, quæ *accesserunt, & tenuerunt pedes ejus, & adoraverunt eum,* Matt. 28. advolvor pedibus tuis, & adoro te viventem in sæcula, Salvator meus.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: quo affectu ab ijsdem matronis acceperit nuncium de Resurrectione Christi, & apparitione ipsis facta. Quàmvis enim Matri inprimis se redivivum exhibuerit: Gaudebat illa tamen, etiam alijs communicatam esse eam felicitatem; suaque ipsis communicabat gaudia: Congratulamini mihi; quia inveni, non jam drachmam perditam, sed pretium infinitum redemptionis humanæ. Congratulor & ego Tibi, Domina: fac, ut idem pretium, Dominum meum JEsum, & æstimem magis, & custodiam accuratiùs.

Propositum, v. g. *de consolandis afflictis, præsertim si quibusdam dedisti causam afflictionis.*

LECTIO PRACTICA.

Quinam à DEO visitari & consolari merentur?

REpræsentant eos Maria Magdalena aliæque piæ Matronæ; quibus, ante omnes Apostolos, spectandum se exhibuit redivivus Salvator, incredibili solatio repletis. Ut igitur & nos in orationibus & afflictionibus nostris visitare dignetur Dominus, & opportunâ aliquâ recreare consolatione: imitandæ sunt illæ

I. In agilitate & promptitudine ad cultum divinum. Nam inprimis post sepultum Dominum revertentes in civitatem, statim *paraverunt aromata & unguenta*, ut habet S. Lucas c. 23. quibus divinum corpus iterùm ungerent. Quia verò per religionem Sabbati sequentis id officij præstare non poterant: postquam transiit Sabbatum, *valde diluculo venerunt ad monumentum, portantes, quæ paraverant, aromata.* Habet Matutina devotio singularium favorum divinorum Privilegium quoddam. Psalmo 45. promittit Spiritus S. animæ devotæ: *Adjuvabit eam DEus manè diluculo.* Et Sapientia divina Proverb. 8. *Ego diligentes me diligo: & qui manè vigilant ad me, invenient me.* Et Eccl. 32. *Qui vigilaverint ad illam, invenient benedictionem.* Unde de sublimioris sapientiæ studioso dicitur Eccles. 39. *Cor suum tradet ad vigilandum diluculò ad Dominum, qui fecit illum, & in conspectu Altissimi deprecabitur. Aperiet os suum in oratione, & pro delictis suis deprecabitur.* Statimque ingens fructus orationis matutinæ subjungitur: *Si enim Dominus magnus voluerit* (volet autem, si humiliter ferventerque solicitatus fuerit, atque id ad ejus gloriam & nostram salutem conduxerit) *Spiritu intelligentiæ replebit illum. Et ipse tanquam imbres mittet eloquia sapientiæ suæ* &c. Quantum damni retulerit Sponsa, quòd nonnihil tergiversata fuerit è lectulo se proripere, & pulsanti sponso aperire: fatetur ipsa Cant. 5. *Pessulum ostij mei aperui dilecto meo: at ille declinaverat, atque transierat. Quæsivi & non inveni illum: vocavi, & non respondit mihi. Invenerunt me custodes, qui circumeunt civitatem; percusserunt me, & vulneraverunt me, tulerunt pallium meum mihi custodes murorum.* Semper igitur sapientiæ & pietatis studiosis inter primas curas fuit: vel mediâ nocte, vel saltem primo manè, & ante omnia alia negotia vacare devotioni & contemplationi.

II. Imitandæ sunt piæ illæ Matronæ in constanti cultu Passi JESU. Quàmvis enim per ea, quæ gesta erant, non parum detrimenti accepisset fides earum: pius tamen in illum affectus viguit semper. Constantes enim adhæserunt & crucem bajulanti, & suspenso in cruce, & ad tumulum delato: nec sterilibus tantùm lacrymis & tenerâ compassione testatæ sunt constantiam pij affectus; sed quibus poterant, & quæ tempori opportuna erant, officiosæ Charitatis obsequijs; nec respectibus humanis abductæ, nec militum custodiâ absterritæ, nec levitate & imbecillitate sexûs impeditæ. Similia subditorum erga peremptum Dominum suum officia, valde æstimavit, & celebravit David 2. Reg. 2. ubi viris Jabes Galaad, quòd Saulem sepelissent, amplissimè benedicit, & regiam gratiam suam promittit.

Remuneratur Christus longè liberaliùs constantiam pietatis erga se Passum. S. Ludgardis Passo Salvatori per omnem vitam addictissima, quoties cor-

ties corpore vel ſpiritu afflictam ſe videbat, non alibi quàm coram Crucifixi imagine, quam magnâ animi oculorumque attentione intuebatur, quærebat ſolatium, & inveniebat. In raptu quodam datum ei eſt, ad Sacroſanctum cruenti lateris vulnus os applicare: unde incredibilem contra omnem adverſitatem hauſit conſolationem. *Surius* 16. *Jun.*

In Geſtis S. Gertrudis lib. 5. c. 2. Inſinuat. divin. piet. ſuaviſſimum narratur colloquium Chriſti cum Mâtre ſua, excipiente Gertrude. Dic mihi, Domina Mater, ait Chriſtus, quid tibi inter illa, quæ exeunti è corpore exhibui, fuit ſuaviſſimum? Quia iſta rogat me: ut Matri ſuæ ſimiliter faciam. DEIpara reſpondit: In hoc, Fili mi, magis delectabar: quòd tam ſecurum refugium in ulnas tuas habui. Ad hoc repoſuit Dominus: *Hoc, Mater mea, pro eo accepiſti: quòd toties doloroſis ſuſpirijs Paſſionem meam in terris recoluiſti.* Non allegat Dominus alia officia & obſequia ſibi per omnem vitam exhibita à Matre, quàmvis ſingula ſummè æſtimârit, gratiſſimaque habuerit. Solam commemorat religioſam Paſſionis ſuæ memoriam. S. Gertrudis, teſte Bloſio in Monili, divinitùs didicit: Quoties quis Chriſti Crucifixi Imaginem animo piè commoto aſpexerit; toties oculos divinæ pietatis erga ipſum benigniſſimè converti.

Quid ergo tam longè oberramus, Conſolatores in adverſis quærendo: quando tam prope habemus JEſum, per ſe proniſſimum in ſolatia noſtra? Modicis, ſed impigris, præſertim matutinis, opus eſt obſequijs. Vel meminiſſe Paſſionis, eſt fontem cœleſtium ſolatiorum aperuiſſe.

SABBATO.

MEDITATIO: *DEus ſepulchrum Chriſti facit glorioſum: Chriſtus apparet Petro: Deipara Virgo in medio gaudiorum non immemor Paſſionis.*

1. ADora DEUM O. M. & conſidera: quàm cumulatè præſtiterit, quod Iſaias prædixit cap. 11. 10. de Chriſto: *Ipſum gentes deprecabuntur: & erit ſepulchrum ejus glorioſum.* Glorioſum fecit ſepulchrum ejus. 1. Quia novum erat, in quo nemo adhuc poſitus fuit, exciſum in petra, ſitum in horto, à viro nobili & probo, Joſepho, paratum. 2. Quia ſatellites, ejus cuſtodes, terræ motu fugavit, & eorum loco Angelos ſubſtituit, reſurrectionis prædicatores. 3. Per S. Helenam ſepulchrum illud magnificentiſſimo templo exornavit. 4. Innumeris miraculis, & conſtanti peregrinorum concurſu ex orbe univerſo illuſtravit. 5. Licèt per complura ſæcula in Saracenorum & Turcarum fuerit poteſtate, nihil tamen nocumenti ab ipſis accepit; imò Imperatores Turcarum titulo Cuſtodum ejus gloriantur. 6. Chriſtiani paſ-

ni passim Sabbato Sancto splendidè constructis in templo sepulchris, Hierosolymitanum illud repræsentant, & venerantur. Benedictus es in sepulchro Filij tui: magnus, laudabilis & gloriosus in sæcula! O quando inde abiges canes Ottomannicos, & restitues illud populo tuo! Videant hoc opus dexteræ tuæ oculi nostri.

2. ADora D. JESUM, & considera specialem ejus erga S. Petrum affectum. Ipsi enim, ante alios Apostolos, eodem, quo resurrexit, die apparere dignatus est; & Angelus præcipiens mulieribus Mar. 16. *Ite, dicite discipulis ejus & Petro: quia præcedit vos in Galilæam*, specialem habet rationem Petri. Honorari nimirum Dominus voluit pœnitentiam ejus ferventem, atque charitate plenam: &, ne despiceretur ob præteritam negationis culpam, consulere voluit honori ejus, quem Principem Apostolici culminis designaverat. Et mox apparuit: quantum authoritatis in Apostolico Collegio haberet inde Petrus. Cùm enim narratio complurium gravium & probarum matronarum de ijs, quæ viderant in sepulchro Domini, haberetur pro fabula, imò *deliramento*: ubi Petrus suum addidit testimonium de apparitione sibi facta; non dubitârunt asseveranter affirmare Apostoli. *Quia surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni*, Luc. 24. Suspicio, Gloriosissime JEsu, viscera misericordiæ tuæ erga ferventer pœnitentes: qui & Magdalenam & Petrum præ alijs maturiùs solari & erigere voluisti. Respice etiam peccatricem hanc animam, de defectu rigidæ pœnitentiæ dolentem, & da gratiam, ut defectum rigoris suppleam fervore amoris.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: non ita illam gaudijs cumulatam fuisse in Resurrectione Filij; ut desineret dolere de ejus passione & morte. Totâ vitâ mortali fuit illi Dilectus suus & Botrus Cypri dulcissimus, & Fasciculus myrrhæ amarissimus. Gaudium ejus auxit receptio Petri in gratiam, & apparitio ei facta. Gaudebo & ego tecum, ô Domina; & dolebo tecum Suspectum est gaudium: quod non comitatur, vel sequitur dolor de offenso, vel passo DEO.

Propositum *de complectendis singulari affectu adversarijs pœnitentibus.*

LECTIO PRACTICA.

Speciali benevolentiâ prosequendi, qui nos offenderunt.

DOcuit hoc VERBUM ÆTERNUM pro peccatoribus caro factum; docuit prædicans, docuit & Crucifixus JEsus, orans pro crucifixoribus suis; docuit etiam redivivus; quando non habitâ ratione ternæ negationis & perjurij, tam eximia singularis benevolentiæ testimonia exhibuit Petro. Nec decet; ut in perfectione dilectionis inimicorum Christianos superent ij,

rent ij, quos non erudierunt verba & exempla Christi. Joseph Patriarcha, cùm se manifestâsset Genes. 45. *Osculatus est omnes fratres suos, & ploravit super singulos.* Nimirùm, ut ait August. Serm. 83. de Temp: *Odium fratrum lacrymis charitatis abluebat.* Non potest satis hunc Patriarcham mirari S. Ambrosius lib. de Joseph. c. 1. *Jure mirandus*, inquit, *qui hoc fecerit ante Evangelium; ut læsus parceret, appetitus ignosceret, venditus non referret injuriam, sed gratiam pro contumelia solveret. Quod post Evangelium omnes didicimus, & servare non possumus.*

Moyses quoque gravissimis affectus injurijs non solùm à Core & sequacibus ejus, sed etiam à propria sorore Maria & fratre Aaron, imò toto populo: omnes tamen benevolentissimo prosequebatur affectu, benefaciebat omnibus, pro omnibus anathema fieri cupiebat, & deleri de libro vitæ, modò parceretur ipsis. *Quantas*, miratur Ambrosius libr. 2. Offic. c. 7. *à populo illatas absorbebat injurias! quàm miti sermone post contumelias appellabat! Quomodo consolabatur in laboribus, detinebat oraculis, fovebat operibus? Meritò æstimatus est super homines, & ut vultui ejus non possent intendere.* Magis enim ardor charitatis, quàm promicantes radij, aspicientium feriebat oculos, & hominem monstrabat divinum.

Verùm hæc dilectionis inimicorum exempla ante Christum edita, ut mira, ita rara fuerunt. Evangelij gratia est, quòd jam ubique terrarum quotidiè oriatur, orbemque illustret universum sol hic charitatis: dum in omni sexu, ætate & statu reperiuntur; qui non solùm tolerare injurias didicerunt, sed etiam amare inimicos, injurias beneficiorum loco habere, & tam profusis officijs atque obsequijs demereri eos, quos experiuntur adversarios: ut nihil simile præstituri sint amicissimis. Sic de Abbate Achille habetur in Vitis PP. quòd rogatus à duobus fratribus, sibi admodum addictis, ut quidpiam faceret in ipsorum gratiam: Recusavit. Rogatus autem à tertio, apud quem in mala erat opinione, statim annuit: *Ego tibi faciam.* Rosvveid. n. 79. Taulerus quoque de quadam sancta Virgine scribit in Instit. c. 31. quòd moriens rogata: quibus potissimùm pietatis exercitijs se occupâsset? Inter alia dixit: *Quisquis me injuriâ vel molestiâ quâvis afficiebat: huic ego specialia quædam beneficia rependere curabam; quæ nisi priùs læsa ab ipso, minimè contulissem.*

De S. Joanne Eleemosynario, Patriarcha Alexandrino, scribit Surius in Vita: quòd cùm quidam ejus nepos ad ipsum accurrisset, graviter questus de insigni ignominia à caupone sibi illata, nullo habito cognati Præsulis respectu: Sanctus non leviter se commotum præferens, respondit: Tibi patientia necessaria est; Ego verò injuriam illatam ita ulciscar; ut tota Alexandria sit

 dria sit

dria sit in admirationem rapienda. Advocatum deinde famulum misit ad cauponem illum, liberaliter ei remittendo annuum quoddam tributum, quod Patriarchæ pendendum erat. Et sanè non caupo solùm, sed universa Alexandria stupuit tale vindictæ genus.

In Italia, ut refert Nicol. Erithr. exempl. 112, quidam cohortis ductor hyemabat in monasterio PP. Dominicanorum, cui F. Michael Gislerius præerat. Is rogabat ductorem; ut suorum militum licentiam compesceret: sed ille ipsi Priori minatus est, si hiscere auderet, se eum in puteum vicinum præcipitaturum. Post annos aliquot Prior, Gislerius, factus est summus Pontifex, Pius V. dictus. Ad quem cùm idem ille militum Præfectus à civitate sua missus esset certi negotij causâ, atque ad pedes Pontificis accidisset: rogavit Pontifex: Num meminisset illius Prioris, quem in puteum projicere voluisset? Affirmanti, se meminisse: Ego, inquit, sum ille. Vehementer consternatum, bono esse animo jussit, & humanissimis verbis erectum, & beneficijs ornatum dimisit. Divina tamen ultio non defuit. Filius enim ejus ad eundem puteum postea interfectus est.

Disponat DEus de vindicta adversariorum nostrorum: nos (si Christi esse volumus discipuli, & honorem Filiorum Dei, ut decet, æstimamus) imminentem deprecari & impedire; vultum serenum & manum beneficam ipsis exhibere, par est. *Vicem injuriæ reddere, humana ultio est: at inimicum diligere, vindictæ cælestis est*: ait S. Paulinus.

DOMINICA IN ALBIS. I. POST PASCHA.

MEDITATIO: *Deus gloriosus in Resurrectione Christi: Christus amanter corrigit incredulum Thomam: Deipara Virgo suspicit Christum, ut singularem Redemptorem suum.*

I. ADora DEUM O. M. & considera eum gloriosissimum in Resurrectione Christi. Gloriosus valde apparuit in eductione populi sui ex Ægypto, & demersione Pharaonis cum exercitibus suis in mari rubro: Unde Moyses Exod. 15. *Cantemus Domino: gloriosè enim magnificatus est; equum & ascensorem dejecit in mare.* At gloriosiùs magnificatus est in Resurrectione Christi. Nam & Romanorum potentiam vanam esse adversùs se, & adversùs Christum suum, ostendit: & Judæorum fraudes, criminationes, odia, & rabiem nihil profecisse, demonstravit: & mortis tyrannidem immanissimam evertit, & totam inferni potentiam confregit; equum diabolum cum ascensore Judæo dejecit in mare rubrum sanguinis Christi, & cum æterno opprobrio demersit. *Dextera tua, Domine, magnificata est in fortitu-*

fortitudine. Quis similis tui in fortibus, Domine, quis similis tui? Iste Deus meus; & glorificabo eum.

2. ADora D. JESUM, & considera: eum gloriam Resurrectionis suæ ampliare voluisse vel maximè per Clementiam & Charitatem erga immeritos. Vide, quàm indulgenter & amanter tractet Thomam incredulum, & satis obstinatum. Ipse se offert ducem erranti, medicum ægroto, salvatorem periclitanti. Præterit Petrum, non alloquitur Joannem; ad solum conversus incredulum, *dicit Thomæ: Infer digitum tuum huc: & vide manus meas: & affer manum tuam, & mitte in latus meum; & noli esse incredulus, sed fidelis.* Joan. 20. Quid leniùs aut blandiùs dici potuit? Quid exhiberi indulgentiùs? *Affer manum tuam, & mitte in latus meum.* Etiam à pedibus arceri merebatur; & admittitur ad latus & cor Thomas! Docuit Dominus: leniter tractandos esse peccatores, dum spes est pœnitentiæ. Non tam ex tactu, quàm tantâ benignitate Domini, jam cereus Thomas obstinatus, exclamat: *Dominus meus, & Deus meus!* Ingemina idem pari affectu anima mea: plus enim tibi facit Jesus; quando tam crebrò admittit indignissimam ad sumendum, & non solùm tangendum, Corpus suum.

3. VEnerare DEIPARAM V. & considera: quo affectu ferebatur in redivivum Christum: siquidem illum suspiciebat non solùm ut communem generis humani Redemptorem; sed ut singularem & specialem Redemptorem suum; qui Matrem non permisit incidere in captivitatem; imò à periculo proximo incidendi prohibuit. Quod genus Redemptionis ut excellentius est, & plus habet amoris: ita longè magis, quàm Redemptionis nostræ beneficium æstimari meretur. Æstimavit Mater: æstimo & ego servulus tuus. Vivat ergò gloriosissimus Redemptor Jesus! Vivat sic redempta MARIA!

Propositum, v. g. *de iterando sæpiùs, elevatâ ad Jesum mente, Dominus meus, & Deus meus! Et cavenda obstinatione, publica præsertim, in proprio sensu.*

LECTIO PRACTICA.

Quomodo paternè corrigendi delinquentes.

PRæclaras & copiosas de hac Arte non vulgari Instructiones, quas SS. Patres, aliíque Spiritûs Magistri, tradunt: practico, eoque brevissimo, compendio complexus est, & nobis tradidit observandas, redivivus angelorum hominumque Magister; quando non leviter errantem correxit discipulum Thomam. Nimirùm verbis usus est opportunis, paucis, & mirâ suavitate conditis: Facto autem admirabilem benevolentiam spirante. In his duobus documentis facilè tota Correctionis paternæ ars & industria continetur.

Inprimis igitur, qui corrigendi poteſtatem, imò & obligationem habent, Superiores, Magiſtri & Patresfamilias, utantur oportet Admonitione *Opportunâ*: obſervando diligenter tempus commodum (niſi aliud urgens neceſſitas imperet) quo ſcilicet jam deferbuit in corrigendo exorbitans affectus, & in ipſo correctore indignatio & ira. Aliàs enim corrigendus non eſt capax correctionis, & corrector ineptus ad corrigendum. *Cum indignatione & irâ, caſtigatione adversùs aliquem uti, hoc haudquaquam eſt à peccato illum liberare, ſed delictis ſe ipſum obſtringere:* inquit S. Baſil. Reg. 50. fuſarum. *Quamobrem Apoſtolus dixit: In manſuetudine corripientes eos, qui reſiſtunt.* Et S. Bonaventura de 6. Alis. c. 5. n. 5. Superiorem monet: *ut modeſtè, & maturè, & benignè ad ſingula reſpondeat, & impetum fervoris reprimat: ne in voce, aut vultu, ſeu motibus impatientiam oſtendat. Tunc enim magis proficit per patientiam, & tandem devincit; quos impetuosè agendo provocaret, dicente Scripturâ:* (Prov. 12.) *Vir iracundus provocat rixas: qui autem patiens eſt, mitigat ſuſcitatas.* Iracundo exponere ſubditi non audent gravamina ſua, juxta illud Job 4. *ſi cœperimus loqui tibi, forſitan moleſtè accipies.*

Verboſum quoque ſeu prolixum eſſe in arguendo, non convenit, præſertìm quando cum ingenuis, qui indolis ſunt generoſioris, res eſt. Nec exaggeratione multâ utendum, dum quis paucis compunctus cernitur. Etiam patientiſſimo Job *verboſi amici* graves fuerunt cap. 16. *Suavitas* quoque tam neceſſaria eſt: ut ſine illa vix boni aliquid ſperari poſſit. *Leniter caſtigatus exhibet reverentiam caſtiganti;* inquit S. Proſper lib. 2. de vit. cont. c. 2. *aſperitate autem nimiâ & increpatione offenſus, neque increpationem ſuſcipit, neque ſalutem.* In quo autem ſita ſit ea ſuavitas, declarat egregiè P. Claudius Aquaviva, Præpoſitus Generalis S. J. in Libello Induſtr. c. 2. n. 4. ubi Superiores ſic inſtruit: Sciant ſuavitatem in eo ſitam eſſe: ſi in objurgationibus nihil aſperum, aut iracundum, aut perturbatum appareat: ſed paterna gravitas, pia quædam compaſſio, & dulcedo quædam, ſed vivida tamen & efficax, eluceat. Si à puniente non tam voluntas humiliandi & caſtigandi, quàm neceſſitas quædam ex zelo boni communis, & utilitate etiam ipſius, qui punitur, extorſiſſe aliquid videatur. Si negemus, quod negandum eſt, quaſi cum quodam doloris ſenſu; parati concedere, quando & quod expedire videbitur. Si imperfectiones ita emendare velimus, non quaſi nimiùm emungentes, ne ſanguinem eliciamus; verùm quaſi exactores quidam, benigni tamen; qui non veluti vincendi ſtudio, ſed in bonum Societatis, atque adeò ipſius ſubditi, id velimus. &c. *Ita P. Claudius.*

Verbis & modo loquendi reſpondere debent facta Corrigentis: ut, dum monet,

monet, arguitque, imò & antecedenter, nihil agat, unde corrigendus colligat, animum ejus à se aversum & alienatum: sed potiùs specialia quædam propensi in illum affectûs præbeat argumenta, (exemplo Christi, præbentis Thomæ palpanda vulnera sua) ut persuasum habeat se æstimari & diligi, solos autem defectus suos esse molestos Superiori. *In correctione hunc esse ordinem observandum: ut personas diligas, & vitia persequaris*: scripsit S. Gregorius ad Bennonem Abb. lib. 9. ep. 8.

Admirandus fuit in arte corrigendi S. P. N. Ignatius, qui quàmvis non verbis solùm, sed pœnis etiam gravibus subinde castigabat delicta non gravia (ut in illis initijs statueret exempla, & magis solidaret virtutem suorum) neminem tamen exasperabat, teste oculato P. Petro Ribadeneyrâ in Vita S. Ign. l. 5. c. 7. *Vidimus*, ait, *& observavimus: ut in tanta hominum multitudine, ferè nemo ab Ignatio aut verbis castigatus, aut pœnitentiâ aliquâ graviore affectus, indignaretur, nemo in objurgantem aliquâ perturbatione incitaretur: sed in se ipsum exardesceret, qui deliquisset. Tum quia omnes putabant: se ab eo vehementer diligi*; ut scribit Ludov. Consalvius: *tum quia*, ut ibidem ait Ribaden: *studiosè dabat operam: ut qui in culpa esset, culpam agnosceret; eamque non verbis* (perstringentibus) *sed rerum pondere exaggerabat*: rationibus scilicet ostendendo, rem non esse ritè gestam. Adhæc non raro volebat, ut ipse reus pœnam sibi deligeret: *de qua Ignatius multum detrahebat, si gravior videretur*. Denique Correctoribus observandum diligenter illud S. Augustini: *Dilige: & dic, quod voles*.

FERIA II.

MEDITATIO: *De Præmio Mortis Christi & Pace per ipsum parata atq; oblata.*

1. ADora DEUM O. M. & considera: eum pactum quoddam inijsse cum Christo in Incarnatione VERBI, impositâ Christo conditione satis onerosâ. Exhibet pactum hoc Isaias cap. 53. *Si posuerit pro peccato animam suam: videbit semen longævum; & voluntas Domini in manu ejus dirigetur*. Cumulatè implevit Christus conditionem: nec defuit promissioni suæ fidelissimus Deus. Dedit ei *semen longævum*; scilicet populum Christianum, multiplicatum per orbem universum, & multiplicandum infinitâ copiâ usque ad finem mundi, perennaturum autem in gloria cœlesti per omnem æternitatem. *Voluntatem quoque suam* direxit Deus in manu, seu per manum Christi. Quidquid enim ab æterno disposuit circa electos & reprobos; id non aliter executioni mandatur, quàm per Christum: sive gratiosâ ejus dispensatione, sive judiciariâ potestate. Non ergo habemus, quod speremus: nisi per Je-

per Jesum. Fidelia omnia mandata tua, Domine: confirmata in sæculum sæculi. Dabis utique & mihi, quod promisisti: si fecero, quod jussisti.

2. ADora D. JESUM, & considera eum, ut Authorem & Consummatorem Pacis inter Deum & homines, per mortem & resurrectionem suam. Quam in ejus Nativitate cecinerunt Angeli pacem, magis promissa, quàm confecta pax fuit. Necesse erat, impleri primùm conditiones pacis: inter quas principalis erat Mors fidejussoris Christi. Necesse erat profligari potentissimos generis humani hostes diabolum, mortem & mundum; partaque spolia ipsis eripi. Quod cùm per Mortem & Resurrectionem Redemptoris nostri plenè præstitum sit: *ipse est Pax nostra; qui fecit utraque unum: quoniam per ipsum habemus accessum ambo* (& gentiles & Judæi) *in uno spiritu ad Patrem.* Ephes. 2. Unde ipse iteratò discipulis apparens, iteratò pacem obtulit: *Pax vobis.* Joan. 20. Dixerat autem Joan. 14: *Pacem relinquo vobis; pacem meam do vobis: non quomodo mundus dat, ego do vobis;* pacem scilicet fucatam & horariam: sed pacem *meam* do vobis, veram, solidam, pretiosam, & ex parte Dei indissolubilem; nisi eam turbet insolentia libertatis humanæ. Gratias tibi immortales, Gratiosissime Princeps pacis, pro conciliata nobis, sanguine & morte tuâ, hac pace. Fac me filium pacis. Nulla enim salus bello, præsertim cum Superis.

3. VEnerare DEIPARAM V. & considera eam ut Restauratricem violatæ pacis inter DEum & homines. Miseri homines, innumeris attriti cladibus, adhuc rebellem DEO cervicem arrigere præsumimus; & pacem tam carò emptam, insanâ temeritate, ferè in horas & momenta prodigimus! Providit ergo nobis Divina Bonitas Restauratricem nostræ pacis, quam Salvator sanguine suo nobis conciliavit. Scit ipsa disertiùs pro domo & gente sua perorare, quàm Abigail. O Domina, funda nos in pace! Pacem deposcimus omnes.

Propositum: v. gr. *Ne hodie deliberatè pecces: Nec quenquam ultrò lacessas, Imò pacem restaura cum offensis.*

LECTIO PRACTICA.

Pax in communitatibus omni studio observanda.

PErturbari solet Pax in Communitatibus tàm à Superioribus, quàm ab Inferioribus, seu Subditis. Turbatur à Superioribus 1. Si artem gubernandi non calleant probè. Quod contingit, si præscriptam regendi methodum, & Ordinationes sui Ordinis, seu Communitatis proprias, discere negligant; si cœlitùs lumen & opem petere omittant, prudentiæ & dexteritati suæ fidentes; si peritorum consilia non adhibeant; ingenia & mores subdito-

subditorum intelligere non curent; super suum procedendi modum, atque præteritum præsentemque Communitatis sibi commissæ statum se nunquam, aut raro & obiter, reflectant. Meritò S. Gregorius Nazianzenus Orat. 1. Apol. inquit: *Profectò Ars quædam artium & scientiarum mihi esse videtur, Hominem regere; animal maximè varium & multiplex. Id est, Ars una est, plures artes complectens.*

2. Turbatur Pax à Superioribus, si nimis sint rigidi & asperi in verbis & factis. Quod declarat P. Claudius Aquaviva Ep. 1. ad Super: *Asper, inquit, & gravis est Superior: cùm nimiùm credulus, primis quibusque delationibus tenaciter adhæret, nec ab ijs abduci se patitur. Asper est, cùm, quasi omnes transgressiones æquales essent, easdem minoribus, quas majoribus pœnas decernit. Asper est, cùm ijs, quæ solâ monitione corrigi possunt, acriora adhibet medicamenta. Asper etiam est, cùm loci & temporis momenta & opportunitatem expectare nescit; cùm errata, quæ secretâ correctione emendanda fuerant, ita palàm facit, ut subditum confundat; cùm in corrigendo iracundiâ magis agi, quàm zelo, & charitate duci se ostendit, verbis ac gestibus incompositis perturbati animi signa exhibens. Asper est, cùm reprehensionis austeritatem non temperat dulcedine.* &c. *Ita Claudius.*

3. Si indiscreti sint in exigenda disciplina domestica, & severi nimis in imponendis pœnis, malintque timeri magis, quàm amari. Nihil enim magis exasperat subditorum animos, præsertim ingenuorum, & qui ultrò se alienæ gubernationi submiserunt. Graviter monet hujusmodi Prælatos S. Bernardus Serm. 23. in Cant. *Studete magis amari, quàm metui. Et, si interdum severitate opus est; paterna sit, non tyrannica. Matres fovendo, patres vos corripiendo exhibeatis. Mansuescite; ponite feritatem, suspendite verbera, producite ubera: pectora lacte pinguescant, non typho turgeant.*

Ab inferioribus seu subditis turbatur Pax 1. Si alieni sint, & animo averso à Superiore. Hi enim omnia illorum acta, imò & agenda, & mentem ipsam sinistrè interpretantur, ac in partem pejorem trahunt, omnia contra se instrui & dirigi putant: ideoque recalcitrant; & cùm ipsi non satis habeant animi vel virium ad resistendum, vel ad vexandum Superiorem, alios concitant. Castigat hos Apostolus Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non enim est potestas, nisi à Deo. Quæ autem sunt potestates, à Deo ordinatæ sunt. Itaque qui resistunt potestati, Dei ordinationi resistunt. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* De S. Ignatio scribit Ribadeneyra l. 5. Vitæ: quod, cùm quidam è Patribus acerbior in ipsum, & contumacior fuisset:, Ignatius pro ipso orans in Missa, & magnam lacrymarum vim profundens, clamârit ad Dominum: Ignosce, Domine; Parce, Do-

ce, Domine. Cui Dominus: Sine me: Ego enim pro te vindictam sumam; Ego, nisi resipiscat, ultor existam. Accidit autem postea: ut ille Pater in templo quodam Sanctorum reliquias venerabundus intueretur, & inter beatissima ossa, quasi hominis aspectum videret, truci vultu flagellum intentantis, nisi Ignatio pareret. Eo viso quanquam homo tumorem compressit, animosque submisit: multis tamen postea magnisque molestijs affectus est.

2. Turbatur pax, si Inferiores domesticæ disciplinæ, quantumvis moderatæ, sint impatientes. Tunc enim vel connivet mollis, aut pusillanimis Superior; & omnia susque deque vertuntur, velut à torrente verno, ubi aggerem perfregit: Vel se opponit intrepidus, & tunc in illum, velut conjurata, seditiosorum incumbit tempestas.

3. Si inter se non concordent domestici. Tunc enim fervent odia, & contentiones, clandestina celebrantur conventicula, cuduntur calumniæ, ad subvertendum adversarium excitantur machinæ; religio & pietas proscribitur, & Paradisus convertitur in infernum. Quid funestius & luctuosius tali statu?

Sed *Audiant omnes jurgiorum Seminatores*, inquit S. Gregorius 3. par. in Pastor. admon. 23. *quod scriptum est: Beati Pacifici: quoniam Filij Dei vocabuntur: atque è diverso colligant; quia, si Filij Dei vocantur: qui pacem faciunt: procul dubio sunt Satanæ filij, qui confundunt.* Audiant S. Bernard. Serm. 3. in dedic. eccl. *Sicut in Pace factus est locus Domini: sic in discordia locum fieri diabolo, manifestum est.* Audiant & Augustinum Serm. 57. de Verb. Dom. *Non poterit ad hæreditatem Domini pervenire: qui testamentum Pacis noluerit observare.*

FERIA III.

MEDITATIO: *De Oraculis S. Scripturæ prædicentibus Christi Passionem & Gloriam.*

1. ADora DEUM O. M. & considera: quomodo ad excitandam & firmandam fidem resurrectionis Christi à mortuis, ante plurima sæcula eam prædixerit, & prædictionem scripto consignari voluerit per Moysen aliosque Prophetas. Quod infallibile & convincens argumentum est Resurrectionis verè factæ ijs, quibus nota est infallibilis Veritas & summa Veracitas Dei. Unde & Christus & Apostoli Judæis prædicantes, ad Divinarum Literarum testimonia recurrebant pro adstruenda passione, morte & resurrectione Christi. Gratias tibi æternas, Benignissime DEus: quòd tam luculento testimonio subvenire volueris imbecillitati intellectûs nostri. Credo pro-

do propter summam Veritatem & Veracitatem tuam: quòd Redemptor meus vivit.

2. ADora D. JESUM & considera quædam Prophetarum testimonia, quæ post Resurrectionem explicuit discipulis. In Deuteron. habetur illud Moysis cap. 18. *Prophetam de gente tua, & fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies.* Psalmi pleni sunt mysteriorum Christi, præsertim Psalmus 21. 68. 108. de Passione Christi. Psalmus 2. 3. 109. de Resurrectione & gloria Christi. Isaiæ prophetia Evangelium est, præsertim cap. 53. ubi dicitur inter alia: *Oblatus est, quia ipse voluit, & non aperuit os suum. Propter scelus populi mei percussi eum. Pro eo, quòd laboravit anima ejus, videbit, & saturabitur* &c. Jeremias cap. 33. non obscurè indicat Christum: *In diebus illis salvabitur Juda, & Jerusalem habitabit confidenter: & hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus Justus noster.* Ezechiel cap. 44. monstrat Portam Orientalem Sanctuarij clausam: *Vir non transibit per eam: quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam*: per Virginem scilicet Deiparam. Daniel cap. 2. ostendit Lapidem abscissum sine manibus de monte: qui percussit statuam Nabuchodonosoris; *& factus est mons magnus, & implevit universam terram.* Oseas cap. 6. testatur: *Vivificabit nos post duos dies: in die tertia suscitabit nos, & vivemus in conspectu ejus.* Hæc & similia aperuit discipulis redivivus JEsus: quàm plena solatiorum & mysteriorum!

3. VEnerare DEIPARAM V. & considera eam ut petram immobilem in medio procellosi maris, ut domum benè fundatam supra firmam petram; contra quam nulli prævaluerunt, etiam cruenti imbres passionis Filij: sed nixa veritate Domini, quæ manet in æternum, perstitit in fide & spe inconcussa, etiam cùm Vita ejus JEsus sepulchro illatus esset. Ora pro me, Domina, ut mea quoque non deficiat fides; & in tempore tribulationis sustentet me spes mea.

Propositum *de alenda viva fide & spe in Deum.*

LECTIO PRACTICA.

Actus Fidei vivæ in Christum quàm efficaces & fructuosi.

QUòd tanta invaluerit inter Christianos morum pravitas, inter afflictos pusillanimitas, inter Spirituales rerum spiritualium incuria, inter Religiosos in obsequio divino & virtutum profectu torpor tantus: passim conjicitur causa in defectum vivæ, seu vigentis Fidei. Hujus enim ea est virtus & operatio: ut omnes peccandi illecebras facilè excludat, omnes in studio virtutum difficultates nullo negotio superet, mentemque & cor hominis trans-

nis transferat in cœlum & Deum: juxta illud Marc. 9. *Si potes credere: Omnia possibilia sunt credenti.*

Egregiè S. Thomas Villanova in Oct. Pasch. *Fides*, inquit, *prava desideria frænat, effrenes appetitus cohibet, feroces cordis motus sedat, vitia pellit, virtutes inserit, mollia calcat, aspera tolerat; in prosperis non erigitur, in adversis non dejicitur: nihil tam est arduum, & tam durum, quod non aggrediatur propter Deum, qui vivâ fide credit in Deum*; & Filium ejus JEsum, Salvatorem nostrum. Sive enim mundus, sive caro, sive dæmon nobis objiciat illecebram aliquam, & solicitet ad peccatum: facilem patientur repulsam, si vivum actum Fidei eliciuerimus in Christum, nobis infinitè meliora omnia infallibili promissione pollicentem; & fidelitatem nostram infinitis titulis promeritum. Dicemus facilè cum Apostolo Philipp. 3. *Existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini mei: propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror ut stercora; ut Christum lucrifaciam.*

Commodè ostendit Lohner in Biblioth. Man. V. Fides. §. 12. n. 11. quomodo in ipso Apostolorum Symbolo præsentissima habemus remedia adversus tentationes quasvis & animi afflictiones. Nam si 1. in angustijs summis nos conclusos inveniamus, ut nullatenus pateat exitus; dicamus: *Credo in DEum Patrem Omnipotentem, Creatorem cœli & terræ*. Potest me hinc eruere: quia Omnipotens est. Et volet eruere: quia Pater est. Propter nos homines creavit cœlum & terram; & quomodo minora non dabit?

2. Si quis ad desperationem æternæ salutis urgeatur: animet se fide vivâ, & dicat: *Credo in Jesum Christum, Filium Dei unigenitum, Dominum nostrum.* Quid enim est JEsus, nisi Salvator? Quos venit salvare, nisi peccatores? quorum si primus sum; primus sperabo veniam & salutem.

3. Si quis tentatur pusillanimitate, & timore accedendi JEsum: dicat fidenter: *Credo in Jesum Christum, qui conceptus est de Spiritu S. natus ex Maria Virgine.* Spiritus S. amor est; Maria Virgo ipsa suavitas & dulcedo est: Conceptus ergo & natus de amore, suavitate & dulcedine, quomodo non erit amabilissimus, suavissimus & dulcissimus?

4. Tentatus impatientiâ in adversis dicat: *Credo in Jesum passum sub Pontio Pilato, crucifixum & sepultum*: idque amore mei. Quidni tantillum feram amore ipsius?

5. Tentatus superbiâ dicat: *Credo in Jesum, qui descendit ad inferos: tertiâ die resurrexit à mortuis.* Et me necesse est ad infima descendere, & velut in sepulchro delitescere. Suscitabit & elevabit me Dominus, si, & quando placuerit.

6. Dubi-

6. Dubitans de sua Prædestinatione ad gloriam æternam dicat: *Credo in Jesum, Dei Filium & Dominum meum, qui ascendit ad cœlos; ut mihi pararet locum*: sedet ad dexteram Patris, expectans, quem post legitimum certamen coronet.

7. Solicitatus ad peccatum dicat: *Credo in Jesum, qui venturus est judicare vivos & mortuos.* Judicium ejus non effugiam. Nihil inultum remanebit.

8. Desolatus in afflictione dicat: *Credo in Spiritum Sanctum,* Consolatorem Optimum, Dulcem animæ hospitem. Aderit, ubi opportunum fuerit: Sustinebo paulisper.

9. Tentatus circa aliquos Fidei articulos, dicat: *Credo in Vnam, Sanctam, Catholicam & Apostolicam Ecclesiam, & Sanctorum Communionem.* Quidquid illa proponit ad credendum, infallibile est. Non alibi, quàm in hac Ecclesia, Sanctorum Communio est & meritorum & doctrinæ.

11. Stimulis carnis exagitatus dicat: *Credo carnis resurrectionem.* Ut gloriosa resurgas, caro mea, abstinendum hìc à vetitis voluptatibus. Momentaneum, quod delectat: Æternum, quod cruciat.

10. Gravatus mole peccatorum suorum dicat: *Credo Remissionem peccatorum.* Misericordiæ Domini super omnia opera ejus. Ibo ad Patrem meum, & dicam: Pater, peccavi!

12. Tædio vitæ præsentis laborans dicat: *Credo Vitam æternam.* Modicum sustineamus: modicum laboremus. Timentes & diligentes Dominum Vita manet æterna, & æternùm gloriosa, atque beata. En quale armamentarium nobis aperit Virtus Fidei Divinæ. Rectè doctissimus Esthius in cap. 6. Ephes. *Nihil efficacius ad superandas diaboli, carnis & mundi tentationes; quàm si quis fidem suam diligenter exerceat.*

FERIA IV.

MEDITATIO: *Dei sapientia in præsignandis mysterijs vitæ, mortis & resurrectionis Christi: Christus patiens & gloriosus. quibus figuris repræsentatus fuerit: Deipara Virgo contemplatione illarum occupata.*

1. ADora DEUM O. M. & considera admirandam ejus sapientiam in præsignandis variarum figurarum umbris vitæ, mortis & gloriosæ Christi resurrectionis. Ita enim aptavit omnia repræsentandis futuris: ut velut alia omnia agere videretur; accommodatissimè tamen ad materiam, tempus, & personas, illustribus lineamentis expresserit ea, quæ Christum mittendum concernebant, ut patet ex puncto 2. Præbuit ergo nobis Deus occasio-

occasionem suspiciendi & venerandi altissimam ejus sapientiam, attingentem à fine ad finem fortiter, & disponentem omnia suaviter. Admonuit præterea: ut non contenti solo cortice divinarum Scripturarum, scrutaremur medullam; notaremus verba, & signaremus mysteria. Denique voluit: ut non irrueremus temerè & promiscuè in thesaurum divinæ sapientiæ; sed clavim peteremus ab ipso. O Domine, da mihi intellectum: & scrutabor mandata & oracula tua. Quomodo enim animalis homo capiam ea, quæ sunt spiritûs tui, nisi tu dederis intelligentiam?

2. ADora D. JESUM, & considera: quædam Scripturæ testimonia, quibus probavit & illustravit Resurrectionem suam discipulis, tum euntibus in Emaus, tum congregatis Hierosolymæ. *Incipiens à Moyse & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipso erant.* Luc. 24. Monstravit illis Lignum vitæ Genes. 2. Semen mulieris, à quo conterendum esset caput serpentis antiqui, Gen. 3. Adamum dormientem, ex cujus latere sumpta & ædificata est Mater viventium, repræsentans Ecclesiam condendam. Gen. 2. Abel justi sacrificium, & cædem à fratre Genes. 4. Promissiones factas Abrahamo & alijs Patriarchis, de Semine ipsorum, in quo benedicantur omnes nationes. Gen. 12. 18. 21. &c. Melchisedech Sacerdotem & Regem, offerentem panem & vinum. Gen. 14. Isaacum immolari jussum. Gen. 22. Josephum à fratribus in cisternam missum, & proditum: sed postea exaltatum, & celebratum titulo Salvatoris mundi. Genes. 37. 39. 41. Jacob Patriarcham decussatis in modum crucis manibus benedicentem filios Joseph. Gen. 48. Prædictionem morientis Patriarchæ Jacob, de non auferendo sceptro à Juda, donec veniat, qui mittendus est. Gen. 49. Exaltatum à Moyse serpentem in deserto. Numer. 21. Captivatum Samsonem effractis portis evadentem. Jud. 16. Jonam Prophetam tribus diebus & noctibus in ventre ceti existentem, & salvum redditum &c. &c. Agnosco te, mi Jesu, in illustribus his & similibus umbris tuis. Credo, Confiteor, Adoro, Glorifico, & glorificabo te Dominum & Deum meum, viventem & regnantem in sæcula sæculorum.

3. VEnerare DEIPARAM V. & considera: quomodo prædictarum & plurium aliarum, Filium suum repræsentantium figurarum contemplatione assiduè immorabatur: & nunc divinam extollebat sapientiam, nunc sanctissimam adorabat in omnibus voluntatem; nunc compatiebatur, nunc congratulabatur Christo, & exultabat in Deo JESU suo. Illuminatissimo enim intellectu mysteria penetrabat profundissimè, & in omnibus se Filio conformare studebat accuratissimè. Aperi meos oculos, ô Domina: ut videam, & intelligam, & proficiam.

Proposi-

Propositum, v. g. *de ingeminando sæpiùs: Credo, quòd Redemptor meus vivit: & de fugienda diffidentia erga Deum.*

LECTIO PRACTICA.

Quid commodi percipere possimus ex Articulo Fidei de Resurrectione nostra?

GRavis est sententia S. Chrysostomi in Matt. cap. 12. *Tolle spem Resurrectionis, & resoluta est observantia omnis pietatis.* Quotusquisque enim est, qui solius virtutis aut Dei amore agit benè, & declinat à malo: idem omnino facturus, etiamsi fato asini esset interiturus, & non resurrecturus ad æterna præmia aut supplicia recipienda? Deinde vigori Fidei circa Articulum Resurrectionis nostræ communiter respondet vigor operationis in materia virtutum. Unde Haymo illud Apoc. 21. de Civitate Dei, *Longitudo, & latitudo, & altitudo ejus æqualia sunt*: applicat Virtutibus Theologicis dicens: *Quia, quanta est Fides, tanta est Spes, tanta Charitas, tanta Operatio.*

Inprimis igitur Fides de Resurrectione nostra excitat in omnibus salutarem Timorem Judicij extremi: siquidem hoc finis immediatus est illius, juxta illud 2. Cor. 5. *Omnes nos manifestari oportet ante Tribunal Christi: ut referat unusquisq; propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.* Quis enim sui securus sit: cùm nemo sciat: Amore an odio dignus sit? Quis, etiam Hieronymus, non horrescat ad sonum feralis tubæ: *Surgite mortui, venite ad judicium?*

Secundò eadem Fides nata est in improbis excitare serium Pœnitentiæ studium. Cùm enim immineat indeclinabile tribunal Justissimi, & ab ipsis graviter offensi, Judicis; & pœnæ pro non expiatis delictis dandæ sint æternæ in eadem omnino carne, quæ nunc tam tenerè amatur, tam delicatè fovetur, quæ tam impatiens est etiam cuspidis unius culicis; & aliâ ex parte tam facilis expiatio delictorum, & reconciliatio offensi Dei: demens omnino sit oportet, qui hæc credit, & caput suum tantorum suppliciorum objicit periculo, nec remedium præsentissimum seriæ Pœnitentiæ apprehendit.

Tertiò excitat in probis inter varias calamitates & tormenta persecutorum solidum & liquidissimum solatium. Sic Job c. 19. spe futuræ Resurrectionis sese solabatur: *Scio, quòd Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum &c. Reposita est hæc spes mea in sinu meo.* Nunquam excidet. Sic sancti illi septem Machabæi Fratres inter horrenda tormenta se solabantur. 2. Mach. 7. Cùm primò abstraheretur cutis de capite, dixit ad tyrannum Antiochum: Tu quidem, scelestissime, in præsenti vita nos perdis: sed Rex

mundi defunctos pro legibus suis in æternæ vitæ resurrectione suscitabit. Sed & tertius linguam postulatus, citò protulit, & cum fiducia dixit: E cœlo ista possideo, sed propter leges Dei nunc hæc ipsa despicio; quoniam ab ipso me ea recepturum spero. Quartus verò dicebat: Potius est, ab hominibus morti datos, spem expectare à Deo, iterum ab eo resuscitandos: tibi enim ad vitam resurrectio non erit. &c.

Quartò excitat studium mortificandi corporis, ut postea tantò gloriosiùs resurgat, & nitidiùs efflorescat, exemplo & specie gloriosissimi corporis Christi; de quo dicit ipse per Psalmographum: *Dominus adjutor meus & protector meus, & in ipso speravit cor meum, & adjutus sum, & refloruit caro mea.* Psal. 27. *Floruit caro Domini*, inquit S. Maximus Serm. 5. de Resurr. *cùm primùm de Virginis vulva processit: refloruit autem, cùm rediviva de sepulchro germinavit, & in floris modum cunctis hominibus immortalitatis afflavit odorem.* Curremus & nos in hunc odorem, cùm nobis ver illud æternæ felicitatis illuxerit: eoque elegantiùs reformabuntur corpora nostra, quò nunc sunt habita duriùs & contemptibiliùs. S. Jacobus Intercisus, cùm ambarum manuum ac pedum digiti ei abscinderentur, ad singula tormenta benedicebat Deum, gratias agens; quòd eum tanquam vitem in vinea amputaret, ut postea reflo-reret amœniùs, & fructum faceret uberiorem ac suaviorem. *Surius in vita.* At impiorum corpora tantò resurgent fœdiora & fœtidiora, & gravioribus subjicienda tormentis æternis, quantò nunc habentur delicatiùs. Prospice igitur maturè, ô Anima, & tibi, & corpori tuo. Momentanea mortificatio æternam operabitur voluptatem & gloriam.

Quintò excitat in omnibus solicitudinem de sequente post vitam temporalem Æternitate. Status enim, in quem resurgemus, omnino æternus erit, sive fuerit felix, sive infelix. Unde David, quàmvis vir secundùm cor Dei, de hoc statu solicitus, *Cogitavi*, inquit Psalmus 76. *dies antiquos, & annos æternos in mente habui. Et meditatus sum nocte cum corde meo, & exercitabar, & scopebam spiritum meum.* Id est, quasi scopis verrebam & excutiebam conscientiam meam; ne fortè lateret in ea aliquid, quod me impediret à felici æternitate.

Plurimum igitur juvabit nos; sæpe meminisse futuræ Resurrectionis, tam in prosperis, quàm in adversis; & identidem ingeminare: Credo carnis resurrectionem. Vel, Credo: quòd in hac carne comparebo ante Deum Salvatorem meum.

FERIA V.

MEDITATIO: *De Exaltatione Christi à Deo.*

1. ADora DEUM O. M. & considera summam ejus Justitiam in remunerandis laboribus & doloribus Christi D. *Non est injustus Deus* (solatur Hebræos Apostolus cap. 6.) *ut obliviscatur operis vestri, & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius.* Quantò minùs oblivisci potuit dilectionis summæ, laboris assidui, & dolorum acerbissimorum pro ipsius gloria tolleratorum à Filio? Æquum est, ut, qui se alterius gratiâ humiliat, tantò magis exaltetur ab ipso. Cùm igitur Christus se planè exinaniverit ad augendam Patris gloriam, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis: justitiæ erat (qualis scilicet inter Deum & hominem, Patrem & Filium dari potest) *quòd & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen.* Philipp. 2. Justus es, Domine, & omnes viæ tuæ æquitas. Reddes & mihi coronam justitiæ, si fideliter tuæ cooperabor gratiæ.

2. ADora D. JESUM, & considera: quàm gloriosè exaltaverit illum Pater, eductum è tumulo. Recole Josephum è carcere assumptum in consortem regni, impositum currui regio, *clamante præcone: ut omnes coram eo genu flecterent: vertitque Pharaò nomen ejus, & vocavit eum Salvatorem mundi.* Gen. 41. Crepundia sunt hæc respectu honoris & gloriæ, quâ redivivum Filium suum coronavit Pater. Exaltavit illum super omnes reges terræ, super omnes Principatus, Potestates, & Dominationes cœli: non secundum fecit in regno & curru gloriæ suæ; sed ejusdem throni jussit consortem, sedemq; obtulit à dextris suis, ponens omnes inimicos ejus scabellum pedum ipsius. Exaltavit; donando illi nomen, quod est super omne nomen: id est, nomen Jesu, seu *Salvatoris*, non restrictum ad solam Ægyptum vel Palæstinam, vicinasque regiones: neque ad mundum solùm terrestrem, aut respectu corporeæ salutis à fame defensæ: sed generalissimè Salvatoris *mundi*, & specialissimè Salvatoris *à peccatis* & morte æternâ; qui titulus divinam importat virtutem & perfectionem. *Ut in nomine Jesu*, tanquam verum Deum sonante, *omne genu flectatur cælestium, terrestrium & infernorum.* Quod nomen impositum quidem & donatum fuit Parvulo: sed post mortem, & consummatum opus salutis nostræ, plenissimo illud jure possedit, cœpitq; clarescere & celebrari toto cœlo terrâque. Gaudeo tam augusto, sacrosancto ac divino nomine tuo, Gloriosissime Salvator. Adoro te, mi Jesu, & genua mentemq; tibi flecto infra omnia cœlestia, terrestria & inferna, profundissimè, subjectissimè, reverentissimè pariter ac amantissimè. Vive, regna, triumpha.

3. VEnerare DEIPARAM V. & considera: quo affectu post Resurrectionem S. JESU Nomen enunciaverit. Semper equidem illud ei fuit

ei fuit mel in ore, jubilum in corde, pretiosissimum Supremæ Majestatis signaculum in mente: at post resurrectionem, jam decorem induto, regnante, & gloriam Divinitatis suæ explicante Domino, visum est & ipsum grandescere nomen, majoremque exigere reverentiam, quam sola Mater exhibere potuit congruam, & exhibuit. O imprime & mihi, Mater Gratiosissima, SS. hujus nominis amorem tenerrimum, & venerationem profundissimam!

Propositum: *Quàm reverentissimè & amorosissimè ingeminandi SS. Jesu nomen: & cavendi diligentiùs, illud assumere in vanum.*

LECTIO PRACTICA.

Quàm studiosi nos esse debemus Exaltationis Christi.

QUia ex voluntate Patris æterni Unigenitus Dei humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis: non solùm ob dignitatem infinitam Personæ, sed etiam intuitu tantæ humiliationis, exaltavit ipsum Pater æternus super omne, quod non est Deus. Quia verò eandem humiliationem, infimam depressionem, & extremam exinanitionem suscepit Jesus etiam amore nostri, & propter nos exaltandos: necesse est, ut toto ingenio intenti simus & nos in summam ejus, quantum poterimus, exaltationem.

S. Hieronymus expendens illud Galat. 3. *Christus factus est pro nobis maledictum*, miratur, tantam Christi depressionem ordinatam esse in nostram exaltationem. *Domini injuria*, inquit, *nostra est gloria. Ille mortuus est, ut nos viveremus. Ille descendit ad inferos, ut nos ascenderemus in cælum. Ille factus est stultitia, ut nos sapientia fieremus. Ille se de plenitudine, & de forma Dei evacuavit formam servi accipiens; ut in nobis habitaret plenitudo divinitatis.* Ille pro nobis factus est maledictum (nam maledictus, qui pendet in ligno. Deuter. 21.) ut nos benedictionibus & temporalibus & æternis repleremur. Iniquissimi ergo sumus in Christum; si soliciti non sumus de ipsius super omnia, quantum in nobis est, exaltatione. Solemne est regibus & principibus terræ: ut si quis vel unicum facinus heroicum exercuit propter ipsos, seu honorem ipsorum; ad summas evehatur dignitates, sedeat cum principibus, & solium gloriæ teneat, quantumvis ex infima hominum sit fæce. Quò ergo non extollemus Christum? Si nondum solium & dexteram Patris occupâsset, & nostrâ opus haberet operâ: per mille susceptas mortes & tormenta illuc eum promovere deberemus. Nunc autem quid faciemus illi?

Exaltare nihilominùs possumus ipsum, & debemus; 1. Per actus judicij æstimando ipsum & præferendo super omnia, quæ non sunt Deus; dignumq; declaran-

declarando, cui omnis possibilis honor & gloria, ab omni existente & possibili creatura, imò ab ipsis divinis Personis, Patre & Spiritu Sancto, deferatur. *Dignus est Agnus, qui*, ob amorem & honorem meum, *occisus est, accipere virtutem, & divinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem.* Apoc. 5.

2. Per affectum cordis & efficacem voluntatem, in praxi eligendo, ipsi potiùs adhærere, quàm quibusvis mundi aut carnis voluptatibus: nec sinendo nos ab ipsius amicitia avelli quibuscunque humanis respectibus, persecutionibus & tormentis. *Quis nos separabit à Charitate Christi?* Est hæc Exaltatio seu Prælatio Christi aliquomodo compensativa illius ignominiosissimæ depressionis, quâ ab insano populo & sacrilegis pontificibus postpositus est Barabbæ latroni.

3. Pro Christo & ejus honore subeundo graviores labores, difficultates, pericula, & tormenta, quàm subiremus in gratiam cujuscunque amici, vel amicissimi, aut cognati, vel fratrum aut parentum, aut Prælatorum vel Principum. Unde in hujusmodi difficultatibus pro tessera uti possumus illo Symbolo: *Vivat Christus; occidat mundus.* Vel: *Pro Christo & gloria ejus.* Compensat aliquomodo hæc Exaltatio injuriam illam ignominiosissimam, quâ Pilatus innocentem Christum damnavit ad crucem, ut se ostenderet amicum Cæsaris.

4. Omnia, quæ mundus amat, suspicit, magni facit, & magnis sumptibus laboribusq; quærit, despiciendo & arbitrando ut stercora: ut Christum lucrifaciamus, ejusq; clarâ visione aliquando frui valeamus. Sic satisfacimus aliquomodo pro illa vilipensione Christi, quâ proditor illum proposuit venalem pretio vilissimo: *Quid vultis mihi dare; & ego eum vobis tradam?* Constitutis 30. argenteis acquievit illicò.

5. Subjiciendo nos ipsos illi plenè, & omnia nostra: ut ipse disponat pro honore & gloria sua, & de bonis nostris, & de honore atque fama, & de talentis naturalibus, valetudine, corpore toto & anima. Hoc nobis sit summo solatio & honori: si per nostram infamiam crescat fama Christi, per nostros contemptus æstimatio & honor Christi, per interitum nostrum gloria Christi.

6. Desiderando ardenter & procurando laboribus, orationibus, & mortificationibus: ut omnes hostes Christi fiant quantocyus scabellum pedum ejus; coram ipso procidant Æthiopes, & Æthiopibus nigriores infideles omnes, principes & reges terræ. Ipse autem Vivat, Regnet, Triumphet in omnibus & super omnes, DEUS Optimus, Maximus, Gloriosus in sæcula.

Sic *Exaltabo te DEUS meus REX, & benedicam nomini tuo in sæculum sæculi. Magnus DOMINUS, & laudabilis nimis; & magnitudinis ejus non est finis!* Psal. 144.

FERIA VI.

MEDITATIO: *De amplissima Potestate, data à Patre redivivo Christo.*

1. ADora DEUM O. M. & considera: eum non solùm gloriâ nominis, celebritate famæ, & splendore honoris voluisse clarificare Filium in tantorum meritorum remunerationem; sed maximè excellentiâ & amplitudine Potestatis. *Data est ergo ei*, ut Homini, *omnis potestas in cœlo & in terra*: ipsomet teste, Matth. 28: quia se subjecerat non tantùm Matri Sanctissimæ, & Nutritio Josepho; sed omni potestati tum hominum, ut pontificum, (licèt pessimorum) regum, præsidum, sacerdotum, scribarum, militum, satellitum; tum dæmonum ipsorum. Conveniebat nimirum: ut converso ordine, novissimus fieret primus, infirmus accingeretur robore, & oppressus ab omnibus pro DEO & omnibus, dominaretur omnibus. Est DEUS fidelis & oculatus arbiter meritorum nostrorum: nihil boni operis, ejus causâ præstiti, transire finit sine præmio: at voluntariam subjectionem sub potestatem alterius remuneratur amplissimè, ac dignè DEO. *Data est mihi omnis potestas.* Magne DEUS, submisi, & submitto liberam cervicem non Tuæ solùm Majestati, sed etiam infirmitati ministrorum tuorum. Impone homines super caput meum, quos vis. Tibi serviam, & ipsis propter Te.

2. ADora D. JESUM & considera: quàm eminentem & amplam acceperit potestatem à DEO Patre suo; nimirum illimitatam omni ex parte. Habuit omnem ab æterno, ut DEUS: accepit omnem etiam ut Homo. Omnem communicabilem, tam physicam, quàm moralem, Gubernativam & Judiciariam. Omnem *in cœlo*: ut dominaretur Angelis, & omnes haberet ad nutum suum administratorios Spiritus: ut portas cœli aperiret hominibus, eosque insereret Angelorum choris: ut in omnibus orbibus cœlestibus operaretur, quod placeret. Omnem *in terra*: ut reges & regna transferret, everteret, servaret ad libitum; regeret potentes in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringeret; humilibus autem donet gratiam, mansuetis bona terræ, pauperibus spiritu regnum cœlorum, & diligentibus Deum, invisibilia & ineffabilia bona præpararet: ut Ecclesiam sibi conderet sanctam, immaculatam, amplissimam, æternam; Sacramentis muniret, donis Spiritûs S. erudiret ac illustraret: denique esset Omnia in omnibus. (Ephes.

(Ephes. 1.) Creator, Gubernator, & Judex omnium; magisque dependerent omnes ab ipso, quàm Ægyptij à Josepho, cui Pharao dixit Genes. 41. *Ego sum Pharao: absq; tuo imperio non movebit quisquam manum aut pedem in omni terra Ægypti.* Gratulor Tibi, Gloriosissime JESU, tam eminentem & tam amplam potestatem. Suspicio merita tua divina, operosa, sanguinea, morte crucis contestata. Exerce, ô Gratiosissime, potestatem tuam in me; ac plenè subjice tibi bestiam; quam nemo alius domare potest.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: eam, quia vixit ut humillima Domini ancilla, novissimo virorum, filio suo, proxima, subjectissima subdito sibi JESU; præ cæteris omnibus creaturis liberaliùs participâsse potestatem Christi in cœlo & in terra. Mater Domini ubiq; imperiosa, ubiq; magnifica est: inquit S. Fulbertus Ser. 1. de Nat. B. V. Domina nostra, Omnipotens post DEUM nomen tuum: ait S. Bonav. Exurge igitur, ô Domina, & dissipentur inimici nostri. Conforta, & doce manus quoq; meas ad prælium, & digitos meos ad bellum, præsertim contra indomitas passiones meas.

Propositum, v. gr. *de eliciendis hodie Actibus submissionis erga Deum, Jesum & Matrem ejus: & frenanda insolentiore passione N.*

LECTIO PRACTICA.

Quantam Fiduciam in Christo habere possimus, & debeamus.

EX duplici potissimùm capite nascitur Fiducia in aliquo, & spes auxilij ab eo obtinendi: nimirum quòd possit, & velit juvare. Utrumque habemus in Christo luculentissimè. Inprimìs potest nos juvare in omni tribulatione & necessitate nostra; quia ut DEUS eâdem cum Patre gaudet omnipotentiâ; ut Homo habet potestatem omnem sibi datam in cœlo & in terra, eamq; perfectissimam, absq; ulla exceptione & restrictione; absolutissimam, absq; ulla dependentia ab altero; æternam, absq; ullo termino. Nihil ergo est auxilij vel solatij, quod ab ipso haberi non possit.

Excitaturus Abrahamum DEUS cap. 17. Gen. ad serviendum sibi fideliter, perfectè & constanter in medio nationis pravæ, Chananæorum scilicet idololatrarum & infestorum peregrinis, qualis erat Abraham: erigere illum inprimìs voluit per manifestationem Omnipotentiæ suæ, ad concipiendam spem firmam auxilij sibi nunquam defuturi: *Ego*, inquit, *Deus Omnipotens: ambula coram me, & esto perfectus.* Sic & Christus redivivus expediturus discipulos suos, ut agnos inter lupos, ad prædicandum per orbem universum Evangelium, animandos eos duxit intuitu amplissimæ Potestatis sibi datæ non solùm in terra, sed etiam in cœlo. *Data*, inquit, *mihi est omnis potestas*

in cælo & in terra. Insurgent in vos homines improbi, imò infernus totus, & mundus universus? *Confidite, ego vici mundum.* Joan. 16. *Data est mihi omnis potestas in terra.* Indigebitis suppetijs & solatijs è cœlo? Confidite: *Data est mihi omnis potestas in cælo.* Ingruent pericula, expedientur tormenta, mille mortes versabuntur ante oculos? Confidite: *Ego Deus Omnipotens:* vel eruam vos illæsos, vel juvabo certantes, & coronabo victores. Tantam suspiciens in Christo potentiam Leprosus ille Matt. 8. sapienter & fidenter dixit: *Domine, si vis, potes me mundare.* Et Centurio ibidem: *Tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus.*

Quòd fideles, præsertim Ministros Evangelij sui, juvare in omni necessitate non solùm possit, sed etiam velit: argumento est 1. Propensissima ejus in illos voluntas, & incredibilis Charitas: quam verbis amplissimis testatus est tum alibi, tum in prolixo illo, & tenerrimi erga suos affectûs plenissimo, sermone Joan. 13. *Non turbetur cor vestrum. Creditis in Deum? Et in me credite &c.* 2. Disertissima auxiliorum, & præsentiæ suæ in occurrentibus angustijs promissio. *Ecce ego vobiscum sum usq; ad consummationem sæculi.* (Matt. 28.) tanquam auxiliator fortis. 3. Passio tolerata & Mors oppetita. Minus enim est, multa & magna alicui liberaliter conferre; quàm multa & acerbissima ultrò pro ipso pati. Utrumque præstitit nobis JESUS luculentissimè: quomodo igitur ambigere possumus de voluntate nos juvandi, sive in periculis & tentationibus, sive in calamitatibus & angustijs, sive in laboribus & ægritudinibus, sive in negotijs promovendæ salutis tam propriæ, quàm alienæ? *Attendamus,* inquit Augustinus, *ad judicium dilectionis & promissionis Dei. Quales arrhas accepimus? Tenemus mortem Christi: tenemus sanguinem Christi. Si non amaret, talia pignora non daret.*

Quodsi tantopere nos amavit, & amat JESUS: quomodo deserere potest? Observat idem August. tr. 49. in Joan. Martham & Magdalenam sorores, ad Christum misisse ante obitum Lazari, non rogando ut fratrem sanaret; sed scitè solùm insinuando, ipsum infirmari: *Domine, ecce, quem amas, infirmatur.* Quasi dicerent: *Sufficit, ut noveris. Non enim amas, & deseris.* Quid? quòd ipse benignissimus JESUS, quasi beneficio se affectum interpretetur, si confidenter recurramus in necessitatibus nostris ad ipsum? Manifestavit id S. Mechtildi, apud Blosium in Monili c. 11. dicens: *Perplacet mihi, videre homines confidentes de mea bonitate. Talis enim, quicunq; est, & in hoc perseverat; singulariter eum in hac vita remunerabor, & in altera uberrimam ei mercedem conferam. Et quantò plus de me confidet, tantò plus etiam à me consequetur. Impossibile enim est: ut quod quis de me sanctè credidit, & consequi speravit, non obtineat; cùm hoc ipsum ego promiserim.*

SAB-

SABBATO.

MEDITATIO: *De Potestate remittendi peccata à Christo communicatâ hominibus.*

1. ADora DEUM O. M. & considera: inter alias prærogativas, quibus honoravit Christum, ut Hominem, esse Remissionem peccatorum, & justificationem; quòd hanc nemo obtinere possit nisi per illum, & omnis obtinere possit, cuicunq; condonare voluerit ille. *Non est in alio aliquo salus*; inquit S. Petrus Act. 4. *nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*; obtentâ nimirum peccatorum remissione. Et S. Paulus Act. 13. *Notum igitur sit vobis, viri fratres: quia per hunc vobis remissio peccatorum annunciatur; & ab omnibus, quibus non potuistis in lege Moysi justificari, in hoc omnis, qui credit, justificatur.* Grandis honor Salvatori nostro collatus! quem meritò mirati Judæi Luc. 7. dicebant intra se: *Quis est hic, qui etiam peccata dimittit?* Gratias Tibi immortales, O. M. DEUS, pro eo honore Salvatoris nostri: quo & ipsius merita honorâsti, & nobis insigne beneficium præstitisti. Utar illo pro gloria tua & salute mea.

2. ADora D. JESUM, & considera: quàm liberali charitate, post resurrectionem suam, potestatem remittendi peccata communicaverit Apostolis suis, ac per ipsos innumeris per universum orbem sparsis sacerdotibus. Apparens enim eodem, quo resurrexit, die congregatis Apostolis, cùm pacem illis iteratò obtulisset, insufflavit: & dixit eis: *Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.* Joan. 20. Vide, quantam, quàm amplam, quàm facilis concessit potestatem; quæ aliàs DEI propria fuit, juxta illud: *Ego sum, ego ipse sum, qui deleo iniquitates tuas propter me.* Isa. 43. Et Luc. 5. *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* O quantum charitati Tuæ pro hac communicatione obligati sumus, Gratiosissime JESU! Quanti debiti remissionem, quantarum offensarum DEI condonationem posuisti in manu hominum: quos ad id faciles esse jubet & benignitas tua, & fragilitas sua! Ignosce: quòd tam parcè aut pravè usus sim hâc potestate. Utar deinceps frequentiùs & reverentiùs.

3. VEnerare DEIPARAM V. & considera: quo affectu acceperit tantæ Potestatis communicationem factam, non Angelis, sed hominibus; non pro certo variorum peccatorum numero, aut ejusdem certa repetitione; sed indefinitè. Sciebat; in veteri lege nec à lepra mundandi potestatem fuisse concessam Sacerdotibus, sed solùm declarandi, an mundatus quis esset? Magnificabat igitur, & cum pia illa turba Matt. 9. glorificabat DEUM; *qui dedit potestatem talem hominibus.* Nec dolebat sibi ne-

gatam; sed pro infinita sua humilitate & prudentia, acquiescebat libentissimè liberrimo donorum suorum distributori DEO. Da, Domina, ut semper acquiescam & ego.

Propositum *utendi Sacramento pœnitentiæ frequenter & reverenter.*

LECTIO PRACTICA.

Quomodo Potestate remittendi peccata uti debent Sacerdotes.

ACcuratiùs de hoc tractant Theologi: hic pauca proponam, excerpta potissimùm ex Pastorali Epistola S. Francisci Salesij, Episcopi Gebennensis, Viri doctrinâ & sanctitate eminentis. 1. Sacerdos, qui aliorum conscientias mundare & sanctificare intendit, videat: ne negligat propriam, & notari mereatur illo Luc. 4. *Medice, cura te ipsum:* & ne exprobretur ei illud Rom. 2. *In quo alium judicas, te ipsum condemnas.* Quare, antequam in tribunali Pœnitentiæ considеat, se ipsum dijudicet, atque expiet vel Sacramentali confessione, vel saltem actu Contritionis præmisso. Insuper humili prece opem divinam imploret, factâ intentione agendi, quod agit Ecclesia, seu authoritate Christi absolvendi à peccatis pœnitentes.

2. Meminerit: pœnitentes in confessionis exordio ipsum vocare Patrem: proinde corde & affectu paterno ipsos excipere debere, amplecti, instruere & supportare in omni patientia & doctrina. Instructus igitur legitimâ ab Ordinario loci approbatione & jurisdictione, accedens ad sacrum Tribunal, vultum præ se feret placidum, ac benignâ quâdam gravitate temperatum; quem, quidquid ipsi dicatur in confessione, nullatenus immutabit, (quantum circumstantes notare poterunt) ne vel minimum sigillo confessionis præjudicium afferat.

3. Præmissâ interrogatione de tempore ultimæ Confessionis, & statu pœnitentis, si sit ignotus, præbebit aures confitenti, juvabitq; quærendo, si videbitur necessarium.

4. Interrogatio, si facienda fuerit, fiet de peccatis statui & conditioni pœnitentis convenientibus, & non operis solùm & oris; sed etiam cogitationis, percurrendo omnia, vel quædam, præcepta Decalogi, & Ecclesiæ, non negligendo circumstantias speciem mutantes, vel notabiliter aggravantes. Commonebit quoque pœnitentem de Restitutione, Reconciliatione cum inimicis, & Satisfactione, sicubi facienda erit; & quidem non differenda, quantum fieri poterit. Cæterùm in Interrogationibus prudenti discretione opus est, (præsertìm agendo cum prudentioribus & non rudibus) ac potissimùm cum sexu fœmineo, de peccatis majorem pudorem causare solitis; ut scilicet neque reticeant explicanda, neque plus quæratur, quàm necessarium sit.

um sit. Ad hoc autem juvabit; si primò interrogentur de levioribus: an scilicet cogitationes aliquas non satis honestas admiserint? An in loquendo tale quidpiam exciderit? Tum denique an in actum aliquem externum hujusmodi cogitationes prodierint. Negantes admissam cogitationem de actu interrogandi utique non erunt.

5. Pœnitentes nimis verecundi animandi sunt exponendo communem hominum fragilitatem, per se pronissimam in gravissima scelera; &, nisi speciali gratiâ divinâ sustentetur, ruituram in omne nefas. Qui è contra advertuntur impudentes, utpote gravia peccata non aliter ac fabulam narrantes; admonendi sunt: rem agi non solùm coram homine, sed DEO Judice, eoq; graviter offenso: in hoc tribunali posse quidem remissionem obtineri quorumvis peccatorum, sed non nisi ab ijs, qui cor adferunt contritum & humiliatum &c. Desperantes, aut ægrè sperantes veniam, suaviter demulcendi sunt & erigendi, propositâ infinitâ misericordiâ DEI, qui plus potest dimittere, quàm nos peccando committere. Perplexi de valore confessionis suæ, eò, quòd vel conscientiæ suæ latebras non satis potuerint penetrare, vel sensibilem non habeant dolorem; animandi sunt, docendo: Sufficere serium conatum, eamq; diligentiam, quæ in alijs gravis momenti negotijs adhiberi solet &c.

7. Post exposita peccata juvandus est pœnitens, si opus sit, in eliciendo dolore de peccatis, & serio emendationis proposito. Imponenda prudenter satisfactio seu pœnitentia, præsertim medicinalis: ut avaris eleemosyna, libidinosis & ebriosis jejunia, superbis consideratio suæ vilitatis, rarò confitentibus frequentior confessio &c. Si deprehenderetur pœnitens obnoxius publicæ alicui pœnitentiæ juxta diœcesana statuta absolvendæ: remittendus erit ad aliud forum pro illa peragenda. Cavendum autem inprimis: ne talis injungatur pœnitentia, ex qua domestici colligere possint, grave peccatum esse admissum. Denique, ubi pœnitens apparuerit sufficienter dispositus, nec innodatus Censuræ potestatem Confessarij excedente; reverenter impertienda erit Sacramentalis, authoritate Christi, Absolutio. Sacerdos igitur tam grave negotium, & Christi Personam gesturus, videat, ut sufficiente scientiâ sit instructus, & Sancta tractet sanctè: ne alios absolvendo gravioris Judicij ipse fiat reus.

DOMINICA II. POST PASCHA.

MEDITATIO: *De Lege Gratiæ constituta per Christum.*

1. ADora DEUM O. M. & considera: quomodo pro sua infinita Bonitate & intuitu meritorum Christi, post resurrectionem ejusdem mundum

mundum recreare voluerit Lege novâ, quæ non rigorem, sed suavitatem ac gratiam, sonaret & conferret, sublato gravi jugo Legis Mosaicæ. Delinitus nimirùm obedientiâ, patientiâ & charitate Filij sui, voluit Benignissimus DEUS: *ut sicut regnaret peccatum in mortem*, usque ad mortem Christi: *ita & Gratia regnavit* deinceps *per justitiam in vitam æternam per Jesum Christum Dominum nostrum.* Rom. 5. Confitemini jam Domino, miseri Filij Adæ; quoniam bonus, quoniam in sæcula misericordia ejus. Tibi serviam, Domine, in spiritu charitatis; & lex gratiæ tuæ in medio cordis mei semper.

2. ADora D. JESUM, & considera: quantâ Charitatis amplitudine commiserit Apostolis post resurrectionem suam munus prædicandi Evangelium & Gratiæ legem: *Euntes ergò docete omnes gentes.* Matt. 28. *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ.* Marc. 16. Gratiæ suæ ubertatem non voluit jam arctari solis Judææ & Samariæ limitibus, sed diffundi usque ad extremum terræ: ut ubi abundavit delictum, superabundaret gratia. O si tandem aures arrigerent gentes omnes, & intelligerent: quoniam *Dominus* JESUS est *Legifer noster*; *Dominus*, *Rex noster*; *ipse salvabit nos.* Isa. 33. ipse non aggravabit jugum suum super nos; sed reattollet nos, & post momentaneum obsequium sibi præstitum invehet in regnum gloriæ suæ. Suspicio & amplector eximiam charitatem tuam, Suavissime JESU: custodiam deinceps mandata tua fideliùs: & Lex gratiæ tuæ erit Meditatio mea semper.

3. VEnerare DEIPARAM V. & considera: eam in Lege Gratiæ occupare thronum Gratiæ. Quàmvis enim omnis gratiæ fons & auctor sit Christus; imò totus ipse sit Gratia: terret tamen malè sibi conscios servos authoritas Domini, & judicialis ipsius potestas. Positus ergò est Reginæ Matri specialis thronus, ad quem tanquam ad aram gratiæ rei confugeremus. Per Te igitur accessum habeamus ad Filium, ô benedicta Inventrix gratiæ: ne premat nos sententia justitiæ. Suscipe, erige & consolare trepidos, ô Gratiosissima!

Propositum, v. g. *gratiosum te exhibendi in conversatione; & fugiendi austeritatem in agendo.*

LECTIO PRACTICA.

De Legibus Directivis tantùm, seu Consilijs Evangelicis.

UT inter Humanas, sic inter Divinas Leges reperiuntur quædam *Præceptivæ*, quæ scilicet sine culpa violari non possunt: aliæ autem *Directivæ* tantùm, quæ non obligant sub culpa, sed solùm dirigunt hominem ad agendum id, quod utile, vel utilius, aut conveniens est ob alios fines, ut fiat.

Tales

Tales Christi Leges vocantur aliàs Consilia Evangelica: quæ Cornelius à Lap: collegit, & Tomo I. Commentariorum suorum in Evangelia, præmisit. Juvat hìc ea compendio proponere: ut appareat tum sanctitas & sublimitas Legis Gratiæ, tum vis Divinæ gratiæ, cujus efficaciâ miser homo ad tantam perfectionem eluctari potest.

I. Primum ergo Consilium dedit Christus, quando Matth. 3. dixit Joanni Baptistæ refugienti baptizare ipsum; *Sine modò: Sic enim nos decet implere omnem justitiam.* Quo commendavit Opera Supererogatoria.

II. Secundum est de Octo Beatitudinibus consequendis per heroicos actus certarum virtutum Matth. 5. *Beati pauperes spiritu:* quoniam ipsorum est regnum cœlorum &c.

III. De heroica patientia in injurijs corporis: *Si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe illi & alteram.* Matt. 5. v. 39.

IV. De rebus temporalibus non multum defendendis: *Qui vult tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere; dimitte ei & pallium.* Ib. v. 40.

V. De Societate præstanda ad consolandum, vel aliter juvandum proximum: *Quicunque te angariaverit mille passus, vade cum illo & alia duo.* Ib v. 41.

VI. De facilè exaudienda petitione honesta proximi, & ablatis contentiosè non repetendis. *Omni petenti te tribue: & qui aufert, quæ tua sunt, ne repetas.* Luc. 6.

VII. De imitandis Perfectionibus Divinis: *Estote vos perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est.* Matt. 5.

VIII. De relinquendis etiam bonis operibus propter meliora? *Sequere me; & dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* Matt. 8.

IX. De titulis speciosis non curandis: *Vos autem nolite vocari Rabbi. Unus enim est Magister vester: omnes autem vos fratres estis.* Matt. 23.

X. De non adhærendo nimiùm alicui propter victum & alia corporis commoda. *Et Patrem nolite vocare vobis super terram. Unus est enim Pater vester, qui in cœlis est.* Ibid.

XI. De prælatione fugienda, & studio humilitatis. *Qui major est vestrûm, erit Minister vester.* Ibid.

XII. De assiduitate Orationis: *Oportet semper orare, & nunquam deficere.* Luc. 18.

XIII. De Studio Castitatis perpetuæ: *Sunt Eunuchi, qui se castraverunt propter regnum cœlorum. Qui potest capere, capiat.* Matt. 19.

XIV. De studio Virginitatis perpetuæ, datum Consilium per Apostolum: *De Virginibus præceptum Domini non habeo. Consilium autem do, tanquam miseri-*

misericordiam consecutus à Domino, ut sim fidelis. Existimo ergò hoc bonum esse propter instantem necessitatem: quoniam bonum est homini, sic esse. 1. Cor. 7.

XV. De voluntaria Paupertate: *Si vis perfectus esse; vade, vende, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo; & veni, sequere me.* Matt. 19.

XVI. De studio Contemplationis. *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Luc. 10.

XVII. De morte oppetenda pro proximo: *Majorem hac dilectionem nemo habet; ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Joan. 15.

XVIII. Mutuum dare non tantùm gratis, sed nec donum aliquod desiderando: *Mutuum date, nihil inde sperantes.* Luc. 6.

XIX. Pro inimicis orandum, eisq; benefaciendum. *Benefacite his, qui oderunt vos: & orate pro persequentibus & calumniantibus vos.* Matt. 5.

XX. De temporalibus bonis propter Christum relinquendis. *Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, &c. propter nomen meum: centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Matt. 19.

Ecce quæ Consilia, quas Leges directivas ad absolutissimam sanctitatem obtinendam nobis reliquit noster Magni Consilij Angelus. Hæret quidem fragilitas humana, perterrita tantæ perfectionis altitudine, & imbecillitatis suæ conscia: sed ea est hujus Legislatoris tum Sapientia, tum Potentia, tum gratiosissima Voluntas (qualis in nullo humanorum legislatorum vel consiliariorum reperiri potest): ut non solùm suggerat consilium, sed etiam præbeat efficax auxilium ad executionem. Neminem obligat sub amissione gratiæ suæ, aut alia pœna ad implenda prædicta Consilia: si quis tamen ijs morem gesserit amore Dei & studio amplioris gloriæ ejus: in delicijs ipsi erit, & inter Heroes ejus computabitur. Placet hic honor? Adhæc qui implendis hujusmodi consilijs addictus fuerit: utique non violabit præcepta? Et sic Gratiæ Domini & salutis suæ securus erit.

FERIA II.

MEDITATIO: *De Sacramento Baptismi à Christo instituto* Matt. 28.

1. ADora DEUM O.M. & considera: quâ charitate post resurrectionem Christi aperuerit generi humano admirabile lavacrum regenerationis. *Euntes ergò docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs S.* Matt. 28. Conciderarmus irreparabili clade, duplicis mortis victimæ: cùm ecce misericors DEUS, qui non vult mortem peccatoris, ex aqua & sanguine Filij sui confecit nobis vitale lavacrum, in quo velut pisciculi regeneraremur in vitam æternam, partu tam felici, quàm facili. Vide; quàm

de; quàm acre & arduûm fuerit in veteri lege remedium circumcisionis contra mortem originalem: nobis datum est renasci sine dolore, ac penè sine sensu: idemq; est regenerari, & lavari. Tam studiosus est vitæ, munditiei & ornatûs animarum nostrarum, Opt. Max. DEUS: nos quàm incurij!

2. ADora D. JESUM, & considera: quid & quantum contulerit ipse ad vivificum Baptismi lavacrum. Initio nascentis mundi poterant aquæ fœcundari hoc ipso ad producendos pisces & volatilia, quòd Spiritus Domini ferebatur super illas. Gen. 1. Verùm ad regenerandos homines & mundandos à peccatis, sanguine opus erat Filij DEI vivi. Non dubitavit illum liberalissimè fundere Gratiosissimus JESUS: *Dilexit nos, & lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo*. Apoc. 1. 5. Nec semel tantùm lavit; lavat continuò: ideóq; omnem planè divinum sanguinem suum contulit in lavacrum; voluitq; tam promptum nobis esse usum sanguinis sui, quàm facilis & promptus est usus aquæ elementaris. Nos piget vel guttam sudoris, ne dicam sanguinis, fundere pro gloria ipsius. Delectat volutabrum luti; & sordidi amamus sordescere adhuc. Parce, Gratiosissime Salvator. Anima Christi sanctifica me; ut puro corde amem Te, JESU mi pretiosissime.

3. VEnerare DEIPARAM V. & considera: quid contulerit & ipsa ad lavacrum regenerationis nostræ. Contulit 1. purissimum sanguinem suum ad formandum & nutriendum divinum Corpus Christi. Contulit 2. lac virgineum convertendum in sanguinem Christi. Contulit 3. lacrymas, non salsas modò, sed sanguineas, ut quidam censent, in Passione Filij; quibus non solùm mortem Christi, verùm & peccata nostra, mortis causam, deflebat; ac misericordiam, atque remedia necessaria illis expiandis poscebat. Gratias tibi immortales, ô Domina, pro tam pretiosa symbola. Ampliùs, ampliùs lava me ab iniquitate mea, Filij tui sanguine divino; & aperi mihi, quem illi affundam fontem lacrymarum.

Propositum; *decenter & reverenter utendi SS. Sacramentis.*

LECTIO PRACTICA.

Quantùm debeamus Christo pro institutione SS. Sacramentorum.

PLacuit Sapientiæ incarnatæ Legem Gratiæ à se conditam communire sigillis septem, sed apertis. Placuit in Ecclesia sua septem excidere columnas; Proverb. 9. nullâ tempestate convellendas: erigere candelabra septem aurea & ardentia charitate, quæ nunquam extinguerentur: accendere in dextera sua stellas septem, Apoc. 1. quæ dies noctesq; nobis lucerent. Sacramenta nimirùm septem placuit in usus tum infidelium, ut Baptismum; tum potissimùm fidelium, ut reliqua, instituere, tanquam largissimos

& indeficientes gratiarum fontes. Per illa enim, ut docet Tridentinum Seff. 7. *Omnis vera justitia vel incipit, vel augetur, vel amissa recuperatur.* Ad lavandos igitur inquinatos, præsertim originali labe, & adhærentibus ei sordibus: instituit Lavacrum Baptismi, quàm opportunum & obvium, tam necessarium: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non potest introire in Regnum Dei.* Joan. 3. Ita nimirùm mundat hoc balneum, ut simul novam quandam speciem, vitamq; conferat: faciendo ex inimicis amicos DEI, ex filijs hominum filios DEI, ex ranis pisciculos, salientes in vitam æternam. Illud autem inprimis cavendum regeneratis: ut Character, quo in eodem lavacro signati sumus, non sit nobis in tesseram majoris damnationis, si mors nos deprehenderit reversos ad volutabrum luti. Ad roborandos in suscepta Fide regeneratos ex aqua & Spiritu S. providit nobis Benignitas Salvatoris nostri Dei *Sacramentum Confirmationis*, quo per unctionem S. Chrysmatis, & impressum fronti signum S. Crucis, signaculo quodam indelebili initiaremur fideli illius fortiq; confessioni & cultui, contra omnes visibilium & invisibilium hostium dolos & insultus. Ut verò non solùm viveremus vitâ quâdam spirituali & divinâ: sed etiam nutriremur, cresceremus, & mortem non gustaremus in æternum: providit nobis Gratiosissimus Salvator Panem de cœlo vivum, habentem in se omne delectamentum saporis, Panem fortium & divinum, Sacramentum scilicet Eucharisticum: in quo divitias & delicias sui erga homines amoris velut effudit, memoriamq; fecit suorum mirabilium Misericors & Miserator Dominus. Nec in nutrimentum duntaxat animarum nobis obtulit divinum hoc epulum Corporis & Sanguinis sui: verùm & in pharmacum. Ipso enim, ut loquitur S. Thomas Opusc 7. *purgantur peccata, virtutes augentur, & mens omnium spiritualium charismatum abundantiâ impinguatur.* Insuper idem Sacramentum ordinavit in Sacrificium: ut haberemus in promptu hostiam immaculatam, hostiam sanctam ac DEO dignam; quam in latreuticum ejus cultum, in propitiationem pro peccatis nostris, in gratiarum actionem pro collatis beneficijs, & necessariarum gratiarum impetrationem, quotidiè possemus offerre. Conscius prætereà fragilitatis humanæ Amator fratrum suorum, ad expiandas facilè noxas quotidianas, imò & facinora offensasq; gravissimas in DEUM commissas, erexit inauditæ Clementiæ tribunal, Sacramentum Pœnitentiæ; illudq; non Angelis, sed hominibus, etiam peccatoribus, commisit: ne rei vererentur accedere eos, quos scirent in eadem secum esse damnatione, vel facilè esse posse. O quàm facilem se hìc exhibet ad condonationem, licèt non septies, aut septuagies septies, sed innumeris offensus criminibus! Supremo quoque mo-

que morientium agoni providè consuluit per institutionem Sacramenti Extremæ Unctionis, quo fideles ex hac vita migraturi, & cum capitalibus hostibus suis, tam validis quàm dolosis, decertaturi, velut athletæ ungerentur ad luctam, & contractarum noxarum reliquiæ eis abstergerentur. Nec passus est Amabilissimus Salvator in Ecclesia sua deesse Ministros specialiter electos à se & vocatos: qui DEO gratissimum offerrent sacrificium in odorem suavitatis; populo autem verba vitæ & suprà indicata ministrarent media salutis. Ut verò tantum munus dignè susciperent, & ritè administrarent; initiari ipsos voluit speciali Ordinis sacri Sacramento, quo & segregarentur à populo, & virtute induti ex alto, in sortem Domini venirent. Denique, ne fidelium suorum propagatio fieret more pecudum, aut à conjunctis ritu solùm civili: Matrimonij instituit Sacramentum; quod & gratiam conferret sanctè supportandi onera conjugalia, & Sacramentum magnum esset in ipso Christo, & ejus Ecclesia. Reliquum est, ut tantis donis non abutamur, sed reverentissimè utamur.

FERIA III.

MEDITATIO: *De cooperatione nostra ad salutem, & observatione præceptorum novæ legis.* Matt. 28.

1. ADora DEUM O. M. & considera: Ipsum quidem plurima & præstantissima nobis paràsse, & obtulisse media ad promovendum salutis nostræ negotium: ad ipsius tamen consummationem requirere ex parte nostra seriam cooperationem. Paravit nobis lavacra Baptismi & Pœnitentiæ ex fontibus Salvatoris: sed addidit monitum per Isaiam cap. 1. *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.* Non vult adultos lavare, ut nutrices solent infantes: sed vult, ut ipsi quoque manum adhibeamus, & nos lavemus. Unde etiam Christus curaturus cœcum à nativitate Joan. 9. non satis habuit malagmate à se confecto linivisse oculos ejus: sed mandavit: *Vade, lava, in natatoria Siloë;* nec priùs curatus est ille, quàm proprijs manibus oculos lavisset. Optat ardentissimè Optimus DEUS ad nos converti: sed requirit insuper; ut & ipsi convertamur ad ipsum: *Convertimini ad me, ait Dominus Deus exercituum, & convertar ad vos.* Zachar. 1. O Benignissime DEUS, quantillum est, quod requiris à me: Parce ignaviæ meæ. Cooperabor deinceps promptiùs gratiæ tuæ.

2. ADora D. JESUM, & considera: etiam ipsum exigere quædam præter fidem in ipsum. Cùm enim in Galilæa post resurrectionem suam apparuisset discipulis, monuissetq;: Euntes ergò docete omnes gentes, bapti-

zantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs S. adjecit; *Docentes eos servare omnia, quæcunq; mandavi vobis.* Matt. 28. Hinc docet Apostolus Rom. 2. *Non enim auditores legis justi sunt apud Deum , sed factores legis justificabuntur.* Recole igitur: quænam sint, quæ Christus servanda mandavit expressiùs, & commendavit diligentiùs: v. g. de charitate erga proximum, non dando scandalo, humilitate exercenda &c. Numquid multa, aut impossibilia sunt, præsertim amanti JESUM & salutem suam? Si mandata servare non potes: quid facies de Consilijs Christi? Amabilissime JESU, amorem tui solùm mihi dona sincerum: & omnia mihi possibilia erunt, non solùm mandata, verùm & consilia tua.

3. VEnerare DEIPARAM V. & considera: quàm prompta sit ad nos juvandos in opere salutis nostræ. Quid enim ardentiùs optat, quàm copiosissimum sanguinis Filij sui fructum, ruinarum cœlestium plenam restaurationem, animarum nostrarum munditiem, ornatum, perfectionem, gloriam æternam? Hæc autem cùm à nobis obtineri non possint, non allaborantibus nobis: prompta adest infirmis servulis Domina, clientibus Patrona, Mater filijs. Proinde sicut oculi ancillæ in manibus Dominæ suæ: ita oculi animæ meæ ad te, ô Domina. Adjuva debilem, excita torpentem.

Propositum *accuratiùs servandi mandata divina.*

LECTIO PRACTICA.

De specialibus novæ legis præceptis.

CUm redivivus Salvator noster disertè præceperit Apostolis Matth. 28. ut baptizatos docerent *servare omnia, quæcunq; mandaverat eis*: necesse est, ut omnia novæ Legis præcepta distinctè cognita habeamus: quæ proinde hîc velut sub unum aspectum conjicio. I. Primum est de Dilectione fraterna. *Mandatum novum do vobis: ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Joan. 13. Est quidem in Lege veteri mandatum de dilectione proximi: sed Christus illo non contentus, vult perfectiorem amorem; ut scilicet Christiani se diligant Christianè; id est, juxta normam dilectionis Christi, qui homines non solùm amavit ut homines, sed ut fratres suos; & licèt ob varias offensas potiùs odium essent meriti, benefaciendum tamen illis censuit, & verbis atq; exemplo docuit. II. De agenda Pœnitentia prædicante Christo: *Pœnitentiam agite. Appropinquavit enim regnum cœlorum.* Matt. 4. III. De Reconciliatione cum proximo offenso non differenda. *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris: quòd frater tuus habet aliquid adversùm te: Relinque ibi munus tuum ad altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo.* Matt. 5. IV. De non scandalizando sed ædificando proximo; *Sic luceat lux vestra coram homini-*

hominibus: ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem, qui in cælis est. Matt. 5. V. De pravis concupiscentijs. *Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam; jam mœchatus est eam in corde suo.* Ibid. VI. De cavendo & amovendo periculo proximo peccandi. *Quòd si oculus tuus dexter scandalizat te: erue eum, & projice abs te.* Ibid. VII. De non dimittenda uxore. *Omnis, qui dimiserit uxorem suam, exceptâ fornicationis causâ, facit eam mœchari: & qui dimissam duxerit, adulterat.* Ibid. VIII. De dilectione inimicorum. *Diligite inimicos vestros: ut sitis filij Patris vestri, qui in cælis est.* Ibid. Non est de consilio, sed præcepto id, sine quo non possumus esse Filij Patris cœlestis. IX. De verbis contumeliosis vitandis. *Qui irascitur fratri suo, reus erit judicio: qui autem dixerit fratri suo Raca; reus erit gehennæ ignis.* Ibid. X. De fugienda vana Gloria. *Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus: ut videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis.* Matt. 6. Et: *Tu autem cùm oraveris, intra in cubiculum tuum* &c. Ibid. XI. De oratione garrula & non attenta. *Orantes nolite multum loqui, sicut Ethnici.* Ibid. *Sic ergo vos orabitis: Pater noster, qui es in cælis* &c. XII. De non congerendis avidè opibus terrenis. *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra* &c. Matt. 6. XIII. DEO, non avaritiæ, serviendum. *Non potestis Deo servire & mammonæ.* Ibid. XIV. De nimia solicitudine circa necessaria corpori. *Ne soliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis: neq; corpori vestro, quid induamini.* Ibid. XV. Prima cura sit de bonis spiritualibus. *Quærite ergò primùm regnum Dei, & justitiam ejus: & hæc omnia adjicientur vobis.* Ibid. XVI. De fugiendis Judicijs temerarijs & privata authoritate. *Nolite judicare, ut non judicemini.* Matth. 7. XVII. De rebus & doctrinis sacris non temerè spargendis. *Nolite sanctum dare canibus: neq; mittatis margaritas ante porcos.* Ibid. XVIII. De fugienda via lata & morum dissolutione. *Intrate per angustam portam: quia lata porta & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem.* Ibid. XIX. De cavendis peccatis in Spiritum S. *Qui dixerit contra Spiritum S. non remittetur ei, neq; in hoc sæculo, neq; in futuro.* Matt. 12. XX. De verbis otiosis cavendis. *Omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicij.* Ibid. XXI. Humilis innocentia seu simplicitas, necessaria. *Nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli: non intrabitis in regnum cælorum.* Matt. 18. XXI. De correctione fraterna privata. *Si peccaverit in te frater tuus: vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum.* Ibid. *Si non audierit: adhibe tecum adhuc unum vel duos. Quod si non audierit eos: dic Ecclesiæ.* &c. Ibid. En, quàm sancta & necessaria Præcepta Suavissimi JESU. Videamus: quo loco sint apud nos. *Qui habet mandata mea, & servat ea: ille est, qui diligit me.* Joan. 14. *Qui dicit: se nôsse eum, & mandata ejus non custodit, mendax est.* 1. Joan. 2.

FERIA

MEDITATIO: *De Apostolis à Christo ad prædicandum missis.* Joan. 20.

1. ADora DEUM O. M. & considera: eximiæ dilectionis ejus argumentum esse, si cui negotium valde arduum committat ad augmentum gloriæ suæ. Sic Officium Præcursoris, & arduum munus convertendi prava in directa, & aspera in vias planas, non alteri, quàm gratiosissimo sibi Joanni commisit. Deniq; negotium Redemptionis nostræ inter ardua omnia maximum soli Unigenito suo, sibi infinitè dilecto, credidit; imò tunc eum dilexit maximè, quando eum ad ærumnas, labores & dolores, mortemq; infamem expedivit. O si & me eo dignareris amore & honore, Optime DEUS; ut servus inutilis eximium aliquid præstem pro tua gloria, non laborum & sudoris tantùm, sed sanguinis impendio!

2. ADora D. JESUM, & considera: quomodo charissimam sibi Apostolorum coronam expedierit post resurrectionem suam ad prædicandum: *sicut misit me Pater*, inquit, *& ego mitto vos*. Joan. 20. Me misit Pater non ad gaudia & otia, sed ad labores & pericula pro hominum salute: & ego mitto vos. Eandem formam tenere vos volo, & eandem terere viam in missionibus vestris, quam tenui in mea. Nos quò, quove modò, ad quid mitti optamus? Parce, Benignissime JESU, pusillanimitati & pravitati meæ. Præstò jam sum; mitte, per Superiores & Prælatos meos, quò & quo modo vis. Ibo.

3. VEnerare DEIPARAM V. & considera: quòd & ipsi, tanquam summè dilectæ, commiserit DEUS munus valde arduum Matris DEI. Erat id quidem eminentissimum & splendidissimum; carebat omni pudoris jacturâ, parturientium & parientium molestijs: sed adjunctas habebat innumeras ærumnas paupertatis, periculorum, & continuorum per omnem vitam, ac potissimùm in Passione Filij, dolorum. Quid nos? Ignavi aut delicatuli, nihil arduum pro DEO, Christo & Matre ejus, aggredi audebimus? Argumentum id est; nos & parum diligi, & parum diligere. Erige, accende abjectas animas, ô Domina.

Propositum *de tolerandis molestijs in promovenda gloria Dei.*

LECTIO PRACTICA.

Operarij Evangelici quo se sustentare debent in adversis.

PRæsentissimum & solidum solatium est; si Cruces sibi occurrentes intueantur ut manifestam non vulgaris divinæ dilectionis tesseram. Id enim insinuavit Christus, quando dixit discipulis: *sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Id est, ut explicat S. Gregorius: *Eâ charitate vos diligo, cùm inter scandala persecutorum vos mitto, quâ me charitate Pater diligit, quem venire ad*

nire ad tolerandas passiones fecit. De quodam magnæ virtutis Episcopo, adversis insigniter exercito, dixit Dominus S. Brigittæ: *Propterea quia amicus meus est, & eum intimè diligo: ideo quasi amico laboriosiùs onus impono.* Revel. extr. c. 85. B. Baptistæ Veranæ disertè denunciavit Christus: *Recordare: majus me tibi ostendisse signum amoris, dum te afflixi; quàm cùm te tenerem arctissimè in dulcissimis brachijs meis. Magnum beneficium est, non peccare; majus, posse benefacere; maximum & in superlativo gradu, pati malum.* Chronic. Francisc. 4. p. tom. 2. l. 7. c. 24. Valde hanc gratiam extollit S. Chrysostomus tanquam beneficium ex majore DEI amore profectum, quàm si donum miraculorum concederet: *Quando Deus,* inquit, *dat alicuj; ut mortuos suscitet; minus dat, quàm cùm dat donum patiendi. Pro miraculis enim debitor sum Deo: at pro patientia debitorem habeo Christum. O rem admirandam! Et donat mihi, & super hoc debet ipse mihi!* Vulgi opinio est: eos Sanctos esse DEO chariores, qui majore miraculorum virtute ab ipso sunt donati; sed refutat eam S. Laurentius Justin. de patient. cap. 2. & cap. 5. Fascic. amor. dicens: *signis & miraculis majorem esse patientiam, non dubitemus. Ista enim minimè efficiunt hominem sanctum, nec Deo charum; & electis ac reprobis possunt esse communia.* At si quis constituatur in occasionibus crebris multa & gravia patiendi, & Deus illi det donum Patientiæ: hic est, qui ipsi primis in amoribus est. Hoc ipso enim declarat Deus: se ei multas & valde pretiosas parare coronas, & altissimam in cœlo gloriam. Unde meritò dixit S. Catharina Senensis Domino Orat. 9. *Quomodo majorem gratiam possum habere: quàm ut vitam semper ducam in pœnis, & ipsam terminem cum martyrio propter Te?* Dum igitur Operarij Evangelici, præter laboriosum onus prædicandi, & Sacramenta ministrandi, sentiunt irruentes in se à dextris & sinistris adversitates, contradictiones, persecutiones, & Iliadem ærumnarum: non cadant animo: sed velut lacessiti catuli leonum assurgant generosiores, non in ultionem adversariorum, quod etiam feræ solent: sed inprimìs in DEI laudes & amorem, deinde in proximi obsequia, præsertim eorum, à quibus infestantur; qui planè Spiritus Christi est. Non aspiciant adversa, ut injurias ab hominibus malis illatas; sed ut eximia beneficia, & singularis amoris argumenta à DEO ipsis exhibita. Apud Kempensem libr. 3. de Imit. c. 30. loquitur Dominus ad fidelem servum suum: *si rectè sapis, & in veritate aspicis: nunquam debes propter adversa tam dejectè contristari: sed magis gaudere & gratias agere. Imò hoc unicum reputare gaudium, quòd affligens te doloribus non parco tibi. Sicut dilexit me Pater, & ego vos diligo; dixi dilectis discipulis meis: quos utiq; non misi ad gaudia temporalia, sed ad magna certamina; non ad honores, sed ad despectiones; non*

non ad otium, sed ad labores, non ad requiem, sed ad ferendum fructum multum in patientia.

FERIA V.

MEDITATIO: *de Apostolis nomine Fratrum honoratis à Christo.* Matth. 28.

1. ADora DEUM O. M. & considera: quomodo Christum Redemptorem nostrum honoraverit etiam prærogativâ *Primogeniti ex mortuis.* Coloss. 1. seu *Primogeniti mortuorum.* Primus enim ipse in resurrectione sua prodijt ex tumulo, velut ex utero, in vitam immortalem; *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur: mors illi ultra non dominabitur.* Rom. 6. Quorum Sanctorum corpora Matt. 27. dicuntur surrexisse post mortem Christi; ea non surrexisse ante Resurrectionem ipsius, aperte indicat ibidem Evangelista: *Exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus.* Decebat nimirum: ut Victor mortis præcederet ad triumphum, post se trahens spolia inferni, & mortis. Gratias tibi immortales, Magne DEUS, pro eo honore Humanitati Salvatoris mei habito. O si & me referas inter spolia ipsius cœlo illata!

2. ADora D. JESUM & considera: quâ benevolentiâ & honore dignatus sit Apostolos suos, quando statim à resurrectione sua illos nomine Fratrum suorum compellavit *Ite*; dixit sanctis matronis, quibus apparuerat; *nunciate Fratribus meis, ut eant in Galilæam, ibi me videbunt.* Matt. 28. Non solùm nunquam illis exprobravit turpem fugam, aut negationem sui: sed nec mentionem illius fecit unquam; imò fraterno amplexus est miseros affectu, & quantocyus plenum solatij nuncium misit trepidis & afflictis. Imò præ affectûs teneritudine differre usq; in Galilæam non potuit conspectum sui: eodem, quo resurrexit, die spectabilem præsentemq; se ipsis exhibuit Hierosolymæ, & Pacem denunciavit, ac ingeminavit. Joan. 20. Honores gloriosissimæ resurrectionis non mutarunt in Christo mores; ut in nobis solent. Agnosco, mi JESU Gratiosissime, non mutata viscera charitatis tuæ. Dignare me saltem servi fidelis nomine: & spernam vanos mundi titulos.

3. VEnerare DEIPARAM V. & considera: ipsam quoq; nullo unquam, etiam velato, aculeo perstrinxisse Apostolos, quantumvis non unius in Filium noxæ reos. Quin potiùs ipsos delicti pœnitentes, suiq; accusatores maternâ teneritudine solata est, referens omnia in dispositionem divinæ voluntatis: ut olim Joseph Gen. 50. & 45. Ne memineris, ô Domina, etiam mearum Filij tui offensarum, nec levium, nec paucarum. Parce dolenti, & auge dolorem.

Propositum, v. g. *de non perstringendis acriore verbo adversarijs tuis.*

LECTIO PRACTICA.

Non perstringendi ij, qui nos offenderunt, vel offendunt.

Præter

PRæter insignem illam tesseram animi non aversi à discipulis suis malè de se meritis tempore Passionis, sed potiùs benevolentissimi, quam dedit redivivus Dominus, Fratrum charissimorum nomine ipsos honorans; aliud quoq; tempore prædicationis gravissimum exhibuit nobis documentum; quàm mitis, & felle nullo tinctæ, linguæ esse debemus ergainjuriantes nos. Joan. 8. sanitatem doctrinæ suæ contestans Dominus per integritatem vitæ morumq; suorum, dixit Pharisæis: *Quis ex vobis arguet me de peccato? si veritatem dico: quare non creditis mihi? qui ex Deo est, verba Dei audit: & propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Justâ commonitione exacerbati illi, immanem ei impegerunt blasphemiam: *nonne bene dicimus nos: quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes?* At JESUS placidissimè respondit: *Ego dæmonium non habeo: sed honorifico Patrem meum, & vos inhonorâstis me.* Quam Domini divinam mansuetudinem accuratè expendens, & nobis in exemplum proponens, S. Gregorius hom 18. in Evang. ait: Quibus verbis quid aliud, nisi superbia nostra confunditur? quæ si exagitata vel leviter fuerit, atrociores injurias reddit, quàm acceperit; facit mala, quæ potest; minatur, quæ facere non potest. Ecce injuriam suscipiens DEUS non irascitur, non contumeliosa verba respondet. Qui, si eisdem ista dicentibus respondere voluisset; Vos dæmonium habetis: verùm profectò diceret: quia, nisi impleti dæmonio, tam perversa de DEO loqui non possent. Sed acceptâ injuriâ, etiam quod verum erat, dicere veritas noluit: ne non dixisse veritatem, sed provocatus contumeliam reddidisse videretur. Ex qua re quid nobis innuitur: nisi ut eo tempore, quo à proximis ex falsitate contumelias accipimus, eorum etiam vera mala taceamus. Hæc Gregorius; qui post plura concludit ibidem: *nemo ergo se contra acceptas contumelias erigat: nemo convicijs convicium reddat. Imitatione etenim Dei, gloriosius est, injuriam tacendo fugere, quàm respondendo superare. Sed contra hoc superbia dicit in corde: Turpe est, ut acceptâ injuriâ taceas: quisquis conspicit, quia acceptâ contumeliâ, taces; non putat, quia patientiam exhibes, sed crimen agnoscis. Sed unde vox ista in corde nostro contra patientiam nascitur; nisi quia in imis cogitationem fiximus: & dum in terra gloriam quærimus: placere ei, qui nos de cælo conspicit, non curamus? Acceptâ ergo contumeliâ meditemur in opere vocem Dei: Ego non quæro gloriam meam: est, qui quærat & judicet.* Ita S. Pontifex linguas in vindictam prurientes egregiè compescit. Sic fecit & S. Catharina Senensis; quæ, cùm à fœmina, quam alendam & omni obsequiorum genere colendam susceperat, gravissimè & iniquissimè esset infamata, quasi illicitæ voluptati operam dedisset; maledicam fœminam ad cor reversam & deprecantem, tenero strin-

gens amplexu, culpam non solùm ignovit, sed excusavit dicens: *Mater dilectissima, benè agnovi: hæc zizania seminâsse inimicum generis humani; ideò illi, non tibi fui offensa. Imò tibi debeo gratias agere; quòd semen dæmonis converteris in zelum excusatione dignum, tanquam amatrix honestatis & pudicitiæ.* Vitæ lib. 1. cap 17. Ut lingua petulans Universitas est iniquitatis, Jacob. 3. ita lingua modesta Universitas est gratiarum.

FERIA VI.

MEDITATIO. *De Apparitione Christi facta piscantibus discipulis.* Joan. 21.

1. ADora DEUM O. M. & considera: eum subinde paternæ Providentiæ suæ promptuaria occludere, suppeditando parciùs, etiam probis sibiq; charis, quæ corpori sunt necessaria: Inter alias justissimas causas ea est: ut occasionem habeat majoris beneficentiæ. Unde notat S. August. in cap. 21. Joan. eum etiam discipulis Christi, post ejus resurrectionem, immisisse penuriam, quâ cogerentur in piscatum ad mare Tiberiadis; imò totâ nocte laborantibus nullam obtulisse prædam: ut tantò major & spectabilior esset beneficentia Christi, cujus nutu tantam concluserunt grandium piscium multitudinem, ut non sufficerent extrahendo reti. Habet DEUS tempora & causas æquissimas variæ Providentiæ suæ. Sinamus eum nos & nostra gubernare pro majore gloria sua.

2. ADora D. JESUM & considera apparitionem ejus factam Petro & sex ejus socijs piscantibus: Joan. 21. *Manè autem facto stetit Jesus in litore.* Amat & commendat æterna Sapientia tempus matutinum. Mitti jussit *rete in dexteram navigij*: non enim est utilis piscatio ad sinistram fortunæ mundanæ. *Miserunt ergo*: quàmvis nondum agnoscerent Dominum. Non tantùm Superiorum, verùm & æqualium & inferiorum sæpe fructuosè audiuntur consilia. *Et jam non valebant* (rete) *trahere præ multitudine piscium.* Sine JESU inanis labor: cum JESU & à JESU omnis benedictio. Vide affectum Domini erga Petrum & Joannem, qui illo reti piscabantur simul, etiam aliàs conjunctissimi, & erga Dominum confidentiores. Amemus igitur JESUM, confidamus in ipso, laboremus pro ipso: non experiemur parcam ejus manum. Parce Liberalissime JESU diffidentiæ meæ, & laboribus inordinatis.

3. VEnerare DEIPARAM V. & considera: eam esse ingens & famosissimum quoddam Mare Divinitatis: cùm in se concluserit totam immensæ Divinitatis plenitudinem. In hoc mari infinitæ relucent gratiarum margaritæ, virtutum gemmæ, ac potissimùm pretiosissimus ille Unio, quo redempti sumus omnes. Piscabor igitur piâ Meditatione in hoc mari: retia imple, Domina.

Proposi-

Propositum, v. g. *de Studio laboris, non vani, sed fructuosissimi.*

LECTIO PRACTICA.

Quinam fructuosissimè laborant?

UT laborum & laborantium ingens est varietas: ita non idem præmium seu merces. Hi terram, illi mare sulcant; hi pisces, illi homines piscantur; hi servilibus, illi ingenuis; hi corporalibus, illi spiritualibus distinentur laboribus; hi diurnis, illi nocturnis exercentur; alij multum, alij parum, alij lucrantur nihil. Quidam, quod lucrati sunt, paulò pòst perdunt; alij, quod amiserunt, in lucro habent. Omnium hujusmodi operariorum duces, seu Præfecti, sunt Nemrod, Pharao, Samson, Tobias, S. Joseph, & D JESUS.

Sub Nemrod, primo Babyloniorum rege, laborant; qui turrim Babel ædificant, & pro fine habent Vanitatem, lucrantur autem confusionem. Quemadmodum primi illi turris Babel structores, non aliud intenderunt, quàm vanissimam nominis sui gloriam, (*Celebremus nomen nostrum, antequam dividamur in universas terras: faciamus nobis civitatem, & turrim, cujus culmen pertingat ad cœlum.* Gen. 11.) sed ex tota fabrica non aliud reportârunt, quàm confusionem suam; sic etiamnum multi conantur magnis impensis ædificare sibi domos splendidas, magnificas, æternas; familiam propagare perennaturam; jam pacis artibus, jam bellicis laboribus nomen sibi comparare sempiternum &c. Verùm opinione citiùs quemadmodum fumus deficiunt, & evanescunt cum vanis laboribus suis. *Velut somnium surgentium Domine in civitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges.* Psal. 72.

Sub Pharaone, Ægypti rege, urgentibus Avaritiâ & Mamonâ iniquitatis, laborant, qui paleis & luto, opibus terrenis, congerendis die nocteq; intenti sunt. Lucra ipsorum sunt curæ assiduæ, grandes peccatorum acervi, bonorum æternorum cum temporalibus jactura. *Quæ parâsti, cujus erunt?* Luc. 12. *Dives difficile intrabit regnum cœlorum.* Matt. 19.

Sub Samsone laborant, qui amore Dalilæ suæ, carnis propriæ, vincti & excœcati, assiduè versant molam concupiscentiarum suarum, expositi ludibrio & ignominiæ. Lucra istorum sunt fortunarum dispendia, vitæ temporalis imminutio, æternæ jactura, & commensurata voluptati tormenta inferni. *Quantum se glorificavit, & in delicijs fuit: tantum date ei tormentum.* Apoc. 18.

Sub Tobia Seniore laborant; qui honesto manuum, vel ingenij, labore non sibi tantùm, & familiæ suæ laborant: verùm etiam pauperibus, captivis, peregrinis, alijsq; indigentibus. Lucra horum sunt grandia. Nam *fœneratur*

Domino, qui miseretur pauperis, Prov. 19. *Beatus, qui intelligit super egenum & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus.* Psal. 40.

Sub S. Josepho laborant, qui fructus laborum suorum impenduntalendæ alicuj familiæ sacræ, seu Communitati Religiosæ vel Clericali, promoventi ex instituto suo gloriam divinam. Lucra istorum sunt opulentissima. *Benefac justo: & invenies retributionem magnam.* Eccl. 12. *Date & dabitur vobis. Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam & supereffluentem dabunt in sinum vestrum.* Luc. 6.

Sub JESU Magistro, & operarum Præfecto, laborant: quorum assiduus labor est, procurare totis viribus majorem DEI gloriam, & proximorum salutem atq; perfectionem. Lucra horum omnium maxima: quia labor Domino gratiosissimus & pretiosissimus. *Qui fecerit & docuerit: hic magnus vocabitur in regno cœlorum.* Matt. 5. *Pascite, qui in vobis est gregem Dei. Et cùm apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam.* 1. Pet. 5.

Videat jam quisq;: cui laborat, & quam sperare possit mercedem. Miseri! quorum omnis, vel præcipuus labor circa terram occupatur. *Dormierunt enim somnum suum: & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.* Psal. 75.

SABBATO.

MEDITATIO: *De Discipulis piscantibus prandio exceptis à Christo.* Joan. 21.

1. ADora DEUM O. M. & considera: quàm morigeros ad nutum suum habeat pisces maris. Ipso annuente certatim ruunt in retia, & grandiores festinant prævenire turbam minorum: prout factum Joan. 21. ubi omnes illi 153, à Petro capti, pisces erant magni. DEO nolente, nec unico capiendo sufficit ars & industria humana: Ipso volente præstò est, & qui Tobiæ cor præbeat cum jecore, & felle in medicinam, & qui Petro offerat staterem in vectigal. Ipsi ludunt Sirenes, ipsum tremunt balenæ, & Behemoth ipse palpitat ante pedes ejus. Magnus Dominus, & verendus nimis! At nos in aqua baptismatis renati pisces, exleges perambulamus semitas maris, surdi ad consilia, contumaces ad præcepta Domini & Creatoris nostri: lascivire amamus etiam in salsis fluentis vitæ hujus. Parce, DOMINE, non fugiam sagenam tuam ampliùs; trahe me ad litus beatæ immortalitatis.

2. ADora D. JESUM, & considera singularem ejus benevolentiam erga piscantes Joan. 21. discipulos. Non solùm consilio & largissimâ benedictione ipsis adfuit; verùm & rete integrum servavit; ut accuratè notavit

notavit Evangelista: *Et cùm tanti essent*, capti pisces, *non est scissum rete.* Sic prodigij instar est; si multi magnæ authoritatis & ingenij homines sint in aliqua communitate, & quieti vivant, nec scissiones faciant. Deinde laborantibus discipulis refectionem paravit maturè, Benignissimus Dominus, assando super prunas piscem, panem suppeditando, ac humanissimè invitando: *Venite, prandete.* Quin ipse suis manibus *accipit panem, & dat eis; & piscem similiter.* Præcipuum appositorum ciborum condimentum est humanitas & comitas apponentis. Hanc doce me, Gratiosissime JESU.

3. VEnerare DEIparam V. & considera eximiam ejus benevolentiam & singularem propensionem erga viros Apostolicos, piscatores hominũ. Cùm enim perspectissimum habeat: æterno Patri non aliud obsoniorum genus, ut ita loquamur, accidere gratius, quàm si rationales pisciculi, in fluminibus Babylonis luxuriantes, capiantur, & ad gustum ejus condiantur: ipsa, tanquam prudentior Rebecca, tenerrimè afficitur ijs, qui sibi captos hujusmodi pisciculos offerunt, divinæ mensæ apponendos. Obtulisti multos? Diligentior esto in hac piscatura. Benedic, ô Domina, hamo & reti meo.

Propositum, v. g. *de majore benevolentia erga operarios, præsertim spirituales.*

LECTIO PRACTICA.

De Frugalitate in victu adhibenda.

ORbe toto pervulgatum est: *Multa fercula multos morbos fecisse.* Verùm & unicum ferculum immoderatè sumptum, fuisse fatale: constat. Frugalitatem & Abstinentiam, ut matrem sanitatis semper suspexit non solùm Medicorum, sed etiam Christianorum Schola. *Mater sanitatis est Abstinentia, mater ægritudinis voluptas*, inquit S. Hieronymus in epist: Didicimus hunc aphorismum ab incarnata Sapientia CHRISTO: qui eum tradidit tum alijs occasionibus, tum quando piscantibus discipulis post resurrectionem suam prandium exhibuit. Promptuarium opulentissimum erant manus ejus divinæ, è quibus non minùs facilè, quàm copiosè suppeditare poterat quævis altilium genera. Verùm ut olim in deserto quinq; hominum millibus non nisi panes apposuit & pisces: sic piscantibus fessisq; discipulis non aliud exhibuit obsonium, quàm panem & piscem; eumq; unicum discipulis septem; nec specioso pretiosoq; jusculo elixum, sed super prunas assum obtulit.

Magistri sui sententiam & praxim secuti Christiani, annis & meritis gravem vixerunt vitam; nec pauci, quàmvis tenui tantùm salino & olere solarentur famem, non minùs succulento florenteq; apparuerunt vultu, quàm olim Daniel cum socijs suis. S. Franciscus de Paula, quàmvis ob annonæ tenuitatem vilitatemq;, aliasq; corporis macerationes, vix ossibus hæreret:

vultu tamen tam pleno vividoq; conſpiciebatur: ac ſi Magnatum menſâ liberaliter uteretur. Idem apparuit in Juvene religioſo: quem, tanquam cognatum ſuum, cùm inviſiſſet Epiſcopus Beluacenſis, deprehendiſſetq; longè ſaniorem & formoſiorem in clauſtro, quàm fuerat in ſæculo: ejus rei cauſam quæſivit. Prudens juvenis reſpondit: Quia uniformiter vivo, & decenter. De quorum primo habeo, ut ſanus ſim; de ſecundo, ut ſim pulchrior. In ſæculo vivebam tam deformiter, quàm multiformiter: de quorum primo turpitudo naſcitur etiam corporalis; de ſecundo ægritudo. Perrexit Epiſcopus quærere: Quid ergo comediſti hodie? Heri, inquiebat, comedi piſa & olera: hodie verò olera & piſa: cras autem comedam piſa cum oleribus; pòſt olera cum piſis. Vide ergo, ait Author Spec. Exempl. tit. Abſtinentia. Exemp. 7. quàm pulchro circuitu eandem ſententiam circumduxit: ut varijs modis oſtenderet; eâdem ſe ſemper diætâ uti, quæ præſtat corpori & ſanitatem, & pulchritudinem.

De Aſella quoq; Virgine Sancta ſcribit S. Hieronymus epiſt. 15. quòd, quàmvis ſeveriſſimis jejunijs corpuſculum lautè educatum domaret; ad quinquagenariam tamen pervenerit ætatem inoffensâ valetudine: ut nec ſtomachus doleret, nec viſcerum cruciaretur injuriâ; non ſicca humus, in qua jacebat, tenera membra conficeret, non ſacco aſperata cutis fœtorem ſitumq; contraheret; ſed ſana corpore, animo ſanior, ſolitudinem putaret delicias, & in urbe turbida eremum inveniret Monachorum.

Ne verò exiſtimemus: effectus hujuſmodi non victui frugali, ſed prodigioſæ virtuti divinæ eſſe adſcribendos; juvat gentilium obſervare monita & exempla. Hippocrates, Medicorum Princeps, ad annos 140 vitam commodè cùm produxiſſet; rogatus cauſam, reſpondit: Quia nunquam ſatur à menſa ſurrexi. In eundem finem, optato ſucceſſu, alius Medicorum dux Galenus, decimo quoq; die jejunium ſibi indicebat. Galenus quoq;, Trajani & Antonini Imperatorum Archiater interrogatus: quomodo ad tantam ſenectutem perveniſſet (ſunt enim, qui ſcribant, eum ad 140 annos pertigiſſe) Hippocraticum illud pro reſponſo dedit. Nunquam ſatur à menſa diſceſſi; nunquam ſic me effudi in cibum & potum; quin aliquod ſemper ſuperfuerit edendi bibendiq; deſiderium.

Sed certius habemus Divinum Oraculum: *Qui abſtinens eſt, adjiciet vitam.* Eccl. 37. *Excipite igitur malè valentes ſanitatis matrem: qui bonâ eſtis valetudine, excipite bonæ valetudinis cuſtodem:* monet S. Hieronymus in ep.

DOMI-

MEDITATIO: *Petro Universalis Pastoris munus confertur non obstante trina negatione.* Joan. 21.

1. ADora DEUM O. M. & considera admirandam ejus clementiam & benignitatem, qua non solùm peccatis dimissis, seriò pœnitentes recipit in gratiam & sortem filiorum, & opera eorum bona per virus peccati mortificata, reviviscere facit ad remunerationem: sed etiam amplissimis & splendidissimis commissis officijs honorat. Quàm graviter peccavit in Dominum & DEUM suum Petrus triplici negatione, imò detestatione, perjurio & anathematismo? At seria pœnitentia & pristinæ illum restituit gratiæ, & summo cumulavit honore: ut non videretur indignus, cui summa committeretur potestas in terris cum clavibus cœli. O inauditam facilitatem! ô inæstimabilem Bonitatem offensi DEI! Tam facilè placaris, ô Domine; tam profusus in seriò pœnitentes: ut lucrum non rarò videatur, peccasse; cum crebrò meliore loco sint apud te pœnitentes, quàm innocentes. Pœnitentiam ergo pœnitentiam peccatores!

2 ADora D. JESUM & considera: qua charitate & solemnitate crearerit Petrum Supremum Pastorem, suumq; in terris Vicarium. Recreavit illum inprìmis insperatâ capturâ numerosorum & grandium piscium; quæ præsignabat copiam & dignitatem fidelium ejus & successorū prædicatione convertendorum. Deinde miraculosè apparato, & humanissimè oblato prandio illum cum socijs refecit. Demum *cùm prandissent*, commisit ei pascendos primùm agnos, seu populum fidelem; deinde ipsas quoq; oves Christi, seu Prælatos: *Pasce Agnos meos: pasce Oves meas.* Quid jam desperemus apud JESUM peccatores, qui sic honorat pœnitentem charitatem? Doleo, Domine super omnia de offensis in te commissis: quia te æstimo & amo super omnia. O mihi sit unica mortalis vitæ occupatio; dolere & amare!

3. VEnerare DEIparam V. & considera: ipsi quoq;, tanquam Matrī viventium omnium, tanquam magnæ Matrifamilias in domo Christi, commissam esse curam gregis Dominici, ac præcipuè hœdorum, seu peccatorum, malè olentium instar hircorum ob putridam conscientiam. Ad ipsam enim etiam pertinere videtur illud Cantic. 1. v. 7. *Si ignoras te, ô pulcherrima inter mulieres: egredere & abi post vestigia gregum tuorum, & pasce hœdos tuos, juxta tabernacula pastorum*; juncta scilicet curâ cum Apostolis, & successoribus eorum. O quot hœdorum millia incidissent in fauces luporum infernalium, nisi MARIA intervenisset! Continua, ô Gratiosissima, præsertim circa me, hanc curam tuam.

 Propo-

Propositum v. g. de studio seriæ pœnitentiæ.

LECTIO PRACTICA.

Seriò pœnitentes singularibus gratijs ornat & honorat DEUS.

ILlustre hujus rei exemplum dedit Dominus in S. Petro Apostolorum Principe: ut sup: in Meditatione. Dedit plura alia & alijs: ut tantò magis alliceret peccatores ad exercendam pœnitentiam, & divitias bonitatis suæ infinitæ orbi explicaret luculentiùs. Unde S. Gregorius cap. 2. Pastor: non dubitavit affirmare: *Fit plerumq; gratior DEO amore ardens vita post culpam, quàm in securitate torpens innocentia.*

Mulierem, famosam in civitate peccatricem, recolamus Mariam Magdal: quæ æstu amantis pœnitentiæ non solùm delictorum obtinuit remissionem: sed ita cor Domini rapuit; ut & Patronum se ei exhibuerit contra Pharisæi discipulorumq; murmura; atq; sororis querelas; & encomium ejus spargi voluerit unà cum Evangelio suo per orbem universum; & optimam partem Christianæ perfectionis ipsi adjudicârit; & ipsi ante omnes alios, post Matrem se se exhibuerit redivivum; deniq; in Massiliensi eremo frequentissimè spectandum se ei obtulerit, septies autem singulis diebus Angelorum musicâ, & liquidissimis cœli voluptatibus recreârit per omnem vitam: Felix peccatrix: quæ nisi peccasset, minùs gloriosa apparuisset! Thaidi quoq; peccatrici Alexandrinæ, quàm splendidum & pretiosum in cœlo thalamum excitavit stravitq; seria, & amore plena Pœnitentia? Alia, cùm post turpem lapsum ad agendam pœnitentiam secessisset ad Nosocomium, ac per annos triginta mirabili submissione & charitate servivisset pauperibus; revelavit cuidam de ipsa DEUS: se magis nunc delectari hac ejus pœnitentia, quàm virginitate ante lapsum. *Petrus Sanch. p. 4. cap. 7.*

Filius prodigus Luc: 15. quàm brevi oratione movit cor Patris? Vix cor contritum aperuit: *Pater peccavi in cœlum & coram te: & non sum dignus vocari filius tuus; fac me sicut unum de mercenarijs tuis*; & ecce accurrit ætate gravis & gravissimè læsus pater, irruit super collum, oblitus dilapidati patrimonij, & fœdissimæ labis aspersæ domui suæ; nec solùm dat veniam, sed jubet citò proferri stolam primam, à capite ad calcem vestit nudum, annulum pretiosum inserit digito, & totus inter lacrymas & oscula liquescit: deniq; gaudia sua partiens cum amicis, lautum, & musicorum choris lætum apparat convivium, usq; ad invidiam & indignationem filij majoris. Quid ampliùs sperare potuit innocentia: quod experta non sit humilis pœnitentia?

Renovavit Patri æterno hoc cordis gaudium, & simile in se ornandum hono-

honorandumq; provocavit studium Philippus Comes Namurcensis. Post vitam enim inter innumera flagitia transactam, tam amaram plenamq; dolore concepit in morte contritionem; ut circumstantes ad uberes cogeret lacrymas. Confessarios suos rogavit: ut corpus ejici aulâ curarent, & raptari per plateam, dicendo: sicut canis vixi: æquum est, ut moriar sicut canis. Quæ pœnitentia adeò placuit DEO: ut eum post mortem multis miraculis fecerit illustrem; & de longinquis regionibus venientes peregrini ad sepulchrum ejus, terram secum pro benedictione auferrent, & variorum, qui ea curabantur, morborum remedio. *Cæsarius lib. 2.*

Nimirum non Vinum tantùm Angelorum sunt lacrymæ pœnitentis; sed confectio sunt ungventi nardi pistici pretiosi, quod ex fracto cordis jam mundi alabastro effusum, non solùm in pedum, sed etiam capitis sui unctionem, libens gaudensq; admittit Dominus. Pulvis contriti cordis vivis Charitatis sinceræ carbonibus inspersus, ut pretiosissimum thymiama, vix ascendit in odorem suavitatis Domino: & mox descendit super nos copiosissima ejus miseratio. *Humilis peccatorum contritio acceptabile tibi, Domine, est sacrificium, longè suavius fragrans in conspectu tuo, quàm thuris incensum*: inquit Kempensis lib. 3. de Imit: cap. 52. *O Pœnitentia misericordiæ Mater & Magistra virtutum*, exclamat Chrysostomus serm: de Pœn: *magna opera tua*: *quibus nos resolvis, ac reficis delinquentes, lapsos relevas, recreas desperatos. Per te subitò rapuit latronem Christus ad regnum*: *per te David post flagitium, felix iterum recepit Spiritum S.* Tu nos insinua cordi Christi, & cordi nostro insere Christum: ut non magis placeat vivere, quàm de ipso offenso dolere.

FERIA II.

MEDITATIO: *De dispositionibus à CHRISTO requisitis ad munus Pastorale.* Joan. 21.

1. ADora DEUM O. M. & considera: ipsum communiter non dispensare insigniora munera absq; personarum delectu, & congruis quibusdam dispositionibus moralibus ex parte illarum. Sic Moysen egregiè excultum in aula Pharaonis per annos circiter 40, per alios 40 annos voluit agere vitam pastoritiam in terra Madian, & humilitate, patientiâ atq; divinorum contemplatione disponere se ad munus Ducis supremi populi sui. Davidem quoq;, Joannem Bapt: aliosq; similiter erudivit & exercuit. Defectu autem congruæ dispositionis repudiavit fratres Davidis: & incredulitatem civium Nazarenorum subtraxit illis, licèt patriotis suis, operationem miraculorum, quæ patrabat alibi. Tu nosti, ô Domine, imperfectum meū: quod

quòd nec disponere me possim ad ullum supernaturale donum sine gratia tua. Da, quod requiris: & fac virum secundùm cor tuum.

2. ADora D. JESUM & considera: eum, dum Petro committeret munus summi Pastoris, satis apertè indicasse; quas requirat dispositiones officium curæ Pastoralis: 1. Eximiam erga DEUM & proximum charitatem; ut patet ex trina quæstione *Simon Joannis diligis me?* Et quidem *plus his?* 2. Obedientiam; Compellavit enim eum nomine *Simonis*, quod significat obedientē. Non enim aptus est gubernationi, qui parere non didicit, præsertim DEO. 3. Statū gratiæ. Unde non dixit Dominꝰ solùm: Simon diligis me: sed *Simon Joannis*; quod nomen gratiam sonat & gratiosum. 4. Zelū singularē pro Domino & ejus honore. Non enim summū illud munus commisit discipulo, qui prior ipsum agnovit in litore, quàmvis aliàs charissimo; sed ferventiori & zelosiori, qui in mare ex navi se demisit, ut quantocyus accurrens veneraretur Dominum. At mihi omnia hæc desunt, Benignissimè JESU: & tamen placuit tibi, & me vocare in partem curæ circa gregem tuum. Non pastorem, sed mercenarium ignavum & infidum agam, nisi tu gratiâ tuâ sub[v]eneris.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: quòd quàmvis usq; ad legationem Archangeli ignoraverit, se ab æterno electam esse in Matrē DEI; nec ullo desiderio aspiraverit ad obtinendum fastigium illud honoris: ita se tamen gessit, tam accuratè & strenuè cooperata est omnibus gratijs divinis; ut præ omnibus eligi mereretur; Sponsusq; divinus eam suspiceret, prædicaretq; ut objectum unicè dignum oculis suis & corde. *Una est columba mea, Perfecta mea: Pulchra ut luna, Electa ut sol.* Cant. 6. Gaudeo, ô Dignissima, de hac inæstimabili felicitate tua: quòd non solùm sis, sed fieri merueris, Mater DEI. Nos fatui filij Adæ præmia volumus sine merito, mercedem sine labore, coronam sine pugna.

Propositum v. g. de fugiendo peccato N. ne te indigniorem reddas specialibus donis divinis.

LECTIO PRACTICA.

De Vocatione ad statum Spiritualem, præsertim Pastoralem.

INgens est copia eorum, qui anhelant ad statum Spiritualem: sed pauci rite perveniunt ad illum. *Quis jam ea intentione gradus Ecclesiasticos, & ministeria sanctuarij quærit; ut sine cura sæculi, in sanctimonia cordis & corporis, illuminandus accedat ad Dominum, & suam pariter ac proximorum salutem operetur?* quærit S. Bernardus super Ecce nos reliquimus omnia. Multos eò trahunt commoda propria: ut scilicet honestè & commodè vivere possint:

quod in statu singulari ob tenuitatem suæ conditionis, & talentorum naturaliũ, habere non possent. Qui illustriore loco nati sunt; non pauci eo illicio ducuntur ad statũ spirituale: ut vel declinent status conjugalis, incommoda, vel à Prælaturis Ecclesiasticis illustrentur magis & faciliùs; vel, ne paternæ domus fortunæ, non amplissimæ, divisæ inter plures, attenuent patrimoniũ, adeòq; ægrè suppetant, aut non suppetant, media vivendi pro honore familiæ & suo. Quibusdam tam pingvis & dulcis videtur Panis Christi: ut etiã religiosæ disciplinæ se submittere non recusent; modò ipso frui possint. Omnes tamen prætendunt studium Gloriæ divinæ, atq; salutis suæ: & quod ultimum & secundarium est in intentione, primum jactant & primarium in sermone. Statum spiritualem appetunt, sive apti, sive inepti: quia, ut jam olim notavit Apostolus, Quæ sua sunt, qrærunt; non quæ JESU Christi.

Quanta hinc tum privata, tum publica oriantur; & longè lateq; se diffundant, damna: quis satis explicet? Manifestum est, quàm funestas clades Ecclesia accipiat ab ijs, qui non vocati in ejus sacrarium irrumpunt, & quodammodo Spiritus Sancti gratiæ vim inferunt! Inde, ut plurimum, prodeunt hæreses, emergunt scandala, subsequuntur strages animarum, detrimenta divini cultus, & alia mala innumera (ut notat Ludovicus Abelly Episcopus Ruthenensis in suo Sacerdote Christiano cap. 2.) cum æterna perditione eorum, quos amor proprius intrusit in coronam Spiritualium.

Aspirantem igitur ad statum spiritualem perdiligenter & ante omnia alia, attendere oportet ad id, quod Apostolus ad Hebræos 5. ait de ijs, qui rite accenseri volunt legitimis Ecclesiæ Ministris: *Nullus sumit sibi honorem*, in Ecclesia Christi; *sed qui vocatur à DEO tanquam Aaron.* Sic Christus ipse non alios habuit Apostolos & discipulos, nisi quos ipse sibi elegit, & vocavit. *Vocavit* autem *ad se quos voluit*, inquit S. Marcus c. 3. non qui se ipsos ingerebant: ut scriba ille Matt. 8. 19. Unde Joan. 15. disertè illis dixit: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos; & posui vos, ut fructum afferatis*; non amicis vel cognatis vestris, sed mihi, & Patri meo.

Defectus hujus divinæ vocationis origo est omnium, quæ malè assumptum statum spiritualem comitantur vel sequuntur, malorum. Cùm enim hic status sit admodum sublimis, atq; ut dicit Concilium Trident: Sess. 23. *Divina res sit Sacerdotij ministerium*: multas magnasq; requirit gratias divinas, ut quis in eo vivat, quemadmodum oportet, & optatos Domino fructus ferat. Jam verò quomodo hujusmodi gratias sperare potest is, qui contra Concilij dispositioně irrepsit vel irrupit in statũ spiritualem, & Sacerdotium; aut dignitatem Pastoralem invasit? Destitutus autem talibus gratijs, in quæ non

ibit præceps vitia?

Porro ſigna Divinæ vocationis eſſe ſolent: 1. Inclinatio illa & propenſio ad cultum divinum, & obſequium in ſtatu Religioſo vel Clericali DEO deſerendum, quam quis in ſe ipſo à tenerioribus annis ad maturiorem uſq; ætatem conſtanter eſt expertus. Communiter enim Divina Sapientia, diſponens omnia ſuaviter, voluntates noſtras maturè ſolet inclinare, & velut per annorum gradus ducere ad ſtatum deſtinatum. 2. Videndum: an ijs qualitatibus ſeu dotibus, quales talis ſtatus omnino requirit, ſis inſtructus, ſaltem inchoativè: ita nimirum ut accedente ulteriore ſtudio & diligentiâ, ſis ſufficienter perficiendus. Nam nec DEUS ex quovis ligno facit Mercurios. Tales autem dotes ſunt Ingenium capax, & profectus in literis ſaltem mediocris; Animus honeſti amans, & pravis, præſertim carnalibus, habitibus non corruptus; Cervix flexibilis & non refractaria; propenſio ad pietatem &c. 3. Si à tempore non modico ſentias te zelo animarum & propagandæ Divinæ gloriæ accenſum. 4. Si Prælatus ultro te invitet; & is, cui curam animæ tuæ commiſiſti, non contraveniat.

Quodſi aliquis deprehenderet: ſe non per oſtium intraſſe ad familiam Clericalem, vel Religioſam, aut Beneficium Paſtorale: inprimis de temeritate & præſumptione ſua ſeriam agat pœnitentiam; deinde factâ diligenti reflexione, ſupplere ſtudeat ea, quæ ſibi deeſſe advertit, ſive quoad ſcientiam ſive virtutem; pravam intentionem, ſi fortè intervenit, purget atq; corrigat; animæq; oculum ſincerè in DEI gloriam dirigat: deniq; ut monet S. Bernardus ep. 17. ad Ard. *Vitæ ſanctitas, ſiquidem non præceſſit, ſaltem ſequatur.*

FERIA III.

MEDITATIO: *De munere paſcendi Petro commiſſo à Chriſto.* Joan. 21.

I. ADora DEUM O. M. & conſidera: ipſum in Eccleſia Chriſti voluiſſe regimen Monarchicum; ut penes unum eſſet ſumma poteſtas, atq; ab uno capite gubernaretur totum corpus Eccleſiæ. Eminentiam hanc & poteſtatem ſummam commiſit Chriſtus uni Petro, quando Joan: 21. ipſi uni commiſit univerſalem curam Agnorum & Ovium ſuarum, non ſecernendo partem gregis, quàm curaret Petrus, aliam quam Andreas &c. ſed generaliter dixit: *Paſce Agnos meos: paſce Oves meas.* Quam poteſtatem extenſam eſſe etiam ad ſucceſſores Petri, argumento eſt; tum quòd non minùs poſterioribus ſæculis egeret Eccleſia Monarchico gubernandi modo; tum quòd is conſtans ſit in Eccleſia ſenſus & uſus. Non eſt autem credibile; quod DEUS permittat tanto tempore errare Eccleſiam in re graviſſima.

Adoro

Adoro Opt. Max: DEUS, sapientissimam Providentiam tuam in instituenda & gubernanda Ecclesia Filij tui. O quando tandem errantes omnes congregabis in unum hoc ovile, & ad Pastorem unum! Allaborabo pro modulo meo.

2. ADora D. JESUM, & considera: ipsum voluisse regimen Ecclesiæ suæ exerceri, non tam dominando, quam pascendo. Unde non dixit Petro: Rege populum meum; Dominare in nationibus; constituo te Principem fratrum tuorum: sed usus est similitudine à pastoribus gregum ducta: *Pasce.* Rege pascendo, & pasce regendo: ut gubernatio sit mitis, solicita & provida. Fideles quoq; noverint conditionem suam: quòd in Ecclesia Christi vivere debeant non ut leones, lupi, aut cervicosi capri; verùm ut Agni & Oves. Cæterùm Petro cum subordinatis socijs suis incumbit triplex pascendi modus: ut pascant oratione, exhortatione, & exemplo probo. Veneror & amo suavitatem divini cordis tui, Gratiosissime JESU, qua gubernationem nostri & nostram disposuisti. Da gratiam, ut eo, quem requiris spiritu præesse possim, si jubebor; & subesse velim.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: quàm promptè, & libenter, atq; humiliter se submiserit Petro, ad summam in Ecclesia gubernandi potestatē evecto: quàmvis ipsa ignara non esset tum dignitatis suæ, tum infirmitatū Petri. Plus valuit apud illā exemplū Filij, qui, DEUS, non est dedignatus subditus esse hominibus: quàm respectus excellentiæ propriæ; quæ & oculos & cor nostrum sibi nimis devinctum tenere solet. Veneror humillimam submissionem tuam, ô Domina: & majorem te suspicio latentem inter oves Christi, quàm regnantem inter choros Angelorum. Inspira mihi eundem spiritum submissionis, ô Augustissima,

Propositum v. g. de submissione erga Superiores, & suavitate erga subjectos.

LECTIO PRACTICA.

Declaratur: quomodo grex Dominicus sit pascendus.

INsinuatum est in Meditatione: eum cui à Domino Postolaris est cura commissa sive sæcularis sive Regularis, pascere debere gregem suum Oratione, exhortatione & Exemplo probo. 1. Ut rite pascat Oratione; debet ordinata charitate à se ipso incipere, & crebras ardentesq; ad DEUM fundere preces ad impetrandas sibi necessarias gratias tum pro vita propria rite instituenda, tum pro munere pastorali cum maximo animarum bono, & divinæ gloriæ incremento, administrando. *Ille novit rectè vivere: qui novit rectè orare;* inquit S. August: hom. 4. ex 50. Chrysostomus verò lib. 1. de orando DEUM; *Arbitror,* ait, *cunctis esse manifestum, quòd simpliciter*

citer impossibile sit, absq; precationis præsidio cum virtute degere.

Deinde Sacerdotis proprium esse munus Orare & Sacrificare pro populo indicat Apostolus Hebr. 5. *Omnis Pontifex* (eadem est ratio de Sacerdotibus, ut patet ex eorum Ordinatione) *ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in ijs, quæ sunt ad DEUM, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis.* Quod adumbratum videtur in illis 24 Senioribus Apoc: 5. Presbyterorum in Ecclesia typum gerentibus; quorum singuli semper præ manibus *habebant phialas aureas, plenas odoramentorum, quæ sunt Orationes Sanctorum.* Et in illo Angelo Domini exercituum Malach. 1. qui visus est *juxta aram templi stare, & aureum habere thuribulum in manu sua,* multo incenso & aromatibus refertum. Certè Ezechiel, 22. graviter arguuntur Sacerdotes, quòd se non interposuerint ad avertendam vindictam divinam à populo. *Quæsivi de eis virum, qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me pro terra; & non inveni. Et effudi super eos indignationem meam; in igne iræ meæ consumpsi eos.*

2. Ut Exhortatione rite pascatur grex Domini: observanda sunt, quæ requirit Concilium Trid: Sess: 5. c. 2. de Reform: ubi sic decernit; Statuit & decrevit eadem S. Synodus: omnes Episcopos, Archiepiscopos, Primates, & omnes alios Ecclesiarum Prælatos, teneri per se ipsos, si legitimè impediti non fuerint, ad Prædicandum Sanctum JESU Christi Evangelium. Si verò contigerit Episcopos & alios prædictos legitimo detineri impedimento, juxta formam Generalis Concilij (*Lateranen:*) viros idoneos assumere teneantur ad hujusmodi prædicationis officium salubriter exequendum. Si quis autem hoc adimplere contempserit, districtæ subjaceat ultioni. Archipresbyteri quoq;, Plebani, & quicunq; Parochiales, vel aliàs curam animarum habentes Ecclesias quocunq; modo obtinent; per se, vel alios idoneos, si legitimè impediti fuerint, diebus saltem Dominicis, & Festis solemnibus, plebes sibi commissas pro sua, & earum capacitate pascent salutaribus verbis; docendo, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, enunciandoq; eis cum brevitate & facilitate vitia, quæ eos declinare, & virtutes quas sectari oporteat; ut pœnam æternam evadere, & cœlestem gloriam consequi valeant. - Ne illud impleatur Thren: 4. *Parvuli petierunt panem: & non erat, qui frangeret eis.* Ita Concilium. Notandum 1. illud: Pro earũ capacitate pascent. 2. Quæ scire omnibus necessarium est ad salutem. 3. Annunciando eis cum brevitate & facilitate vitia & virtutes. Non ergo se effundere debent, in sublimes, acutos aut facetos conceptus, suam potiùs vanitatem & plausus aucupando, quàm æternæ

audi-

audientium saluti prospiciendo.

3. Prædicationi & Exhortationi pondus addere debet vita exemplaris prædicantium: ne sanam doctrinam corrupti mores enervent; & ex luce virtutum, quæ prædicantur, magis elucescant vitia prædicatoris. Graviter monet S. Hieronymus epist. 2. ad Nepotian: *Non confundant opera tua sermonem tuum: ne cùm in Ecclesia loqueris, tacitus quilibet respondeat: cur ergo hæc, ipse non facis? - Delicatus magister est, qui pleno ventre de jejunijs disputat: accusare avaritiam & latro potest. Sacerdotis Christiani os, mens, manusq; concordent.*

5. Quod pascendi gregem Domini munus, oratione, exhortatione & exemplo, incumbit Curatas, ut vocant, Ecclesias administrantibus; non minùs premit Prælatos Religiosos. Imò Regulares omnes urget Charitas: ut secundùm regulam suam & datam opportunitatem prospiciant proximorum saluti, saltem oratione & exemplari conversatione, si fortè non possunt prædicatione. Cruda nimiùm sunt viscera, quæ non moventur ad subveniendum agno, qui cernitur à lupo duci ad lanienam, aut pabuli defectu agere animam.

FERIA IV.

MEDITATIO: *De strictissima ratione, quam exiget Christus à Pastoribus gregis sui.* Ex Joan. 21.

1. ADora DEUM O. M. & considera: eum sapientissimâ providentiâ humanam remp: ita disposuisse; ut noluerit eam regere per se solùm, aut per Angelos: sed homines regi voluit ab hominibus, impositâ quibusdam curâ gubernandi & providendi, alijs necessitate parendi. Ordinavit rationalem mundum sicut corporeum; in quo alia inferiore, alia superiore loco posita sunt; & inferiora per superiora moventur, atq; foventur. Cùm igitur præesse omnes non possint, & subesse quosdam oporteat: necesse est; ut qui præsunt, assiduam inferiorum curam gerant; & qui subsunt, non eluctentur violenter ex ordine suo. Omnibus autem convenit; malle subesse potiùs, quàm præesse. Quàmdiu enim mortali corpore gravamur: centrum nostrum in infimo est: nec alibi quies aut securitas datur. Illuc CHRISTUS, virorum novissimus in hac vita, nos ducit. Veneror, Magne DEUS, sapientissimam dispositionem tuam. Da gratiam, ut illi me totum accomodem. Evolent alij, quò volunt: me inferiora decent.

2. ADora D. JESUM, & considera: quam strictam exacturus sit rationem à pastoribus gregis sui, sive summis, sive subordinatis. Indi-

 cavit

cavit id ipse 1. quando ex Petro, antequam ei committeret curam pastoralem, ter distinctè quæsivit: An eum amaret, & quidem plùs cæteris? Joan. 21. Malè enim eos pascere Dominicum gregem compertũ est: qui ejus curam suscipiunt non amore Christi, sed sui; ut ovium sibi creditarum vellere superbiant, lacte pingvescant. 2. Quando expresse dixit: Pasce Agnos *meos*, oves *meas*: scilicet tanto labore quæsitas, tam carò emptas. Recole; quàm severum tulerit decretum David rex. 2. Reg. 12. contra divitem, qui pauperẽ spoliavit oviculã unica, sibi charissimâ: Vivit Dominus, quoniam filius mortis est vir, qui fecit hoc. Putas; singulas animas tibi creditas, aut credendas, minus amatas, aut viliores esse Christo? Vide, quid egeris hac in parte, & acturus es: ne anima tua sit pro amissa una ex illis.

3. VEnerare DEIparam V. & considera eam, ut matrem Agni, qui tollit peccata mundi; tàm charam Patri æterno, ut illa, quàm proximo puncto descripsit Nathan Propheta. Nimirum Crevit cum filijs ejus, id est, Angelis sanctis; de pane illius comedens, & de calice ejus bibens: Comedit enim quotidie de pane vitæ & intellectus, & aquâ Sapientiæ divinæ potata, in sinu DEI Patris per contemplationem suavissimè quiescebat. Ipsa unica, percusso Pastore, dispersas oves alias secuta non est, sed fidelissima adhæsit illi. Ipsa est Ovis, in cujus vellus ille ros cœlestis, à sæculis desideratus descendit. O Mater Agni DEI innocentissima, inter oves olim locum præsta, & ab hœdis me sequestra.

Propositum de fugienda ambitione; & de habenda diligenti cura salutis proximi.

LECTIO PRACTICA.

Declaratur ampliùs rigor rationis reddendæ à Personis Ecclesiasticis.

PRæstat, SS. Patrum de hac re gravissimas expendere sententias. S. Gregorius officio, scientia & sanctitate omninò Magnus, hom. de cura pastor: sic ait: Nullum puto, Fratres Charissimi, ab alijs majus præjudicium, quàm à Sacerdotibus tolerat DEUS: quando eos, quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla pravitatis cernit: quando ipsi peccamus, qui compescere peccata debuimus. Plerumq;, quod est gravius, Sacerdotes, qui propria dare debuerant, etiam aliena diripiunt. Plerumq; si quos humiliter, si quos continenter vivere conspiciunt, irrident. Considerate rogo: quid de gregibus agatur, quando Pastores lupi fiunt. Hi enim custodiam gregis suscipiunt, qui insidiari gregi Dominico non metuunt. Nulla animarum lucra quærimus: ad nostra quotidie studia vocamus: terrena concupiscimus, humanam gloriam intentâ mente captamus. Et quia eo ipso, quo cæteris prælati sumus, ad agenda quælibet, majorẽ licentiam habemus:

fusce-

suscepta benedictionis ministerium vertimus ad ambitionis argumentum: DEI causas relinquimus, ad terrena negotia vacamus: Locum sanctitatis accipimus, & terrenis actibus implicamur. *Ita Gregorius.* Qui autem sic depravant sanctitatem Ordinis sui, putas, non portaturos ingens pondus judicij Divini?

S. Chrysostomus hom: 3. in Acta Apost: tantum suspicit Judicij divini rigorem, ut non vereatur asserere; Sacerdotum paucos salvari. *Non temerè,* inquit, *dico: sed ut affectus sum, & sentio. Non arbitror inter Sacerdotes multos esse, qui salvi fiant: sed multò plures, qui pereant.* Inter alia dat rationem hanc: *Quia etiam quod alij peccant, illi imputatur; & si vel unus tantùm decedat non initiatus* (baptismo, propter sacerdotis incuriam) *nonne totam ipsius subvertet salutem? Unius enim animæ perditio tantam habet jacturam, ut nulla ratio satis æstimare possit. Etenim si unius animæ salus tanti est: ut ob hanc Filius DEI fieret homo, tantaq; pateretur; perditio, cogita, quantam conciliabit pœnam?* Ita Chrysost:

S. Bernardus timet primò, Epist: 2. ne Sacerdotibus in divitijs & delicijs viventibus, dicatur in morte idem, quod Epuloni Evangelico: *Memento fili: quia recepisti bona in vita tua.* Recepisti, dixit; Non rapuisti: ne etiam de hoc tibi frustra blandiaris, quòd tuis contentus, aliena non rapias. Timet secundò serm. 23. in Cant: ne ipsis olim dicatur illud Isaiæ 26. *In terra Sanctorum iniqua gessit* (scilicet in Beneficijs Ecclesiæ, quæ possident) *non videbit gloriam DEI.* Timeant, inquit, Clerici, timeant Ecclesiæ ministri, qui in terris Sanctorum, quas possident, tam iniqua gerunt: ut stipendijs, quæ sufficere debeant, minimè contenti, superflua, quibus egeni sustentandi forent, impiè sacrilegèq; sibi retineant; & in usus suæ superbiæ atq; luxuriæ victum pauperum consumere non vereantur.

Ex his & plurimis alijs, quæ in suis septem Tubis, prolixè congerit, SS. Patrum sententijs, A. R. D. Merlo Horstius, patet periculum Ecclesiasticorum majus, quàm apprehendi soleat: & confirmatur id, quod refert Cantipratanus de proprietate Apum lib. 1. c. 20. p. 8. Clericus quidam in Synodo prædicare compulsus, angustiabatur vehementer: quidnam dignè posset coram tot Ecclesiæ Prælatis prædicare. At ubi in oratione prostratus jacuit: venit ad eum diabolus dicens: Quid angustiaris coram istis prædicare? Dicas eis istud, & non aliud: Principes infernalium tenebrarum Principes Ecclesiæ salutant. Læti omnes nos gratias vobis referimus: quia unà cum ipsis Prælatis etiam subditi ipsorum ad nos devolvuntur; & per eorum negligentiam fere totus mundus ruit ad nos. Invitus quidem tibi dico, quod

 dico:

dico: sed Altissimi jussione coactus. Respondit Clericus: At mihi non credetur. Tunc diabolus tangens maxillam ejus: Ecce, ait, signum, nigredo faciei. Hanc antequam prædices, non contingas, quia frustra: post prædicationem verò aquâ benedictâ delebis. Ivit ergo Clericus, prædicavitq; & voce & decoloratâ facie ad maximum omnium horrorem. Hæc anno 1248. fuerunt Parisijs coram omni populo & Clero solemniter recitata.

Videant ergo Ecclesiastici tam Regulares, quàm sæculares: quomodo munere suo fungantur. Si prædicta non satis habent authoritatis; audiant Apostolum timentem 1. Cor. 9. *Væ mihi, si non evangelizavero!* Si autem evangelizavero; iterũ timor: *Ne fortè cùm alijs prædicavero, ipse reprobus efficiar.*

FERIA V.

MEDITATIO: *Christus declarat Petro: quod morte Crucis sit glorificaturus DEUM.* Joan. 21.

1. ADora DEUM O. M. & considera: quòd quàmvis in se, & propter excellentiam seu perfectiones suas infinitas intrinsecas, sit gloriosissimus; & omnes, etiam inanimes, creaturæ ipsum prædicent, ac glorificent: specialiter tamen glorificetur morte S. Martyrum. Cùm enim Joan. 21. Petro prædixisset Christus passionem & mortem sub allegoria præcincti ab alio, & ducti quò non vult; subdit Evangelista: *Hoc autem dixit, significans, qua morte clarificaturus esset DEUM*: scilicet morte crucis pro Christo tolerata. Clarificatur autem tali morte DEUS: Quia in ipsa voluntariè oppetita relucet 1. Dignitas & excellentia DEI, pro quo non dubitat homo subire mortem, etiam ignominiosissimam & crudelissimam. 2. Virtus & potentia DEI, qui infirmo homini tantas suppeditat vires & animos: ut non patienter sed libenter subeat tormentum mortis. 3. Liberalissima remuneratio DEI, quam sperat Martyr supra meritum suum copiosam. O nos beatos, si liceret cum sangvine refundere vitam ei, qui illam dedit! Da Domine: ut saltem probâ vitâ Te clarificem.

2. ADora D. JESUM & considera: quomodo post commissum Petro munus supremi & universalis Pastoris, *Pasce oves meas*; statim subdiderit: *Amen amen dico tibi; cùm esses junior, cingebas te & ambulabas, ubi volebas; cùm autem senueris, extendes manus tuas*, scilicet in cruce, *& alius te cinget, & ducet, quo tu non vis*, secundùm appetitum sensitivum. Quo oraculo declaravit Dominus Petro: quo honore remuneraturus esset etiam in hac vita ejus amorem & curas pastorales; scilicet gloriosâ morte crucis, ejus amore tolerandâ. Vilis equidem, imò nulla est hæc remuneratio in oculis mundi: at pre-

at pretiosa nimis in conspectu DEI & cælitum. Per mortem enim hujusmodi manifestat homo constantiam fidei suæ erga Dominum, summam ipsi s æstimationem & amorem, magnanimitatem quoq; suam & fortitudinem : quæ gloriosissima sunt. DEUS etiam toto orbe venerabiles & gloriosos facit Martyres suos: quemadmodum de S. Petro testatur S. August. serm. 28. de Sanctis. *Nunc, inquit, ad memoriam Piscatoris flectuntur genua Imperatoris &c,* Si tam gloriosum est, pati & mori pro Christo : quid erit; regnare cum illo? Nimis honorasti amicos & servos tuos, Gloriosissime JESU. O si mille vitas liceret profundere pro te!

3. VEnerare DEIparam V. & considera: ipsam, post Christum esse maximam Gloriam DEI. Pleni sunt quidem cœli & terra Majestatis gloriæ ejus: at in ipsa resplendet illa illustriùs, copiosiùs, gratiùs, augustiùs, diviniùs. Omne momentum vitæ ejus omnes voluntarij motus, omnes corporis sensus, actus animæ, & tota ipsa fuit purissima, intensissima, perfectissima gloria DEI. At nostræ vitæ quota portio, nostrorum actuum quàm pauci sunt gloria DEI, & quàm imperfecta! Impetra veniam, ô Domina, & emendationis gratiam.

Propositum v g. de iterando sæpiùs per diem, saltem ante notabiliores actiones: Ad majorem DEI gloriam.

LECTIO PRACTICA.

De felici Morte Ecclesiasticorum proborum.

QUàm felix & pretiosa sit Mors proborum Ecclesiasticorum colligi potest tum ex Vocatione & professione ipsorum; siquidem vocati sunt in sortem Domini (unde Clericorum nomine appellantur) & Dominus se ipsis, à sæcularibus negotijs sequestratis, promisit se ipsum in Partē hæreditatis: tum ex munere, quo funguntur tanquam Ministri Christi. Ipsos enim vel maximè concernit illud Christi Joan: 12. *Si quis mihi ministrat, me sequatur: & ubi sum Ego, illic & minister meus erit. Si quis mihi ministraverit; honorabit eum Pater meus.* Quid liquidius esse potest ad solatium in illis supremi agonis angustijs? Quid præsentius ad securitatem in extremis illis irruentium tentationum periculis?

De horum igitur morte meritò dixeris illud S. Cypriani lib. de mort: *Non est exitus iste, sed transitus, & temporali itinere decurso ad æterna transgressus. Quis non ad meliora festinet? Quis non mutari, & reformari ad Christi speciem, & ad cælestis gratiæ dignitatem venire citiùs expetet?* Et Chrysost: homil. ex 48. *Omnibus laborantibus dulcis est finis. Viator libenter interrogat ubi est mansio? Mercenarius frequenter computat, quando annus compleatur &c. Sic & servi*

DEI *libenter de consummatione sæculi requirunt*: Ministri Christi anhelant in amplexus Domini sui, qui passis brachijs ipsos expectat, gloria & honore coronandos à se & Patre suo. *Si quis mihi ministraverit* (ut decet, secundum gradum suum) *honorificabit eum Pater meus*.

Hoc promisso in suprema ægritudine erectus Magnus Antistes & Doctor S. Ambrosius, cùm à circumstantibus rogaretur: ut à DEO longiorem adhuc vitam pro Ecclesiæ solatio & tutela, sibi impetraret; laudatam illam S. Augustino vocem emisit: *Non ita inter vos vixi; ut vixisse me pudeat: nec mori timeo: quia bonum Dominum habemus* Ribadeneyra in Vita.

S. Hieronymus Presbyterorum & humilium exemplar & sidus clarissimum, morti vicinus, ad eos, qui abitum ejus deplorabant, se convertens ait: *Me non tanquam morientem lugeatis: sed mecum, tanquam portum salutis attingente, gaudeatis*. Ribad. in Vita.

S. Laurentius Justinianus jam jam abiturus ad Christum, suavissimum cum ipso colloquium miscebat: *Suscipe*, inquiebat, *me, bone JESU, Vita & salus animæ meæ. Neq; enim in justificationibus meis prosterno preces meas ante faciem tuam: sed in miserationibus tuis multis. Illa ego ovis amissa, ad te redeo: peto Domine, ut ad ovile reducas. Sed neq; felices spirituum tuorum sedes affectare ausim. Portio tamen aliqua creaturæ tuæ postulat micas suavissimæ mensæ tuæ*. Postea ad circumstantes conversus ait: *Vos interea Fratres, servate Domini præcepta. Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus tanquam flos fœni: Contemplamini me. Ecce aruit fœnum, & flos decidit: horam hanc quis poterit evadere? Sed mihi credite, Filij*; Nihil *præstantius, quàm servire Domino*. Ribad. 8. Jan: Addit Surius: eum lacrymantes facessere jussisse: *Abite hinc cum vestris lacrymis; tempus lætitiæ est, non lacrymarum. Pudeat vos mortem timere, cùm Dominus noster JESUS Christus, in cujus conspectu decumbo, propter nos in cruce voluerit mori*.

S. Martini Episcopi Thuronensis omnium sæculorum encomio celebrantur ultimæ voces: 1. ad DEUM: *Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem*. 2. ad Clerum circumstantem: *Sinite, sinite me, Fratres, cœlum potiùs respicere, quàm terram; ut suo jam itinere iturus ad Dominum spiritus dirigatur*. 3. ad Satanam: *Quid hìc adstas cruenta bestia? Nihil in me funeste reperies. Abrahæ me sinus recipiet*.

S. Julianus Conchensis Episcopus animam agens vidit DEIparam V. ad se invisentem magno splendore & Sanctarum Virginum corona stipatam: quæ mirabili suavitate canebant Antiphonam Ecclesiasticam: *Ecce Sacerdos magnus qui in diebus suis placuit DEO*. Deinde obtulit ei DEIpara palmam dicens;

dicens: *Accipe Serve DEI palmam, symbolum Virgineæ integritatis ac puritatis, quam servasti semper illæsam.* Ribad: 18. Jan.

Quis non optet: *Moriatur anima mea morte Justorum; & fiant novissima mea horum similia?* Fient; si vita fuerit similis vitæ illorum, & simili studio partes omnes ministerij nostri impleverimus. Igitur monente Apostolo Galat. 6. *dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei.* Aderit suo tempore Dominus, invitans Operarios suos ad requiem opulentam: *Serve bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui.*

FERIA IV.

MEDITATIO: *Petrus jubetur sequi Christum.* Joan. 21.

1. ADora DEUM O. M. & considera: dispositionem ipsius omnem de nobis, & quibusvis alijs hominibus æquissimam & sapientissimam esse; & justissimis ex causis plerumq; nobis occultari. Non igitur solicitè aut curiosè inquirendum: quid de nobis aut proximo nostro futurum sit: sed paranda voluntas, ad æquanimiter & libenter excipiendum; quidquid divina Providentia de nobis aut alijs fieri voluerit. Reprehendit in Primate Apostolorum eam curiositatem redivivus Christus Joan. 21. Cùm enim ipsi prædixisset; qua morte clarificaturus esset DEUM, jussissetq;, se præcedentem sequi: videns Petrus, quod & Joannes, quamvis non jussus, sequereur Christum; pro singulari sua in Joannem propensione, quæsivit: *Hic autem quid?* Existimans Joannem velle, sed non audere interrogare. Solicitam curiositatem mox retudit Christus: *Quid ad te? tu me sequere.* Magne DEUS, cujus providentia in sua dispositione non fallitur, nec iniquitatis umbram habet: dispone de me & meis, ac quibusvis alijs, quidquid libuerit: da solùm gratiam, ut voluntatem tuam plenè agnoscamus, & fideliter exequamur.

2. ADora D. JESUM & considera: qualem vivendi & regendi formã præbuerit Petro ad supremum Pastoralis curæ officium vocato. Jussit eum, se præeuntem sequi *Et cum hoc dixisset*: scilicet ut pasceret Petrus oves ejus; & quod in senio extensurus esset manus suas (in cruce) & ducendus ad mortem pro Christo; *dicit ei: sequere me.* Joan. 21. Duabus voculis absolutissimam vivendi, & regendi oves sibi commissas, expressit formam. Sequendus nimirum per accuratam imitationem Christus, Princeps & Idea bonorum Pastorum. Non quæsivit ille commoda & lucra sua; perditam ovem per invia & devia, plana & aspera quæsivit, inventam sustulit in humeros, sangvine suo lavit, atq; ut vitam haberet æternam, mor-

tem

tem subijt crudelissimam Pastor ipse. Vide: quid sit pastorem esse ovium Christi; & sequere ipsum; ne mercenarijs aut latronibus accenseearis. Si alias non habes curandas oves; habes minimùm unicam, Animam tuam; cum qua perdita perijsti! Parce Benignissime Pastor incuriæ meæ. Magis solicitum vigilemq; me præbebo deinceps.

3 VEnerare DEIparam V. & considera: quantam gerat curam animarum nostrarum. Si alia deessent summæ solicitudinis ejus argumenta; sufficeret: quod Mater sit singularum. Recole: quo zelo ferantur in prolem suam etiam bruta animalia: quomodo intrepidè se offerunt etiam telis & venabulis venatorum; ut prolem tueantur, vel repetant ereptam. MARIA cor suum, imò quem corde chariorem habuit Filium Unigenitum obtulit pro animabus nostris. Numquid & ipsa cum Apostolo 2. Cor. 12. protestatur: *Ego autem libentissimè impendam, & superimpendar ipse pro animabus vestris; licèt plùs vos diligens, minùs diligar.* O Mater zelosissima, quid rependam affectui tuo materno? Serva, obsecro, in finem, licèt indignum.

Propositum v. g. de vitanda curiosa inquisitione futurorum eventuum; & habenda cura majore animæ propriæ, & alienarum.

LECTIO PRACTICA.

Cur? & Quomodo Ministri Ecclesiæ sequi debent Christum.

VT Omnibus Fidelibus incumbere obligationem, sequendi Christum per Imitationem vitæ ac virtutum ipsius, certum est: ita ad Ecclesiasticas Personas eam spectare obligationem specialibus & gravioribus titulis, dubitari non potest. Nam 1. ipsi sunt successores Discipulorum Christi, specialiter à Christo delecti ex omni populo in Ministros ipsius, & Ecclesiæ ejus. Ipsos repræsentabat S. Petrus, quando ei commissa est cura Ecclesiæ: ab ipsis in Petro exigebat Christus plus erga se amoris, quàm à cæteris fidelibus; proinde etiam ipsos specialiter spectavit, quando Petro specialiter mandavit: *Sequere me.* Sequere; non tam pedum passibus, quàm virtutum progressibus. Sequere; non declinans ad dextram, vel sinistram. Unde B. Petro Damiani valde absonum videtur: si statum Clericalem professus, vitam agat sæcularem. *Satis videtur absurdum,* inquit lib. de Comm. Vita Canon: Op. 6. *ut Clerici quis prætendat in Ordine speciem; & sæcularium teneat vivendo conversationem. Et quem à Laicorum turbis professionis conditio separat; turpe est, si vel domestica conversatio, vel peculij abominanda proprietas Laicum esse convincat.*

2. In plerisq; ministerij sui functionibus Christi agunt vices: ut in Sacramentis conficiendis & ministrandis, in prædicatione Evangelij, in offerendo Sa-

do Sacrificio Divino. Quas actiones cùm exerceant nomine & authoritate Christi: sequitur, ipsos omni studio intentos esse debere, ut eas peragant eo modo quo Christus; non solum quoad substantiam actionis, sed etiam quo ad modum: scilicet simili charitate in DEUM & proximum, simili reverentia, humilitate, diligentia &c. Unde monet S. Bernardus serm: 14. in Psal. Qui habitat: *Cave tibi: qui in Ecclesia Christi cerneris locum tenere sublimem. Quàm ingratus enim, imò quàm injuriosus es illi magno Sacramento pietatis: si in illo quæstum æstimes pietatem. Quàm infidelis ei, qui Ministerium hoc sanguine proprio consecravit: si eo quæras gloriam tuam, quæ nihil est; quæras quæ tua sunt, non quæ JESU Christi.*

3. Ipsi debent in fidelibus parturire Christum, juxta illud Galat. 4. *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Id est, Ministris Ecclesiæ incumbit procurare: ut populus fidelis vitam & virtutes Christi, quantum status ipsorum permittit, imitetur. Nam Ephes. 4. dicuntur à Domino positi *Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorum, in ædificationē corporis Christi: ut occurrant omnes in virum perfectum.* Hoc autem præstare nunquam poterunt: nisi priùs eundem Christum in se ipsis perfectè efformaverint. Experientia enim docet: parùm prodesse verba, ubi desunt exempla. Passim ejus prædicatio contemnitur, cujus vita non ædificat. Quomodo enim frigidus in charitate inflammabit alios, plenus vitiorum aliis imprimet virtutes?

Quod igitur Apostolus ad Titum c. 1. 2. & 3. dicit de Episcopo, pertinet etiam, proportione quâdam, ad inferiores Ministros. *Oportet Episcopū sine crimine esse, sicut DEI dispensatorem &c. Justum, Sanctum, continentem, amplectentem eum qui secundùm doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere.* Notandum illud: Ut potens sit exhortari. Nisi enim prædictis dotibus sit ipse instructus, potens non est. *In omnibus te præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate, verbum bonum, irreprehensibile: ut is, qui ex adverso est, vereatur; nihil habens malum dicere de nobis.*

Ad hanc autem perfectionem ut perveniamus: necesse est, ut assiduè ante oculos nobis proponamus Christum & vitam ejus. Hæc enim est via compendiosissima. Virtutes enim in aliis Sanctis relucentes, nec perfectionem, nec vim tantam habent ad promovendos & conformandos nos; ac Exempla Christi. Nam ut viva vox, ita & facta ejus à Divinitate operantis divinam quandam obtinuerunt virtutem seu efficaciam: ut meritò moneat S. Laurentius Justinianus de discip. mon: c. 8. *Quicunq; esse DEI fidelis servus & pru-*

& prudens desiderat: Salvatoris gesta, & præcipuè ipsius Passionem, ruminare non negligat. Rectè quoq; monent Ascetæ: ut inter ipsas Domini virtutes, eas quisq; sibi proponat imitandas, quas Gradus Sacerdotij & ratio Officij ejus præ cæteris requirit. v. g. Prædicatores studeant imitari prædicantem; qui Choro attendunt, Orantem; qui sacrificant, in Cruce se immolantem; qui Missiones obeunt, cum hominibus conversantem &c. Hæc est igitur summa totius perfectionis Sacerdotalis: Christum D. sequi, Christi vestigijs inhærere, Christum induere, Christum loquentem, operantem, patientem, in se, quantum fas est, exprimere: & alijs reverendum amandum, imitandumq; in se proponere.

SABBATO.

MEDITATIO: *Joannes non jussus sequitur Christum.* Joan. 21.

1. ADora DEUM O. M. & considera: ipsi tam perfectum esse dominium, & authoritatem tam absolutam in omnes, etiam rationales creaturas: ut non expectare, sed prævenire debeamus imperia, atq; ad nutū attendere; imò si quid gratum ei futurum cognoverimus, sine mora & accuratè faciamus, oportet. Exemplo est discipulus, quem diligebat JESUS. Hic cùm audivisset Dominum Petro dicentem Joan: 21. *Sequere me*; confestim secutus est & ipse, quantumvis id illi à Christo intimatum non esset. Nimirum probis & amantibus subditis placita Superiorum, imperia sunt. Infelices nos: quos ad exequenda disertissima præcepta divina, neq; promissa infinita, neq; supplicia æterna satis compellunt! Parce contumaciæ meæ, Benignissime DEUS. Ut deinceps cereum habeas ad nutum tuum; da mihi affectum filialem, & spiritum rectum innova in visceribus meis.

2. ADora D. JESUM, & considera: causam, cur specialia dilectionis argumenta præ cæteris Apostolis exhibuerit S. Joanni Evangelistæ, eumq; noluerit cruentam mortem oppetere; non fuisse solam Virginitatis prærogativam; sed, inter alia, singularē ipsius propmtitudinem ad obsequendum & gratificandum Domino. Recole, quàm promptè ad primam Christi vocationem, relictis retibus & patre, sit secutus; quàm intrepidè cum DEIpara V. accurrerit ad Crucifixum Dominum; quàm obedienter & libenter commendatam sibi *ex illa hora acceperit in sua*; quàm celeriter se proripuerit ad invisendum sepulchrum, & Petrum festinando prævenerit; quam alacriter sequente Dominum Petro, secutus sit & ipse, quàmvis non jussus. *Vidisti virum velocem in opere suo? Coram regibus stabit.* Prov. 22. Hinc Joanni inter cæteras prærogativas, & palma Martyrij concessa sine

ſine ſangvine, & ampliſſimum tempus cumulandi merita indultum, uſq; ad ſupremam ſenectutem. O ſi & ego pari promptitudine tibi ſervirem, Digniſſime JESU. Meretur id infinita Excellentia tua, & innumeris titulis obligata ſubjectio mea. Impelle ignavum.

3. VEnerare DEIparam V. & conſidera: quàm libenter uſa ſit S. Joannis Evangeliſtæ familiaritate & cohabitatione: *Accepit eam in ſua.* Erat enim ei innocentiâ & cordis ſingulari puritate chariſſimus, moribus perquam ſimilis, promptitudine obſequiorum erga Filium gratiſſimus, Chriſti commendatione acceptiſſimus. Talium familiaritatem ambit Mater pulchræ dilectionis. At ego, quàm indignus, qui veniam in conſpectũ Reginæ cœli! Quia tamen in multitudine & ſplendore famulantium gloria eſt Principis (Prov. 14.) fac ipſa me dignum cœtu domeſticorum tuorum, ô Benigniſſima; ut gaudeas ſervulo prompto & bene morato.

Propoſitum : ut alacer & promptus ſis in DEI, & DEIparæ obſequio; hodie excute torporem.

LECTIO PRACTICA.

Spirituales omnes decet alacres & promptiſſimos eſſe ad obſequia divina.

NOnne dedicati cultui divino etiam ea de cauſa *Spirituales* appellantur: quòd Spirituum, ſeu Angelorum inſtar, promptiſſimi & agiliſſimi ſint, vel eſſe debeant, ad obſequia divina, & Ordinis ſui munia? Certè Hierarchiam Eccleſiaſticam, ut in multis conformata eſt Hierarchiæ Angelicæ, in ea promptitudine & agilitate deficere non decet; ſed æmulari Angelicos ſpiritus oportet. Uni enim eidemq; Domino ſervit utraq;. Niſi fortè Eccleſiaſtica adhuc præcellere deberet alacritate & promptitudine, ſi humanæ naturæ carnea moles permitteret: ſiquidem plus propter ipſam, quàm propter Angelicam fecit & paſſus eſt Unigenitus DEI.

Excitat nos igitur ad ſummam, quam præſtare poſſumus, promptitudinẽ DEI Filius: qui ubi intellexit mentem Patris de redimendo genere humano per Incarnationem Perſonæ Divinæ, audiviſſetq;: *Quem mittam? & quis ibit nobis?* ſine mora, & deliberatione ſe ſe promptiſſimè obtulit: *Ecce ego: mitte me.* Iſa: 6. Nec minus agilis fuit in exequendo, quàm ſuſcipiendo eo munere. Statim enim, ac momentum temporis ab æterno definitum de Incarnatione, adfuit; & Virginis in Matrem lectæ, optatiſſimum inſonuit *Fiat*: exultavit Unigenitus DEI ut gigas ad currendam viam, quantumvis arctam & ſalebroſam, deſcenditq; ad aſſumendas ærumnas noſtras & ſarcinam carnis, non minore alacritate, quàm ſponſus anhelat ad nuptias. Pari promptitudine properavit Hieroſolymam immolandus, præcedebatq; diſcipulos

pulos insolita festinatione. *Luc.* 19. urgente nimirum, & tarda molimina nesciente, charitate. Adventante quoq; cum satellitibus proditore, quàm festinus sese proripuit in occursum? *Surgite, eamus: ecce appropinquavit, qui me tradet.* Matt. 26.

Hac Domini promptitudine, & studio ipsi eximiè placendi, provocati ferventiores DEI servi, & ancillæ, mira alacritate & agilitate suscipiunt, agunt, & peragunt omnia, quæ sui officij sunt; vel aliunde intelligunt, DEUM hoc illudve velle, quantumvis sit arduum, & vita cum sangvine sit impendenda. *Lex justo posita non est*: inquit Apostolus 1. Tim. 1. Non enim legum rigore, aut præceptorum stimulis aguntur, quibus in corde fervet charitas: intus habent, quo movetur voluntas, incitantur nervi, & totus in Domini obsequia rapitur homo cum omnibus potentijs & viribus suis. Sic Discipulus, quem diligebat JESUS, promptus ubiq; adfuit Domino, & præ cæteris diligi merebatur. Sic Petrus ubi hominem in littore apparentem audivit Dominum esse; ventorum remorumq; tarditatem accusans, in mare se misit, ut quantocyus ad Domini pedes procideret. Sic Magdalena in funere fratris gravi luctu oppressa, ut cognovit, adesse Christum; momento oblita luctus ad ipsum non accurrit, sed advolavit. Sic recentiùs S. Philippi Nerij discipulus, quàmvis nullo habito præcepto vel designatione particulari, sed sola Philippi cognita propositione: Quis ex vobis tantum habet animi: ut in fœtidam hanc lacunam se dejiciat? confestim, ut erat vestitus, in eam prosilijt.

Et certè æquum non est, ut Servos Ministrosq; Christi, servi ac ministri principum hujus mundi superent obsequendi, aut gratificandi promptitudine. Refert Historia Turcica: Solymano Imperatori, legenti aliquando epistolam in palatio suo, chartam fortè excidisse, atq; in adjacentem hortum per fenestram delapsam esse. Illico communis factus est motus Magnatum circumstantium, omnes per gradus ruere, & alter alterum in referenda epistola prævertere. Sed omnibus palmam præripuit Mahomet Vezyrus. Cõpendio iter confecturus, è fenestra præcipitem se dedit in hortũ, chartamq; retulit, antequam alij ad locũ pervenirent. Quo facto miram constantemq; Solymani, & sequentium duorum Imperatorum gratiam sibi conciliavit, favoribus & honoribus planè mactatus.

Sic qui intelligunt, se Christi servos, & Ecclesiæ ejus esse Ministros, nesciunt tarda molimina, non moventur motu ex morulis conflato; probro sibi ducunt, claudere agmen servientium DEO. Sonare incipiunt æra cãpana ad sacram ædem evocantia; nutu quispiam ægrorum implorat opem,
Hora-

Horarum Canonicarum tempus adest Canonicum &c. &c? Charitas Christi homines facit spiritus, & Ministros suos ignem urentem; rumpunt moras spernunt respectus, transiliunt obstacula, ad obsequia & cultum Domini ac DEI sui evolant. Quàm gloriosus est DEUS in hujusmodi servis suis? Numquid præripient cæteris cor Divinum? In curia cœlesti primi amores & honores conferuntur, non plus offerenti, sed promptiùs.

DOMINICA IV POST PASCHA.

MEDITATIO: *CHRISTUS in Galilæa apparet quingentis fidelibus.* 1. Cor. 15.

1. ADora DEUM O. M. & considera: quòd licet ipse totus sit lux, non æqualiter tamen manifestat se omnibus; sed huic magis, alteri minùs, solis instar; qui sedentibus in antro modicam communicat lucẽ; existentibus in montanis totam impertit vultus sui hilaritatem & majestatem. Quàmdiu in speluncis peccatorum, vel vallibus imperfectionum hæremus; non nisi obscura fidei luce aliquid DEI innotescit nobis: at si ad montem perfectionis, arduum quidem, sed visione DEI clarum, eluctemur: tum primùm apparet; quis sit Dominus, cui servitutem debemus. Populo Israel ad radices montis hærenti negavit conspectum vultûs sui DEUS: Moysi, ut facie ad faciem videret Dominum, & consortio sermonis ejus frueretur, enitendum fuit ad verticem montis. Sic & Christus quingentorum discipulorũ cœtui non alibi apparere voluit, quàm in monte Galilææ: qui putatur fuisse mons Thabor. Da gratiam Manifestissime, simulq; Abscondite, DEUS: ut in corde meo disponam ascensiones ad culmen perfectionis, & videre clariùs te ...erear DEUM Deorum.

2. ADora D. JESUM & considera: quòd quàmvis Apostolis, & pijs quibusdam matronis redivivus apparuerit Hierosolymæ iteratis vicibus: turbæ tamen fidelium non alibi, quàm in Galilæa, prout præmonuerat, spectandum se præbere voluit. Recedere illos oportebat à frequentia civitatis, & tumultu negotiorum. Occasionem quoq; præbuit: ut per illud iter se disponerent; & acuerentur desideria videndi redivivum atq; gloriosum Dominum ac Redemptorem suum. Erant, sine dubio Hierosolymæ, & in vicinia, longè plures fideles, quàm quingenti quibus Christum se manifestasse (in Galilæa) testatur Apostolus 1. Cor. 15: sed negotijs suis distracti illud iter non susceperunt. Tam tardi, & difficulter mobiles sumus; dum ad Dominum accedendum, sive in oratione, sive in epulo Eucharistico: ut illuminet vultum suum super nos. O JESU jucundissime, gratiosissime,

sime, gloriosissime, quod est pretium, quis labor; quo non sit dignus conspectus tuus, non solùm in majestate gloriæ tuæ, sed etiam sub velamine fidei? Noverim Te clariùs: ut æstimem Te cariùs.

3 VEnerare DEIparam V. & considera eam, ut *Montem Visionis* divinæ: in quo invisibilis DEUS apparuit non solùm humana specie, sed verus & humanissimus homo. Super hunc montem deduxit Pater æternus Isaacum suum, pro salute generis humani immolandum; aperuitq; nobis Sacramenta abscondita à sæculo, & viscera charitatis suæ. Olim, Joan. 12. venerunt ex gentibus quidam ad Philippum rogantes: *Domine volumus JESUM videre.* Rectiùs nos tendamus ad MARIAM, orantes: Domina volumus JESUM videre: & ipsa, qua valet apud Filium gratiâ, nos facile voti compotes faciet. Eja ergo Advocata nostra, JESUM, benedictū fructum ventris tui, gloriosum post hoc exilium, gratiosum in hoc exilio, nobis ostende.

Propositum v. g. de Meditationibus absolvendis diligentiùs ad obtinendum cælitus majus lumen.

LECTIO PRACTICA.

De discernendis varijs Apparitionibus & Visionibus.

CUm non raró Satanas se transfiguret in Angelum lucis, teste Apostolo: Cor. 11. imò, qua est impudentiâ, Christi quoq; personam subinde mentiatur: necesse est, perspecta habere certa indicia, quibus veræ & illusoriæ Apparitiones prodantur. Porro Apparitiones & Visiones hujusmodi aliæ contingunt dormientibus, vel semisopitis, aliæ Vigilantibus. Quarundā Author est DEUS, plerumq; per Angelos bonos; aliarum diabolus; nonnullæ proveniunt ex mala dispositione naturæ; ut in biliosis seu hypochondriacis. Omnes ut passim docent Ascetæ, discernuntur potissimùm ex Fine, & effectibus suis: considerando diligenter; quò tendat ducatq; Apparitio alicui objecta; & quos affectus seu motus causet in animo & corpore? Ut ad particularia magis descendamus; observandum:

Apparitiones in somno factas, alias esse mera Naturalia somnia, quæ anima ex crassioribus humoribus & profundiore hominis somno eluctata, operatur, ne quoad potentias sensitivas, imò, & rationales, sit diutiùs otiosa. Somniorum, quæ DEUS immittit, sive terrendo & monendo improbos, sive arcana quædam docendo probos; indicium esse solet, insolita quædam post somnum mentis Illustratio, & voluntatis ad solidarum virtutum studium, aut vitæ emendationem, atq; seriam pœnitentiam Inclinatio major & constans; Resignatio in divinam voluntatem efficax, & Impulsus quidam

dam ad ampliùs per vias ordinarias intelligendam voluntatem divinam, consulendo homines probos, doctos, & talium rerum peritos: vel certè homo statim sentit se determinatum & certificatum: tale somnium esse à DEO; nec unquam, ubi evigilat, obliviscitur illius. Cætera igitur omnia somnia vel merè naturalia sunt, vel operâ dœmonis excitantur: ideoq; quantocyus rejicienda sunt, nec animus applicandus ipsis recolendis. *Multas curas, sequuntur somnia*: inquit Ecclesiastes c. 5. &, *Ubi multa sunt somnia, plurimæ sunt vanitates, & sermones innumeri: tu verò DEUM time.*

Apparitiones extra somnum si sunt à DEO, sive per impressionem immediatè ab ipso DEO in intellectu factam, sive per Imaginationes & repræsentationes variorum objectorum ab Angelis bonis in phantasia excitatas, semper ducunt ad bonum Finem, nec unquam vel Fidei Catholicæ documentis, Divinarumq; literarum oraculis, aut communi SS. Patrum, Religiosorumq; Ascetarum doctrinæ repugnant. Insuper in anima causant tranquillitatem, pacem, puritatem, solidarum virtutum studium; mentemq; ita elevant in DEUM, ut non insolescat ac infletur, sed magis se deprimat per humilitatem. Quicunq; quibuscunq; habitis Visionibus, sentit inde generari in se elatiores spiritus: certus sit illas à DEO non esse. DEUS enim *humilia respicit, & alta à longè cognoscit.* Psal. 137. *Et cum simplicibus sermocinatio ejus.* Prov. 3.

Dœmonum apparitiones & spectra his prodi solent indicijs; ut notat Card. Bona. de disc. spirit. c. 19. Si is, qui apparet, falsam, & malâ apparitionis causam prætexat: si curiosa tantùm, aut quæ nescire expediret, revelat; si res sacras & Sacramentalia detestatur; si ad Crucis signum & SS. JESU nomen horrescit, vel minùs reverenter se habet, si falsa allegat, hominem inquietat, implicat atq; perturbat; si inflat, insolentem facit, & communis disciplinæ, Superiorumq; directionis impatientem, judicij sui nimis tenacem, & cogitationes, consiliaq; sua occultantem etiam quando, & cui, aperienda essent: deniq; qui à via virtutis ad devia ducit. Forma quoq; exterior & vox apparentis consideranda est: si fœda, monstrosa, vel indecens sit; malum spiritum sub ea latere, sive dœmonem, sive animam damnatam, demonstrat. Qui in virtute parum progressus est, si nihilominus ei Angeli boni, aut Sancti alicujus vel ipsius Christi objiciatur, præsertim crebriùs apparitio; hoc ipso suspectam habere debet, tanquam indigno & præter communem morem, factam. Ut ergo larvam, si quam gestat, apparenti detrahat, actus aliquos externos profundæ humiliationis exerceat, exemplo multorum Sanctorum. Non solet illos tolerare dœmon.

Animarum damnatarum apparitiones sub specie Sanctarum, ijsdem signis examinari & detegi debent.

Animæ Purgatorij communiter non nisi ad suffragia petenda mitti solent; quibus obtentis non redeunt, nisi fortè ad gratias agendas: Quodsi animæ apparentes aliqua restitui mandent, certaq; preces, Sacrificia, eleemosynas &c. petant, atq; ijs peractis adhuc molestæ siat & frequenter compareant; hoc ipso suspectas se faciunt. Similiter si res curiosas, malè cohærentes aut falsas, vel alicui tertio noxias referant, discordias seminent, à trita Sanctorum via & fervore in divino obsequio, virtutum exercitio, & & regularum observantia abducant, de Defunctis in purgatorio vel inferno detentis, nimis multa aut incredibilia revelent &c. In omnibus ut non debemus esse duro, sic nec levi corde ad credendum. Nec præcipitanda sententia. Multa detegit tempus, quæ aliunde discerni non poterant. Fraudes processu temporis se ipsas produnt.

FERIA II.

MEDITATIO: *De quorundam dubitatione post complures jam factas Apparitiones CHRISTI.* Matt: 28.

1. ADora DEUM O. M. & considera: quàm multùm à Christo Redemptore, quàm parum requisierit à nobis pro salute nostra æterna. Ab illo impendendi erant labores, sudores, lacrymæ, sangvis, vita: à nobis fides requiritur & baptismus. *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvabitur: qui verò non crediderit, condemnabitur* Marc: 16. Requiritur tamen fides viva & practica; *quæ* scilicet *per charitatem operatur;* Galat: 5. Fides autem quàm facilis, præsertim nobis, quos tot sæcula, tot miracula, tot Martyria erudierunt & convicerunt! Fidem vivam connaturaliter sequitur Charitas; nisi ipsi prohibeamus. Quis enim verè, atq; ut oportet, credat: DEUM esse Bonum super omne Bonum, esse Omne Bonum in se, esse summè bonum nobis; & non incalescat amore tanti Boni? Suspicio & veneror infinitam Liberalitatem tuam Opt: Max: DEUS. Pro pomo donas regnum! *Pro nihilo salvos facies illos.* Psal: 55. Verùm hoc ipsum modicum seu nihilum, præstare non potero, nisi Tu dederis. Adjice hoc auctarium gratijs tuis & egestati meæ.

2 ADora D. JESUM, & considera miram Benignitatem ejus apparentis in Galilæa pluribus quàm quingentis fidelibus. Jam octo præcesserant ejusdem apparititiones factæ varijs, & fide dignissimis: jam

fama

fama resurrectionis longè latèq; sparsa erat, palpaverat vulnera redivivi Domini Thomas, comederat aliquoties cum discipulis, testabantur Apostoli omnes cum MARIA Matre JESU, tendebantq; in Galilæam, ut iterum ibi viderent eum, sicut constituerat illis JESUS: & tamen ubi collectæ multitudini apparuit, *Videntes eum adoraverunt; quidam autem dubitaverunt* (Matt. 28.) scilicet ex eadem multitudine. Tam tardo duroq; corde sumus ad credendum fide divinâ. Nihilominus benignissimus Salvator *accedens locutus est eis, dicens: Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes &c.* Apostolis amplissimè communicavit potestatem suam, Credentibus autem miraculorum virtutem, & salutem æternam: Marci 16. omnibus perpetuam promisit præsentiam opis suæ: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usq; ad consummationem sæculi.* Matt. 28. En, ut totus suavitas & gratia est JESUS. Et non amabis eum super omnia Anima mea?

3. VEnerare DEIparam V. & considera: non esse fortuitò aut per incuriam scriptorum divinorum factum; quod nullam usquam faciant mentionem apparitionis, qua Christus redivivus spectandum se exhibuerit Matri. Factum id, tum ad magis commendandam Christi in Matrem pietatem; de quo nemo prudens præsumere potest, quod ipsam, præ cæteris morte sua afflictam, neglexerit, dum tam liberaliter se manifestavit discipulis alijsq; mulieribus: tum ad extollendam inconcussam sanctissimæ Matris fidem, qua ex testimonio divinarum scripturarum & verbis ipsius Christi, certior erat de ejus resurrectione, quàm si oculis vidisset resurgentem; ideoq; speciali revelatione eam non indiguisse, indicant. O Mater S. viva & magna erat fides tua: anima semianimem meam.

Propositum v. g. de majore animi applicatione & vigore, dum recitabis Symbolum Apostolorum.

LECTIO PRACTICA.

Regulæ quædam ad discretionem spirituum perutiles.

OPportunè monuit S. Joannes ep. 1. c. 4. *Charissimi, nolite omni spiritui credere: sed probate spiritus, si ex DEO sint.* At hæc probatio satis difficilis est: & facile in non leves declinat errores: nisi valde accurati simus, nec tam proprio utamur judicio, quàm Sanctorum, quos cœlestis quædam prudentia, & multa in tali negotio experientia, uberiùs commendavit. Porro nomine *Spirituum,* de quorum discretione hìc agitur, non solùm intelliguntur DEUS, & Angeli boni malive, atq; animæ separatæ, de quorũ apparitionibus Lect. præcedente actũ est: sed etiã interni motus animi,

seu Affectus excitari in homine (juxta illud Luc. 9. *Nescitis cujus spiritus estis*: id est, quo affectu, bono malove, moveamini) à spiritibus illis, sive per externam apparitionem, sive per internam solùm suggestionem & inspirationem. Sæpe enim existimamus, nos DEI spiritum habere, moveri divino zelo &c: cùm revera motus sit amoris proprij, aut à maligno spiritu concitatus.

Ad hos igitur spiritus, seu motus, & authores illorum discernendos, plurimùm juvare poterunt Regulæ quædam excerptæ ex ijs, quas S. P. N. Ignatius in suo Exercitiorum Spiritualium libello tradidit, ab Apostolica Sede cum ipsis Exercitijs approbatas. Habuit autem hic Sanctus, præter cœlestes mentis illustrationes, magnam in talibus experientiam, utpote à varijs spiritibus, præsertim initio conversionis suæ, diu multumq; exercitatus.

1. Illis, qui facile peccant lethaliter, fere solet inimicus noster illecebras carnis, & sensuum delectationes objicere: ut eos teneat sibi mancipatos, ac semper cumulum peccatorum augeat. Spiritus verò bonus è contrario conscientiam illorum pungit assiduè, & per synderesis, rationisq; officium à peccando deterret.

2. Illis verò, qui se à vitijs purgare student solicitè, & in obsequio divino proficere magis magisq; ; immittit spiritus malignus molestias, scrupulos, tristitias, rationes falsas, & alias id genus perturbationes, quibus profectum illorum impediat. Spiritui autem bono proprium est, recte agentibus animum ac vires addere, consolari, devotionis lacrymas ciere, illustrare mentem, & tranquillitatem dare ; ut sublatis omnibus obstaculis expeditius alacriusq; per bona opera semper ultra tendant.

3. Advertendum: Proprium esse DEI, & Angeli boni ; veram infundere animæ lætitiam spiritualem, eamq; sublata perturbatione & tristitiâ, quàm ingessit dœmon, movere, & cum ipsa tractare : cùm è contrario dœmon in turbido piscari soleat.

4. Solius est DEI, consolari animam nulla præcedente ex parte hominis, vel objectorum, circa quæ versatur consolationis causa. Id enim juris in creaturam liberam & in cor ejus sibi reservavit Creator: ut ipsâ repente movere possit, & ex supernaturali aliquo objecto consolatione implere ; quàmvis nullus in sensibus vel phantasia circa hoc objectum præcesserit alius actus: ut latiùs declarat Suarez tom: 4. de Relig: tr. 10. lib. 9. Quando autem præcessit consolationis causa aliqua ; auctor ejus esse potest tam malus, quàm bonus Angelus : sed ad fines tendunt contrarios. Bonus quidem, ut anima in boni cognitione & operatione magis proficiat : malus autem ut malè agat, & pereat.

5. Id moris est spiritui maligno: ut in lucis Angelum transfigurans se se, cognitis pijs animæ votis, primùm obsecundet; mox inde ad perversa sua desideria illam alliciat. Simulat enim ab initio, bonas sanctasq; hominis cogitationes fovere: at deinde in occultas fallaciarum suarum pedicas paulatim tractum illaqueat.

6. Sedulò & accuratè excutiendæ sunt cogitationes nostræ circa principium, medium & finem suum. Quæ tria si rectè se habeant, Angeli boni argumentum est, cogitationes illas suggerentis. Sin autem sentiatur mens avocari à bono; vel ad minus bonum impelli, tædio & angore affici: signum est spiritus maligni.

7. Quoties contingit in aliqua suggestione deprehendi hostem ex cauda sua serpentina, id est, ex fine malo, ad quem ducit: oportet se recolligere & reflectere supra totum contextum cogitationum & motuum, ut deprehendatur ipsius modus fallendi & seducendi, atq; inposterum caveri possit.

8. Diversimodè se animis proficientium insinuat uterq; spiritus: Bonus quidem leniter, placidè, ac suaviter, sicut aquæ stilla in spongiam illabens; malus verò duriter, implacidè & violenter cum strepitu quodam, sicut imber decidens in petram.

9. Hostis noster naturam & amorem muliebrem refert. Nam sicut fœmina cum viro vixans, si hunc conspexerit, erecto & constanti vultu sibi obsistere; abjicit illico animum, ac terga vertit. Sin verò timidum fugacemq; adverterit; in extremam surgit audaciam, & ferociter sævit in eum.

10. Sequitur etiam hostis noster morem nequissimi alicujus amatoris, qui honestam puellam aut conjugem volens seducere, summopere procurat; ne consilia & solicitationes suæ parentibus aut marito patefiant: cùm sciat hoc pacto de votis & conatibus suis actum esse. Sic procurat diabolus; ne suggestiones suæ Superiori, Confessario, vel alteri viro pio & docto prodantur. Deniq; imitatur etiam belli Ducem arcem aliquam in suam potestatem redigere molientem; qui diligentissimè explorat, qua parte debilior sit: ut ibi potissimum eam aggrediatur. Muniendi ergo solicitè sensus omnes, & animæ potentiæ.

FERIA III.

MEDITATIO: *De Virtute miraculorum à Christo concessa fidelibus.* Marci 16.

I. Adora DEUM O. M. & considera: quanto beneficio afficiat eos, quos ad veram Fidem vocat. Nullis meritis ea gratia obtineri potest. Est enim prima in ordine supernaturali, & fundamentum, seu radix,

cæterarum. Deinde Donum fidei vivæ & constantis sequitur certa salus, sicut incredulitatem æterna damnatio. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur.* Marc. 16. Verbo *salvus erit*, indicatur consecutio vitæ æternæ omni bonorum genere refertæ: verbo *Condemnabitur*, significatur mors æterna omni suppliciorum genere atrocissima. Vocat igitur Benignissimus DEUS, & amplissimis præmijs propositis & gravissimis supplicijs intentatis: gratijs insuper, seu internis luminibus & motionibus illustrat intellectum, & inclinat voluntatem; ut homo morigerum se præbeat, & immunis sit à tantis tormentis, veniat autem in possessionem bonorum illorum infinitorum atq; æternorum. Miseros æternùm, qui vocantem negligunt audire! Æternas igitur & infinitas tibi debeo gratias & laudes Opt: Max: DEUS: quòd eo beneficio immeritum me præveneris. Consummabis illud; si perseverantiam, & zelum vocandi alios concesseris.

2. ADora D. JESUM, & considera: quantam credentibus promiserit potentiam. *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur: In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, & si quid mortiferum bibent, non eis nocebit: super ægros manus imponent, & bene habebunt.* Ibid. Exercent hanc potestatem etiam hodie fideles: quidam ad literam, alij mysticè seu spiritualiter. Non enim desunt etiamnum in Ecclesia Thaumaturgi, quibus non solùm naturales causæ & morbi, sed ipsæ tenebrarum potestates subjectæ sunt. Similem potestatem exercent spiritualiter Ministri Ecclesiæ. Dœmonia ejiciunt: dum animas peccatorum à peccatis absolvunt. Lingvis loqvuntur novis: dum injuriarum condonationem & inimicorum amorem prædicant. Serpentes tollunt: dum hæreticos confutant & convertunt. Mortiferum sine noxa bibunt: dum innoxiè aures confitentibus accomodant. Ægros sanant: dum malè habituatos ad vitam probam reducunt. Eadem miracula patrant fideles in se ipsis. Dœmonia ejiciunt per sinceram peccatorum suorum confessionem: Lingvis loqvuntur novis, seriam morum emendationem, vel injuriarum condonationem promittentes: serpentes tollunt: pravis dœmonis suggestionibus resistendo: Mortiferum sine noxa bibunt, dum solicitati ab improbis socijs non consentiunt: Morbos suos curant, pravos affectus & mores emendando. Benedictus DEUS & Redemptor noster, JESUS: qui potestatem talem dedit hominibus! Utar illa liberaliter.

3 VEnerare DEIparam V. & considera eam, ut credentium omnium Fidelissimam (Beata, quæ credidisti. Luc. 1.) ita Potentissimá ob

collatam

collatam ipsi præ cæteris omnibus ampliorem Virtutem miraculorum? Plenus est mundus libris, ipsius potestatem in malignos spiritus, malas bestias, & his pejores homines, & in omne genus morborum, narrantibus. Plenæ sunt Christiani orbis Ecclesiæ ejus Imaginibus, prodigiosis gratijs à DEO honoratis. Plena sunt sæcula omnia miraculosis effectibus quos miserorum bono operata est Domina totius naturæ. Unum, oro, adjice, ô Potentissima, tam multis & magnis, miraculum ut me facias ferventem DEI tuumq; servum.

Vide deniq;: quem hodie amore DEI, JESU & MARIÆ, elicias Actum virtutis omnino heroicum: qui inter ordinarios actus pietatis tuæ sit miraculi instar.

LECTIO PRACTICA.

De Gratijs fidelibus gratis datis.

THeologi distingvunt Gratias Divinas supernaturales in *Gratum facientes*, & Gratis datas. Illæ sunt quæ à DEO conferuntur homini in proprium ipsius bonum & salutem, & vel sanctificant formaliter hominem gratumq; DEO faciunt, ut Gratia Habitualis (quæ etiam Sanctificans & Justificans dicitur) vel ordinantur disponunturq; ad hanc vel augmentum ejus ; ut Gratiæ Actuales, quæ etiam Auxiliares dicuntur. Quàmvis verò omne Donum à DEO liberaliter collatum homini, dici posset Gratia gratìs data: ex communi tamen usu Theologorum illæ dicuntur Gratiæ gratìs datæ, *quæ dantur homini non in proprium seu privatum ejus bonum & salutem ; sed in bonum aliorum, ad promovendam æternam eorum salutem.*

Talium Gratiarum species 9 enumerantur ab Apostolo 1. Cor: 12. Fides, Sapientia, Scientia, Gratia Sanitatum, Operatio virtutum seu Miraculorum, Prophetia, Discretio spirituum, Genera lingvarum, Interpretatio sermonum. *Alij per Spiritum*, inquit Apostolus, *datur Sermo sapientiæ, alij Sermo scientiæ secundum eundem Spiritum, alij Fides in eodem Spiritu, alij Gratia sanitatum, alij Operatio virtutum, alij Prophetia, alij Discretio spirituum, alij Genera lingvarum, alij Interpretatio sermonum. Hæc autem operatur unus atq; idem spiritus dividens singulis prout vult.* Nota: *Prout vult*; non pro ut homo meretur. Communiter tamen Eximijs Sanctis dantur plures, vel in gradu perfectiore, hujusmodi Gratiæ, quàm alijs minoribus. Dico *communiter*: quia subinde minores Sancti operantur plura miracula, aut majora, quàm Majores; vel quia isti rariùs ea petunt à DEO, ne pro Sanctis habeantur, vel alias ob causas. Unde ex pluralitate vel magnitudine Miraculorum non licet inferre majorem alicujus sanctitatem, vel copiam majorem Meritorum apud DEUM: præsertim cùm etiam magnis peccatoribus subinde sciantur

concessa: ut Judæ proditori & Caiphæ summo sed sacrilego & sangvinario Judæorum Pontifici. Quemadmodum enim in Sacramentis conficiendis non requisivit necessario sanctitatem seu justitiam Ministrorum: ita ad percipienda prædicta Spiritus S: dona; siquidem ea non in bonum ministrorũ, sed populi sui ordinavit.

Porro *Sermo Sapientiæ*, qui inter Gratias gratis datas primo loco ponitur, prout Cornel. à Lap. in cit: textum explicat: est Facultas explicandi altissima mysteria Fidei v. g. Trinitatis, Incarnationis, Prædestinationis &c. *Sermo scientiæ*, prout explicat S. Augustinus lib. 12. de Trinit: c. 14. & 15. est Donum explicandi ea, quæ ad actiones Christianas & mores pertinent. Et sic capit Scientiam Apostolus cap. 8. Alij intelligunt Facultatem explicandi res fidei facile per exempla, comparationes, rationes naturales &c. Per Gratiam *Fidei* non significatur Assensus Fidei Theologicæ: sed vel Donum intrepidè profitendi fidem, juxta S. Ambrosium & Anselm. Vel singularis & constans Fiducia in DEUM ad quidvis impetrandum, & miracula faciendũ; ut vult S. Chrysostomus: vel Intelligentia magna mysteriorum fidei ad ea contemplandum & explicandum: prout censet Cornel. à Lap: *Gratia Sanitatum*, est Virtus curandi mrobos virtute supernaturali. *Operatio Virtutum*, est Vis patrandi miranda majora v. g. excitandi mortuos ejiciendi dœmones, transferendi montes &c. *Discretio spirituum*, significat Artem discernendi tum externas apparitiones Angelorum bonorũ malorumve, & animarum; tum internos animi motus à spiritu bono vel malo concitatos. Per Prophetiam intelligitur Donum infallibiliter prædicendi futura. *Interpretatio sermonum* est Facultas exponendi dicta vel scripta obscuriora, præsertim in Divinis Literis. *Genera Lingvarum* est Donum loquendi vario idiomate variorum populorum, etiamsi quis lingvis addiscendis non studuerit: Vel etiam loquendo uno idiomate ita: ut intelligatur prædicator à populis variarum lingvarum.

Ex his Gratijs, quasdam esse habitus stabiles seu permanentes in homine, qui eas accepit, censet Cornelius cum Bellarmino lib. 1. de Grat: c. 10. scilicet Sapientiam, Scientiam, Fidem, Genera lingvarum & Interpretationes sermonum, quandoq; etiam Discretionem spirituum: Reliquas autem non esse habitus sed motiones transeuntes. Inter cætera autem hujusmodi dona magis necessaria sunt, præsertim promoventibus salutem animarum, Donum Sapientiæ, Donum Scientiæ, Interpretatio sermonum & Discretio spirituum. Si DEUS pro sua liberalitate etiam alia adjiciat: humiliter illis utendum est, prudenter & opportunè: considerando; quod non propter merita,

merita, aut in bonum privatum ejus, cui data sunt, sint donata, sed in bonum & salutem proximi. Cæterùm melius est, & DEO gratius, operari miracula virtutum, id est Heroicos actus charitatis, patientiæ, clementiæ &c. quàm patrare miracula prodigiorum.

FERIA IV.

MEDITATIO: *De Præsentia CHRISTI continua, promissa fidelibus.* Matt: 28.

1. ADora DEUM O. M. & considera: ipsum continuò & intimè nobiscum esse, non solùm per Essentiam & Immensitatem suam; sed etiam per assiduam Beneficentiam. Nullum est momentum, quo providum oculum suum & manum beneficam nobis subtrahat: aliàs eodem momento relaberemur in originale nostrum nihil. Ipse conservat nos, & velut in manibus portat aut sinu suo; ipse fovet, & solicitæ nutricis, imò matris instar, alit nos; ipse amantissimi patris more gubernat nos, continuò operatur nobiscum, etiam vilissimas, & sibi displicentes exercendo actiones; ipse per varia supernaturalia principia elevat nos, ut mereamur vitam & gloriam æternam. Et hæc omnia præstat non bonis solùm, sed etiam pessimis. Suspicio, & æstimo continuam summamq; erga nos Beneficentiam tuam, Opt. Max. DEUS. Quid tibi retribuam pro omnibus, quæ tribuisti mihi? Suscipe me ipsum, & utere, arbitrio tuo, pro gloria tua.

2. ADora D. JESUM, & considera verba ejus liquidissimi plena solatij; Matt. 28. quibus assiduam præsentiam & opem suam promisit fidelibus suis, in apparitione super montem Galilææ: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usq; ad consummationem sæculi.* Perpende singula verba: & invenies præsentissimum & indeficiens in omni adversitate, afflictione & persecutione solatium atq; præsidium. *Ego*, DEUS omnipotens & misericors, Dominus & Pater vester, Rex & Magister vester, Salvator & Cibus vester; *vobiscum*, quos in manibus meis descriptos, in corde collectos habeo; pro omnibus pretiosam animam meam posui, ac iterum, si necesse esset, ponere paratus semper ero; *Sum*, in hoc, & ex hoc momento indesinenter; *Omnibus diebus*, sive serenis sive tristibus; *Usq; ad consummationem sæculi*, gubernando, docendo, protegendo, solando, & adjuvando vos, præsertim difficillimis, quæ succedent, temporibus. Post consummationem sæculi non tam ego vobiscum ero, quàm vos mecum in regno meo, edentes & bibentes super mensam meam, jucundi & gloriosi in sæculorum sæcula. Quid ampliùs optare possumus? Restat; ut soliciti simus quo-

modo tantæ Gratioſiſſimi JESU in nos propenſioni reſpondeamus; & ab ipſo nullatenus ſeparari nos permittamus. O Domine, æternùm Tuus!

3. VEnerare DEIparam V. & conſidera: quòd & ipſa, quantùmvis loco à nobis longiſſimè ſejuncta, nobiſcum tamen ſit uſq; ad conſummationem ſæculi per providentiam maternam, per præſentiſſimum auxilium & opportunum ſolatium. Mater eſt chariſſimæ ſibi prolis, in valle lacrymarum poſitæ: Domina eſt numeroſiſſimæ familiæ in medio hoſtium ferociſſimorum periclitantis: numquid non aſſiſtet nobis cum JESU, ut Debbora cum Barac populo ſuo; Jud: 4? Ades: & aderis ſemper nobis, ô Benigniſſima. In te poſt JESUM ſperabo: non confundar in æternum.

Propone majorem conjunctionem cum DEO, J. & M. per gratiam & exercitia pietatis.

LECTIO PRACTICA.

Quomodo ſemper in Præſentia DEI verſari poſſimus & debeamus.

NOn ſolùm æquitas rei, ſed etiam ingens utilitas urget: ut, quantum humana patitur infirmitas, ſemper DEUM præſentem in viva recentiq; memoria habeamus. Æquitatem proponunt SS. Ambroſius & Bernardus lib. de dignit: condit: hum: Quia *ſicut nullum eſt momentum, quo homo non utatur, vel fruatur bonitate DEI & Miſericordia: ſic nullum debet eſſe momentum quo eum præſentem non habeat in memoria.* Et Gregorius Naz: Orat: de cura pauperibus præſtanda: *Non tam ſæpe reſpirare oportet, quàm DEI meminiſſe. DEUS enim perpetuò & continenter nobis bene facit.* Et infra: *Ut corpus animæ, rami arboris trunco, ſolares radij ſoli uniti eſſe debent; ut ab illis virtutem ſuam trahant: ita menti ſemper uniti eſſe DEO deberemus.* Accedit: quod DEUS quemq; noſtrum ab æterno in mente ſua divina habuerit habeatq; inceſſanter præſentem, idq; in ſummum bonum noſtrum, diſponendo inæſtimabilia & innumera beneficia nobis conferenda: Chriſtus quoq; ſuam nobis præſentiam promiſit præſtatq; fideliter & variè uſq; ad conſummationem ſæculi, præſtiturus deinceps longè perfectius in beata æternitate. Nonne igitur æquiſſimum eſt: ut & nos, quantum poſſumus, vicem illis reddamus: ne renovemus gravem illam Deuter. 32. querelam: *DEUM, qui te genuit, reliquiſti: & oblitus es Domini Creatoris tui!*

Utilitas ingens hujus Exercitij manifeſtiſſima eſt. Quod enim efficacius eſſe poteſt medium ad vitanda peccata, ad reſiſtendum fortiter tentationibus, ad ſuperandas quaſvis in via virtutis difficultates, quàm identidem recolere Propheticum illud: *Vivit Dominus, in cujus conſpectu ſto?* Vivit, & videt DEUS. *In ipſo vivimus, movemur & ſumus:* Vivamus ergo circumſpe-

ctè, be

ctè, bonum operemur strenuè, & nunquam deficiamus ab eo affectu, à cujus recedere non possumus conspectu. Conclusionem hanc formavit etiam Seneca ep: 10. *Sic vive cum hominibus, tanquam DEUS videat: sic loquere cum DEO, tanquam homines videant.*

At quis modus, assiduam hanc præsentiam DEI imprimendi menti? Nimis per se labilis est Memoria nostra; nimis importunè se ingerit negotiorum turba, & exturbat DEUM. Varia, eaq; idonea, suppeditant media Ascetæ, præsertim *Franciscus Arias, de præsentia DEI. Alphon: Rodriquez p. 1. tr. 6. Lanc: Opusc. 11 Lohn: tit: 41. &c.* Monent autem pleriq;: ad intentionalem hanc DEI Præsentiam acquirendam, non esse necesse, imò nec expedire; ut DEUM nobis imaginemur sub aliqua corporali specie nobis assistentem, aut Christum lateri nostro semper hærentem. Tales enim imaginationes fatigant caput, & minùs sunt efficaces.

Primum igitur Medium est: Assvescere vivacibus Fidei actibus eliciendis de Immensitate DEI, & intima in rebus omnibus præsentia. Hujus exercitij beneficio ita certificamur de præsentia DEI in omni loco, ut postea facillimè, etiam absq; expresso Fidei actu elicito, & absq; imaginatione ullius speciei corporalis, occurrat menti: *Est DEUS hìc.* Vel: *Dominus adest.* Et sic cum ipso agere possumus & reverenter, ut cum domino; & familiariter, ut cum amico præsente.

Secundum Medium est Consvetudo, statim, ac evigilamus è somno, convertendi mentem ad DEUM, adorando ipsum aliosq; congruos tempori actus eliciendo; & quantum fieri potest, diligenter procurando: ut tum tempus Meditationem antecedens pijs circa DEUM actibus transfigamus, tum ipsam Meditationem cum omni diligentia absolvamus. Applicatio enim matutina, & seria, mentis ad DEUM & Divina, imprimit animæ, nondum cogitationibus & negotijs alijs præoccupatæ, specialem erga eadem objecta affectum; ut etiam deinceps facile & libenter versetur circa DEUM & Divina. Et hoc est, quod S. P. N. Ignatius dicere solebat: *Horâ surgendi res DEI esse vehementiores.*

Tertium, est Fervor Divini Amoris. Nam quod vehementer amamus, de eo maximè, frequentissimèq; cogitamus, atq; ad ipsum creberrimè anhelamus, secundum illud: *Ubi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.* Experientia id testatur: possetq; unicum hoc medium abunde sufficere ad assiduã præsentis DEI memoriam. Dirigendi autem sunt actus nostri amoris, laudis, glorificationis, oblationis &c. ad DEUM, non quasi longè dissitum, atq; in cælesti Curia residentem, sed ut nobis intimè præsentem.

Quartum est, Actionibus omnibus, saltem præcipuis, per diem occurrentibus, præmittere vivacem & amore plenam Intentionem v. g. *Tibi DEUS! Propter te Domine. Ad gustum tuum DEUS. Amore tui &c.* Illæ autem Intentiones efficaciores sunt ad conjungendos nos DEO, & vivam ejus memoriam tenacius menti imprimendam, quæ versantur circa ardua quædam, & cum aliqua mortificatione conjuncta. Cùm enim tunc sit major animæ conatus: etiam vivaciores post se species relinquit.

Deniq; frequens usus Orationum Jaculatoriarum plurimùm ad hoc negotium facit. Dum enim per illas crebrò avellitur animus à cæteris cogitationibus & negotijs, atq; in DEUM colligitur: nascitur Habitus agendi & conversandi familiariter cum DEO. Et sic DEUS magno nostro bono, fieri nobis potest intentionaliter præsens, saltem moraliter continuò. Quod enim non nisi modicè interrumpitur, pro Continuo moraliter habetur.

FERIA V.

MEDITATIO: *De prædicta à CHRISTO Ascensione sua.* Joan. 16.

1. ADora DEUM O. M. & considera: æquissimo consilio ipsum ordinasse; ut discipuli Christi, & eorum posteri privarentur ad tempus visibili præsentia ipsius. Ratio ex parte illorum erat 1. Ut majus meritum haberet fides credentium in eum, quem oculi non videbant. 2. Ut scirent: omne bonum spei suæ non in terra, sed in cœlo quærendum esse: sperarentq;, se eo demum per DEI gratiam secuturos esse quò Caput ipsorum præcessisset. 3. Ut magis defæcaretur, seu spiritualior redderetur eorum erga Christum amor. Vix enim ex sensuum illecebris, quantumvis sacris, purus ac verè divinus nascitur amor. Amatur plerumq; certarum personarum familiaritas, non amore DEI aut commodi nostri spiritualis: sed quia species ejus blanditur oculis, sermo demulcet aures, conversatio oblectat animum. Hinc DEUS ablegari voluit ab Abrahamo Ismaelem, à Rebecca Jacobum: ipsi quoq; seni Jacobo subtraxit Josephum. Purga, emunda, exure, ô Domine amores meos: ut privari gaudeam etiam charissimis propter Te.

2. ADora D. JESUM, & considera: quomodo maturè disposuit Apostolos, ut æquanimiter ferrent, corporali ejus præsentiâ dulcissimâ privari. Inprìmis à primo die resurrectionis usq; ad Ascensionem, non continuò commorabatur inter illos, quamvis sibi charissimos: sed per intervalla invisebat; nunc eorum aliquem seorsim, nunc collectos omnes, vel complures; ut sensim assvescerent ipsius convictu carere; & discerent, ij,

quibus

quibus est authoritas disponendi de alijs, præparare subditorum animos ad ordinationes insperatas. Deinde ut illis eximeret errorem, existimantibus, ipsum sibi jam allerturum regnum Israel, & more terrenorum regum dominaturum: opportune, insinuavit; se aliò migraturum: prout in procinctu ad passionem dixerat: *Vado ad eum, qui misit me.* Joan. 16. Cursum consummavi, negotium à Patre commissum confeci; in reliquo reposita est mihi corona Justitiæ in sinu Patris. Præcedam: sequemini. Interim ut filij lucis ambulate, & regno vosmet parate æterno in cœlis. Gratiosissime Salvator, accusaremus infelicitatem nostram, qui in postrema hæc tempora incidimus; quod Te videre, tecumq; conversari nunquam licuerit: nisi Beatos prædicasses oculos, qui non viderunt, & crediderunt. Ah liceat tandem venire in conspectum & amplexus tuos!

3 VEnerare DEIparam V. & considera: incredibilem ejus magnanimitatem: qua æquè disposita fuit ad fruendum, atq; ad carendum corporali præsentiâ Filij sui dilectissimi & gloriosissimi. Non possunt matres nostræ ad hoc perfectionis culmen eniti; quas honor & amor filiorum ita adstringit ipsis: ut separatio sit eis morte acerbior. At MARIA altioribus nixa principijs, placitum divinæ voluntatis habebat potius omni solatio, quod ex corporali præsentia Filij capere poterat. Magna es, & non est similis tibi in omni virtute tua, ô Perfectissima Matrum! Fac: ut & ego nemini ita sim mancipatus corde; ut illo carere nolim, si DEUS velit: aut ratio salutis meæ requirat.

Vide igitur: an alicui personæ inordinato & immoderato affectu adhæreas; & maturè expedias te ex hoc laqueo.

LECTIO PRACTICA.

De attollendis sæpe oculis & mente in cœlum

MIrum valde est: hominem, cui Conditor os sublime dedit, cœlũq; tueri jussit, & erectos ad sidera tollere vultus (prout etiam gentiles agnoverunt) hominem, inquam, more cæterorum animantium tam pronum esse in terram, & oculos mentemq; illi ita habere immersam: ut rarus sit cœli spectator, & earum, quæ ibi paratæ sunt ei voluptates, planè incurius contemplator. Faciliùs profectò cor abstraheremus à vilibus & caducis mundi bonis, atq; à fœdis voluptatibus carnis: si frequentiùs & attentiùs spectaremus atq; consideraremus; quanta bona, quales, easq; æternas, delicias minore labore & sumptu obtinere possumus in cœlo. Faciliùs toleraremus injurias aliaq; adversa: si cogitaremus coronas pro ipsis nobis repositas in cœlo. Prodesset nobis magis hic aspectus, quàm ex

luto & adipe concretis animalibus. Observatum enim est in porcis; quòd, dum læsi, horrendis clamoribus omnia implent, si ponantur in tergum supini, ore cœlum versùs porrecto, confestim clamare desinant.

Quando in Lavacro Regenerationis renati sumus, jus acquisivimus Civitatis Sanctæ, supernæ Jerusalem, & Terra viventium sine morte, labore, atq; ærumna, facta est Patria nostra. Charactere baptismali initiati sumus Cives cœli, teste Apostolo Ephes. 2. *Jam non estis hospites & advenæ, sed estis Cives Sanctorum & domestici DEI.* Cur ergo, præter morem viatorum, tam raro nos convertimus, & respicimus Patriam illam nostram, tam splendidá tam beatam? Ingens ibi nos charorum numerus expectat, inæstimabiles repositæ sunt divitiæ; perennibus & corporis & animi voluptatibus affluit regio illa: cur hanc miseriarum vallem tantopere amamus? cur in illa sedē figimus, tanquam migraturi nunquam?

Nobilis Germanus prædives Gerardus à Kampis, unus è mundi civibus & amicis, magnis sumptibus, singulari arte & elegantia, construxerat sibi palatium in loco amœnissimo, illudq; omni genere deliciarum impleverat. Convocavit ergo ad solemne epulum amicos suos, omnemq; vicinam nobilitatem, encænia celebraturus. Monstravit hospitibus palatij magnificentiam, splendorem, commoditates, situm amœnissimum atq; opportunissimū, aquarum præterfluentium, hortorum circumjacentium speciem lætissimam; nec occultavit thesauros sua & majorum industriâ atq; labore collectos; epulum dedit regale, Musicam prope cæleştem. In medio gaudiorum dissimulare non potuit vanitatem suam. Quærit ergo ex convivis: quid placeat hic Paradisus? Num aliquid deesse putent ad amœnitatem, elegantiam, & voluptatem illius Paradisi, in quo positi fuerunt protoparentes? An non hìc vita duci possit omnino beata? Annuerunt faciles convivæ, omnia prolixè & magnificè, prout Patremfam: velle noverant, collaudantes. Unus tamen quispiam confidentiâ majore usus, omnia sibi perplacere dixit, præter unum quiddam, ipsi domus hero non leviter incommodum. Rogat iste: quid istud? Foramen unum omnino occludendum esse; ut tam nobile palatium omnibus numeris absolvatur: respondit alter. Quod foramen? Ostium domus, inquit, per quod te paulò post efferent in arctum & tenebrosum tumulum ex aula tam splendida. Largo cachinno exceperunt omnes ingeniosum jocum. At herus sensit sibi vitalia tacta. Et quàmvis tunc dissimulârit vulnus; non tamen illi mederi potuit, nisi in domo religiosa, cui relicto mundo cum omni pompa & voluptate sua, se inclusit, Christum pauperem secutus. *Lohner: in Biblioth. Man:*

Meritò

Meritò S. Martinus, in supremo morbo admonitus, ne se fatigaret oculis semper in cœlum intentus: *Sinite*, inquiebat, *me potiùs cœlum, quàm terram aspicere*. Ibi thesaurus meus indeficiens, ibi voluptas sine mœrore, gaudium sine dolore, vita sine morte: Ibi est, quidquid volumus; non est, quidquid nolumus. O cælestis Hierusalem! O quando te, mea patria possidebo! Non rarò exclamabat S. P. N. Ignatius: *O quàm mihi sordet terra, dum cœlum cogito!* Quid principum palatia cælestibus comparata, nisi agrestium mapalia? Quid amplissima regna, nisi tripalmares areolæ, non tam floribus consitæ, quàm vepribus horridæ? Quid terrestres deliciæ, nisi dulcia venena? Quid opes & honores, nisi vanissima vanitas? Et tamen tam magni fit hæc vanitas, tam dulcis est mundi fumus, tam pretiosum est lutū terræ, tam charum hoc exilium: ut cælestis patriæ fere nullo, aut exiguo teneamur desiderio. *O curvæ in terras animæ, & cœlestium inanes!* exprobrat Christianis ethnicus pöéta. Sursum oculos! *Sursum cor, sursum amorem, sursum spem*: monet Augustinus. Quid amas caro mea? *Quid desideras anima mea? Ibi est, quidquid amatis, & desideratis*: inquit Anselmus Prosolog. c. 25.

FERIA VI.

MEDITATIO: *De Modico videndi & non videndi Christum.* Joan. 16.

1. ADora DEUM O. M. & considera: ipsi secundùm Magnitudinem seu Immensitatem, & Æternitatem suam considetato, non nisi modicum, modicissimum, imò nihil esse omnia temporalia. De Temporibus, quæ continuo fluxu nobis dies, annos, & sæcula constituunt, dicit sacer Psaltes Psal. 89. *Quoniam mille anni ante oculos tuos tanquam dies hesterna quæ præterijt*. Satis modicum dixerat, comparando tot annos cum una die; at ubi adjecit: *tanquam dies hesterna, quæ præterijt*; jam illud ipsum modicum evanuisse, in nihilum, ostendit. De magnitudine nationum & multitudine gentium testatur Isaias c. 40. *Ecce gentes quasi stilla situlæ, & quasi momentum stateræ reputatæ sunt: ecce insulæ quasi pulvis exiguus. Omnes gentes, quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum & inane reputatæ sunt ei.* Quid ergo inflamur misera puncta? quid dilatamus fundos & philacteria inanissimum nihil? Tanti sumus coram DEO, quantos nos virtus facit, præsertim Humilitas. Hac, da, ut crescam coram Te Magne DEUS.

2. ADora D. JESUM, & considera illa ejus verba Joan. 16. *Modicū, & jam non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me*, dicta ad discipulos post ultimam cœnam ante passionem, duplicem habere sensum.

Possunt enim intelligi 1. de tempore intercedente ab ea hora, qua Dominus cum discipulis loquebatur, usq; ad mortem ipsius in cruce; quod paucarum horarum tempus fuit, adeòq; modicum. Post hoc illud sequebatur modicum, scilicet triduum non integrum in sepulchro; post quod discipulis redivivus apparuit, eosq; ineffabili gaudio implevit. 2. Intelligi potest de toto tempore, quo tam ante, quàm post resurrectionem conversaturus erat cum Apostolis usq; ad Ascensionem; quod fuit 40 aliquot dierum: deinde de tempore manaturo ab Ascensione usq; ad diem Judicij extremi, quo non solùm ab Apostolis sed omnibus hominibus videbitur. Utrumq; tempus modicum vocat Dominus, quàmvis posterius hoc jam sedecim sæcula excedat. Nimirum modicum est respectu sæculorum, quæ antecesserunt, modicum respectu felicis & infelicis æternitatis, modicum respectu laborũ & dolorum tolerandorum pro consecutione vitæ & gloriæ æternæ. O Sapientia æterna illumina me: ut plenè intelligam hoc Modicum, & illud rectè impendam & impleam: ne vivam vacuos dies & annos!

3. VEnerare DEIparam V. & considera: non solùm temporalia omnia ipsi semper visa esse Modicum & nihil: sed etiam ipsammet, quantumvis Maximam coram Domino, in oculis tamen suis fuisse minimam, modicum, nihil. Non solùm ancillam Domini se dixit, dum eligeretur in Matrem; sed jam plena DEO, non dubitavit ancillam agere Elisabethæ, inserviendo debili à partu, & ante partum. Certè dum magnificavit Dominum, quod respexisset humilitatem ancillæ suæ; non de vulgari quadam humilitate loquebatur, sed qua se credebat minimam, modicum, nihil; prout etiam alij quidam eximij Sancti soliti sunt de se sentire. Cùm igitur DEO, J. & M. temporalia omnia Modicum sint & nihil: necesse est ea verè talia esse, adeoq; parvi, imò nihili facienda etiam à nobis. Doce me, ô Domina hoc modicum, quod non capit sapientia mundi, nec quilibet etiam è probis.

Vide deniq;: quos habeas de rebus temporalibus ac te ipso sensus; & nimios fugere propone.

LECTIO PRACTICA.

De Modico & Misero mundanorum gaudio.

QUi gaudia sua non quærunt in Christo, sed in mundo & pompa atq; voluptate ejus: valde Modicum, & hoc ipsum miserum, inveniunt gaudium. Modicum est 1. quia modico tempore durat. *Modicum est hoc totum spatium, quod præsens pervolat sæculum*: ait August: tr. 101. in Joan: *Unde dicit idem Evangelista ep. 1. c. 2. Novissima hora est.* 2. Modicum est: quia

quia ex rebus modicis, vanis & fluxis nascitur. 3. Modicum est: quia multis adversis, varioq; luctu interrumpitur & corrumpitur: ut meritò Job 20. dicatur *Gaudium hypocritæ* (qualis est omnis mundanus speciem præferens Christiani aut Religiosi) *ad instar puncti. Si ascenderit ad cœlum superbia ejus, & caput ejus nubes tetigerit: quasi sterquilinium in fine perdetur: & qui eum viderant, dicent: Ubi est? Velut somnium avolans non invenietur: transiet sicut visio nocturna*, cum omni gloria, voluptate, & lætitia sua.

Egregium hujus veritatis & vanitatis exemplum datum est Londini sub Elisabetha regina. Solebant in Anglia Londini dies Christo nascenti & Epiphaniæ interjecti, chorearum, musices, ludorum, & comœdiarum apparatu incredibili celebrari. Instituendi festi, & sumptuum cura penes illũ erat, cui præ cæteris demandare illam Reginæ placuisset. Incidit in Thomam Pondo anno 1569. sibiq; plurimùm gratulatus est juvenis; quòd & in sumptu faciendo videri gauderet splendidus, & quod arte saltandi, & elegantia corporis, parem aula haberet neminem. Ejus specimen artis & magisterium editurus, saltationis elegit formam, quæ in sustentando corpore unius pedis extremis articulis versatur, & nihilominus circumagendo illud varijs innumerisq; gyris, mira agilitate & firmitate. Saltavit Thomas tam eleganter, tamq; doctè mimum versatilem egit: ut ei tota acclamaret & applauderet scena, imò ipsa regina nuda manu (præmio saltationis valde raro & eximio) manum ejus apprehenderet, & galerum Comitis Leicestriensis operiendo capiti sudanti mitteret. Deniq; post quædam interludia à Thoma iterari saltum voluit. Non capiebat suos honores, plausus & gaudia Thomas. Ergo alacer in pedis articulos erigitur, gyrosq; suos stupente & plaudente scena, multiplicat: sed in medio saltûs & plausûs, confundente oculos vertigine capitis, dum se rotat, toto corpore humi sternitur. Exoritur risus largissimus, & saltator non minore sannarum sibilo exploditur, quàm antè exceptus fuerat plausu. Ipsa regina indignans dedecoratam festi lætitiam, insultat jacenti, & *Surge bos*, inquit. Pupugit generosum animum crassus sarcasmus, & turpis lapsus tam alto, sed felici vulnere: ut mox aulam & urbem, ac deniq; mundum reliquerit cum vanissimis plausibus, & brevissimis gaudijs suis; atq; in JESU Societatem se receperit, solidiora inventurus gaudia & præmia certiora. *Bartoli p. 1. Histor. Europ: lib. 1. c. 4.*

Simili eventu sapere, & mundanæ lætitiæ atq; pompæ vanitatem agnoscere doctus est Petrus Consalvus nobilis Hispanus, mundi tripudijs & fastui plus æquo deditus. Cum enim die quadam equo splendidè superbèq; vectus,

vectus, totam urbem cùm suis æqualibus obiret, sibiq; mirificè placeret; accidit: ut à jumento lasciviente in profundum lutum excuteretur; ex quo cœnosus extractus, à puerorum circumfuso grege & accurrente plebe procacibus sannis ac risibus liberaliter exceptus, vehementer confusus fuit, sibiq; iratus. Mox non sine stomacho, Quandoquidem, inquit, ô Munde sic à te tractor, cui tam gnaviter servivi: ego quoq; vicissim te pro meritis tractabo. Terga igitur ei per contemptum vertit; & Christo famulantibus sese addixit. *Platus lib. 3. c. ult: de Bono Relig:*

Non solum igitur modicum, verùm & valde miserum est mundi gaudiũ: quia dedecore ac luctu terminatur plerumq;. Benè Bernardus Serm: 1. de Diversis: *Gaudent in cibis, gaudent in pompis, gaudent in divitijs, gaudent & in vitijs homines: sed luctus extrema occupat ejusmodi gaudiorum, eò quod gaudium in materia convertibili, mutari necesse sit, re mutatâ.* Illustrat id ardente cereo, qui vel affusa aqua, vel deficiente materia lumen amittit & extingvitur. *Sicut ergo flammæ illius novissima fumus occupat & caligo: sic lætitia lætæ rei in tristitiam commutatur.* Et serm: 18. de Divers. tractans locum Apostoli Rom. 14. Non est regnum DEI esca & potus, sed justitia & pax, & Gaudium in Spiritu S. *Quid ad hæc,* inquit, *dicitis, ô gulosi & luxuriosi, quorum DEUS venter est, quorum omnis usus,* & voluptas *aut in ventre, aut sub ventre est? qui, ut ait Apostolus, Jac: 5. In luxurijs enutristis corda vestra? Audite, audite! Quia esca ventri, & venter escis: DEUS autem & hunc, & has destruet.* 2. Cor. 6. &, evanescet voluptas & gaudium vestrum, succedente luctu, utinam non æterno. Corda igitur nostra, præsertim Spiritualium & Religiosorum, ad alia, sinceriora & solidiora anhelare decet gaudia.

SABBATO.

MEDITATIO: *De luctu discipulorum Christi convertendo in gaudium.* Joan. 16.

I. ADora DEUM O. M. & considera: eum perpetuis conversionibus tam naturalibus quàm moralibus, agitare & gubernare mundum. In naturalibus continua est rerum generatio & corruptio, ortus & occasus, nubilum & serenum. In moralibus quoq; assiduò alternant gaudium & tristitia, risus & fletus, ascensus & descensus, honor & ignominia, voluptas & dolor. Neminem inveneris perpetuò miserum, & sine omni voluptate. Unde, ut advertit D. Hieronymus ep. 34. ad Julianum: *Difficile, imò impossibile est* (moraliter) *ut & præsentibus quis & futuris fruatur bonis;*

bonis; ut & hic ventrem, & ibi mentem impleat; ut de delicijs transeat ad delicias; ut in utroq; seculo primus sit. Statutum est æterna lege: ut novissimi fiant primi, & primi novissimi: ut esurientes impleantur bonis, & divites dimittantur inanes. Quid ergo querimur, de rerum & fortunæ vicissitudinibus. Tua hæc est prærogativa, Magne DEUS: ut immotus omnia moveas: me ad omnem fortunam decet esse paratum.

2. ADora D. JESUM, & considera: quomodo, postquam prædixerat discipulis Joan: 16. *Amen, amen dico vobis: quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit:* illico subjunxerit: *sed tristitia vestra convertetur in gaudium.* Plorârunt nimirum discipuli tempore passionis & mortis Christi; exultârunt autem impij, quòd eum è vivis sustulissent: sed versa est scena post triduum. Resurgente Domino tristitia discipulorũ versa est in gaudium; gaudium autem impiorum Deicidarum versum est in confusionem. Sic etiam deinceps vita Apostolorum aliorumq; fidelium plena fuit & est, ærumnarum, laborum & dolorum, ducentibus impijs in bonis dies suos: at certo certiùs veniet conversio, quam prænunciavit etiam per Isaiam DEUS c. 65. *Ecce servi mei comedent, & vos esurietis: ecce servi mei bibent, & vos sitietis: ecce servi mei lætabuntur, & vos confundemini: ecce servi mei laudabunt præ exultatione cordis; & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione spiritus ululabitis.* Elige jam anima mea, quibus accenseri velis in hac vita. Memento autem; quòd *gaudium hypocritæ* (qualis est omnis mundanus) sit *adinstar puncti.* Job. 20. gaudium autem justorum sine termino. Benedictus JESUS, qui nobis convertet luctum nostrum in gaudium, quod nemo tollet à nobis.

3. VEnerare DEIparam V. & considera ipsam, ut veram nostræ lætitiæ Causam. Quam enim capimus ex nostra Redemptione & Justificatione lætitiam, ipsi quoq; debemus: cum ex ipsa tanquam virgine terra, & nulli maledicto obnoxia, prodierit Fons ille gratiarum omnium & totius benedictionis, lætificans faciem universæ terræ, Gratiosissimus JESUS. Quærat mundus sua gaudia in vineis & theatris, in epulis, & commessationibus: ego autem gaudebo in DEO JESU meo, & MARIA Matre ejus. MARIA meum gaudium, terræ delicium!

Propositum v. g. de moderando excessu tam lætitiæ, quàm tristitiæ.

LECTIO PRACTICA.

De Gaudio justorum verò, solido, & pleno.

V*ERUM* est justorum Gaudium: quia capitur ex bonis veris, scilicet Conscientiâ bonâ, actibus virtuosis, Christo, & Spiritu Sancto. *Si*

est gaudium in mundo: hoc utiq; possidet puri cordis homo: ait Kempensis lib. 2. de Imit: c. 4. & c. 6. *Habe bonam conscientiam, & habebis semper lætitiam Noli lætari, nisi cum bene feceris. Justorum lætitia de DEO, & in DEO est, & gaudium eorum de Veritate.* Et Bernardus in serm: *Illud est verum ac summum gaudium, quod non de creatura, sed de Creatore concipitur: quod cùm acceperis, nemo tollet à te; cui aliunde comparata omnis jucunditas mœror est, omnis suavitas dolor est, omne dulce amarum est, omne pulchrum fœdum est, omne postremò, quod delectare potest, molestum est.*

S. Augustinus in Psal. 102. cùm excitasset animam; Bonum tuum quære, ô Anima: Quære tuum bonum, hoc est Summum Bonum; subdit: *Sunt & inferiora bona, quæ alijs & alijs bona sunt. Pecori quid bonum est, nisi implere ventrem, carere indigentiâ, dormire, gestire, vivere, sanum esse, generare? Tale tu bonum quæris, cohæres Christi? Quid gaudes, quia socius es pecoris? Erige spem tuam ad DEUM, Bonum omnium,* Bonum verissimum & merissimum. Inde verùm & merum gaudium; non autem à vanitatibus & insanijs falsis.

SOLIDUM est justorum gaudium: tum quia in veritate, quæ manet in æternum (Psal. 116.) fundatũ est; tum quia homini invito, & nisi à suscepta Justitia deficiat, tolli non potest. *Gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Joan. 16. Gaudent filij hujus sæculi in divitijs: sed gaudium illorum tollunt fures & exactores.. Gaudent de corporis sanitate: sed gaudium hoc quævis tollit febricula. Gaudent de honoribus & gloriosa fama: sed & hoc gaudium vel unicum tollit convicium, & æmulus quivis. Unde Lucilium suũ monet Stoicus ep. 23. ad Lucil: *Hoc ante omnia fac: disce gaudere. Ad summa pervenit, qui scit, quo gaudeat. Securè gaudet, qui gaudium in DEO quærit.* Et Augustinus serm. 30. de Sanct: *Scimus Fratres quod omnis homo gaudere desiderat: sed non omnes ibi quærunt gaudium, ubi oportet inquiri. – Qui vult gaudere de se, tristis est; qui autem de DEO gaudere vult, semper gaudebit: quia DEUS sempiternus est.* Unde S. Deicola Abbas semper erat facie læta, & subridente. Causam rogatus, dixit: quia DEUM à me nemo tollere potest. *In vitis PP.* Generosè S. Cyprianus ad Demetrian: *Viget apud nos spei robur, & firmitas fidei; & inter ipsas sæculi labentis ruinas erecta mens est, & immobilis virtus, & nunquã non læta patientia, & de DEO suo semper anima secura.*

PLENUM quoq; est Gaudium justorum (scilicet ea, quàm status hujus vitæ patitur plenitudine) tum quia justa eorum desideria liberaliter implet Dominus; tum quia liquidissimis & cœlestibus solatijs eorum animos ita implet: ut angustiæ cordis illa capere non possint & in faciem ipsam redundent, eamq; cœlesti quadam lætitia serenent. Hinc S. Ephrem identidem

tidem exclamabat: *Recede à me Domine parumper: quoniam vasis hujus infirmitas tantam jucunditatem ampliùs ferre non potest.* S. Philippus Nerius: Sat est, bone DEUS, sat est. *Contine, quæso, contine, undas gratiæ tuæ; jam enim sustinere non possum.* Unde humi stratus huc illucve instar ebrij volutabatur. S. Bernardus tanta semper lætitia affluebat: ut ea non modicum ei injecerit scrupulum; siquidem videbat, jucundiorem longè se agere vitam, quàm si in mundo vixisset, omnigena affluens voluptate. S. Scholastica redundans cælestibus Gaudijs dicere solebat: Si dulcedo, quam DEUS in occulto infundit cordibus servorum suorum, cognita esset mundo; claustra non caperent eos, qui DEO servire vellent.

Verùm hæc lætitia, quàm eximij Sancti ubertim capiunt ex cella vinaria Regis regum, paucorum est: illa communis justorum (præsertim eorum qui se totos divino servitio addixerunt) & sufficientissima ad implenda corda animosq; ipsorum: quòd scilicet excusso diaboli & mundi jugo, DEO vivant. Unde S. Franciscus Seraphicus, si quempiam subtristem conspexisset, acriter eum objurgabat, dicens: Oportet eos, qui mundo, carni, dæmoni, non vero DEO serviunt, esse tristes: non autem Fratrem Minorem. S. P. N. Ignatius ut semper ipse lætus erat, ita suos ad similem lætitiam excitabat, dicere solitus: Non minus miraculum censendũ esse, deprehendere mœstum religiosum, qui nihil quærat, nisi DEUM; quàm deprehendere lætum aliquem, qui omnia alia quærit, præter DEUM. Cum autem Franciscus Costerus adhuc tyro ad risum mirè proclivis esset; S. Ignatius ei dixit: Francisce, audio, te semper ridere. Confusus juvenis acrem expectabat objurgationem. At Ignatius: *Et ego dico tibi, Fili mi, ut rideas, & gaudeas in Domino: quia Religiosus nullas causas mæstitiæ, multas verò lætitiæ habet.*

Proinde, Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in DEO meo: quia induit me vestimentis salutis, & indumento justitiæ circumdedit me, quasi Sponsum decoratum coronâ, & quasi Sponsam ornatam monilibus suis. *Isaiæ c. 61. v. 9.*

DOMINICA V. POST PASCHA.

MEDITATIO: *De promptitudine DEI, JESU & MARIÆ ad exaudiendas preces nostras.*

I. ADora DEUM O. M. & considera: quàm promptus sit ad dona sua nobis conferenda, tum ex essentiali exuberante Bonitate sua, qua oriri facit solem suum super justos & injustos, & effundit fontes Liberalitatis suæ super fructuosam & reprobam terram; tum ex speciali cha-

ritatis affectu, quo amat amantes Christum, Filium suum. *Non dico vobis*, inquit, Christus commendans liberalissimam charitatem Patris sui, Joan. 16. *quia ego rogabo Patrem de vobis: ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis, & credidistis; quia ego à DEO exivi.* En speciale fortissimumq; motivū erga nos amoris: *Quia vos me amastis, & credidistis.* Quid non speremus à Patre; si in Filium ipsi super omnia charum, & verè credimus, & eundem sincerè amamus? Quid verò speremus: si parum nos tangit Christi amor & honor: ne dicam, si injurij sumus in Christum? O DEUS infinitæ dilectionis, accende in frigido hoc pectore ignem tui, & Filij tui amoris!

2. ADora D. JESUM & considera: quòd quàmvis luculenter declaraverit summam Patris sui in nos propensionem ac benevolentiam: tamen ad obtinenda celeriùs quæ nobis necessaria vel utilia cognoscimus, voluerit ut petamus: *Petite, & accipietis.* Ut verò efficacior sit oratio: dignatus est præscibere formam, quam teneamus orantes, promisitq; ei certum effectum; *Amen Amen dico vobis: si quid petieritis Patrem in nomine meo; dabit vobis*: Id est; si petieritis *per me* & *merita mea*. Vult igitur Dominus: ut petendo aliquid à DEO, allegemus seu proponamus ipsi Dignitatem & Merita ejus, labores, dolores, passionem, vulnera & mortem: quæ cùm sint pretiosissima in conspectu DEI, imò valoris simpliciter infiniti; efficacissima sunt ad impetrandum quidvis; modò id, quod petimus, non officiat saluti, aut majori bono nostro spirituali. Hinc Ecclesia omnes orationes suas concludit solemni illa clausula: *Per Dominū nostrum JESUM Christum &c.* Vide, quàm certam & facilem impetrandi methodum nobis reliquerit Amantissimus nostri Salvator: cur ergo tam parum impetramus? In nobis certè debet esse causa. Immortales tibi ago gratias, Gratiosissime JESU, pro ea instructione: consumma gratiam tuam, & da: ut rite petam.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: etiam ipsius Nomen allegatum coram DEO in orationibus nostris, esse efficacissimum ad facile impetrandum. Est enim magnum & gratiosissimum apud DEUM: & Christus, ut gratificetur Matri, habeatq; occasionem liberalius remunerandi ejus in se merita; pronissima aure excipit preces, quibus petimus aliquid per MARIAM. Humanior est in Matrem suam JESUS, quàm Salomon. Ipsa quoq; DEIpara V. honori sibi ducit, quòd per ipsam petamus: est enim talis oratio, gratiæ & auctoritatis, quàm habet apud DEUM, contestatio. Patieris igitur, ô Gratiosissima: ut & ego, licèt vilissimus servorum tuorum, magno & amabilissimo Nomine tuo, indignis precibus meis concilie pondus & gratiam.

Vide

Vide proinde: an, & quomodo in precibus tuis interponas nomen Christi & Matris ejus? Propone majorem diligentiam, præsertim sequenti triduo Rogationum.

LECTIO PRACTICA.

De Orationis Excellentia & Necessitate.

CUm residui dies, gloriosam Domini Ascensionem præcedentes, *Rogationum* nomine veniant; quòd Ecclesia Christi orationi, publicisq; supplicationibus, nunc magis sit intenta: opportunū erit; ut etiam privatus quisq; se excitet ad accuratius & ferventius Orationis sanctæ studiū. Quod non gravati assumemus, si nos super Excellentiam & Necessitatem ejus reflexerimus.

Excellentia Orationis intelligitur inprimis ex ejus Natura & descriptione. A S. Gregorio Nysseno Orat. 1. dicitur *Conversatio, sermocinatioq; cum DEO.* A Chrysostomo in Gen: hom: 30. & lib. 1. de orando DEUM: *Colloquium cum DEO*, S. Augustinus in Psal. 85. Oratio tua, ait, est *Locutio ad DEUM. Quando legis; DEUS tibi loquitur: quando oras, cum DEO loqueris.* Nimirum Oratio, de qua hic agimus, est Colloquium, quod instituimus cum DEO, humiliter & reverenter ei proponendo necessitates nostras, petendo necessarias gratias & subsidia, gratias agendo pro acceptis, & Divinam ejus Bonitatem atq; Majestatem laudando super omnia. *Quis verò non obstupescat, & admiretur tantam benevolentiam DEI erga nos: ut mortalibus tantum honoris largiatur, & dignos habuerit, qui cum ipso colloquamur, nostraq; vota apud ipsum deponamus?* inquit Chrysostomus lib. cit: Si Angelorum aliquem constituisset DEUS, ad quem solùm in necessitatibus nostris recurreremus: satis beneficij & honoris præstitisset. At nunc cuilibet, etiam mendicabulo vilissimo licet immediatè ad ipsum accedere Dominum tremendæ Majestatis, & familiare cum ipso miscere colloquium. Magnus honor est, ait Bellovacensis in spec: dist: 32. loqui frequenter cum magno aliquo principe, major cum Rege, multò fortiùs cum Rege regum. Magna est Orationis Dignitas: quia ipse DEUS, & tota Curia cælestis intenta est audire orationes nostras, & delectatur in eis.

Et hoc est alterum caput, ex quo intelligere licet Excellentiam Orationis: quòd scilicet DEUS Opt: Max: & tota cœlestis curia illâ mirificè delectetur. Unde in sacris Literis comparatur Thymiamati, quòd est mixtio ex thure alijsq; fragrantissimis speciebus, suavissimè demulcens & recreans olfactum hominis. Apoc: 8. cap: visus est Angelus ante altare, habens thuribulum aureum in manu sua; dataq; sunt ei incensa multa (quæ ibid. dicuntur fuisse Orationes Sanctorum) ut adoleret ea in conspectu Domini.

Similiter cap: 5. Viginti quatuor Seniores visi sunt *habentes singuli citharas, & phialas aureas, plenas odoramentorum, quæ sunt Orationes Sanctorum.* Angeli ergo, aliiq; Sancti DEI, imò principes Sanctorum, officiosissimè & reverentissimè humiles & attentas preces nostras deferunt ad summam illam Majestatem, suasq; jungunt nostris. Unde meritò Augustinus tract. de miseric. tom. 10. *Quid est Oratione præclarius, quid vitæ nostræ utilius, quid animo dulcius, quid in tota nostra Religione sublimius?* Et Gregorius Nyss: de Orat: Dom: *Nihil ex his, quæ per hanc vitam coluntur, & in pretio sunt, Orationi præstat.*

Utilitatem, imò Necessitatem Orationis gravissimo sententiarum pondere proponunt SS. Patres, & Ascetæ omnes. Unus sit pro multis, S. Chrysostomus lib. de Oran: DEO: *Arbitror,* inquit, *cunctis esse manifestum; quòd simpliciter impossibile sit, absq; precationis præsidio cum virtute degere, & vitæ hujus cursum peragere. Etenim quî fiat: ut virtutem quis exerceat, nisi continenter supplex ad genua accidat ei, qui virtutem omnem largitur?* Et iterum: *Cùm videro quempiam, non amantem orandi studium, nec hujus rei fervida vehementiq; curâ teneri: continuò mihi palam est; eum nihil egregiæ dotis possidere.* Quid exaggeratius dici potest? Addit tamen: *Et quisquis non orat DEUM* (scilicet frequenter & ferventer) *nec divino colloquio cupit assiduè frui: is mortuus est, & vitâ carens, expersq; sanæ mentis. Nam hoc ipsum est evidentissimum amentiæ argumentum: non intelligere magnitudinem honoris hujus, nec amare deprecandi studium.* S. Franciscus Seraph: dicebat: *Gratia Orationis viro Religioso maximè desideranda est. Nullus enim sine ea in DEI servitio fructus sperari potest.* Et S. Bonaventura de progress: relig: c. 7. *sine Orationis studio omnis Religio est arida, imperfecta, & ad ruinam promptior.*

Fundantur hæc in Oraculis Divinis: *Vigilate & Orate; ne intretis in tentationem.* Matt: 26. *Orate pro invicem, ut salvemini: multum enim valet deprecatio justi assidua.* Jac: 5. *Petite, & dabitur vobis: quærite & invenietis: pulsate & aperietur vobis.* Matt. 7. quasi diceret: si non petieritis, non dabitur: si non quæsiveritis, non invenietis; si non pulsaveritis, non aperietur vobis. Nam, ut docet S. Thomas 2. 2. q. 88. art. 2. post D. Damasc: August: Basil: Chrysost: Gregor: æternâ Providentiâ ita dispositum est: ut sicut genus humanum non multiplicatur sine matrimonio; terra non nisi arata & culta panem fert & vinum; sic pleræq; gratiæ, & necessaria nobis subsidia non obtineantur sine Oratione, eaq; humili & fervente.

FERIA II.

MEDITATIO: *De impedimentis quibusdam fructuosæ Orationis.*

I. Adora

1. ADora DEUM O. M. & considera causas ex parte nostra, ob quas pronissimus ex se in vota nostra, sæpe non exaudit preces nostras, etiam multiplicatas. Reduci possunt ad duo capita: quòd nimirum vel petamus id, quòd non expedit, ut impetremus; vel non petamus eo modo, quo oportet. Non expedit, ut impetremus: si id quod petimus officit saluti nostræ, vel majori bono nostro spirituali, aut gloriæ Divinæ. Sic Paulum non expediebat liberari à stimulo carnis molestissimo ob majorem ejus humilitatem, & inter frequentes pugnas gloriosiorem victoriam. 2. Cor. 12. ideoq; solùm audivit post ferventes & iteratas preces: *Sufficit tibi gratia mea.* Non oramus eo, quo oportet, modo: si non simus amici DEI, sed potiùs hostes ob statum peccati mortalis; si non habeamus fidem & spem firmam impetrandi; si non oramus humiliter, reverenter & perseveranter; si ipsi non adhibeamus ea, quæ ex parte nostra requiruntur ad effectum, quem petimus. Desines mirari; cur parum aut nihil impetres: ubi hæc accuratè expenderis. Tu ô Benignissime DEUS, qui lingvas infantium facis esse disertas, mentem & lingvam meam erudias; ut ritè & efficaciter petam. Parce defectibus meis.

2. ADora D. JESUM & considera: ipsum voluisse Joan: 16. ut Apostoli varia dona cælestia sibi peterent ad complendum gaudium suum. *Petite & accipietis: ut gaudium vestrum sit plenum.* Concepturi erant animis ingens gaudium ex resurrectione & gloria Christi: sed gaudium eorũ plenum esse non poterat, si non obtinerent cælitus dona saluti æternæ, & perfectioni suæ, statuiq; suo congruentia & necessaria. Quomodo enim plenè gaudeat, cui multa, magna, & necessaria desunt? Sic & nostrum gaudium, quod ex fide & spe in Christũ, concipimus, plenum esse non potest; si destituamur gratijs seu donis cælestibus, saluti, perfectioni, muneri & statui nostro necessarijs. Quia igitur plerumq; ijs tantùm petendis, quæ ad temporalem felicitatem nostram pertinent, intenti sumus, neglectis spiritualibus & æternis; fit, ut etiam ex illis parum aut nihil impetremus. Ad ea igitur impetranda, his potissimùm diebus, communibus studijs convertamur: quæ gaudium nostrum plenum facere possunt in statu præsentis & futuræ vitæ. Memor est promissi sui Dominus: *Petite, & accipietis*; solùm ipsi non desimus nobis. Suspicio plenissima charitatis tuæ viscera, Gratiosissime JESU; qui nos non solùm gaudere, sed plenè gaudere, etiam in hac lacrymarum valle, desideras. Sed unde vel stillã una liquidi, veriq; gaudij perfundar, nisi ex fontibus Salvatoris? Hos aperi mihi: & gaudens gaudebo in Te, JESU meo.

3. Vene-

3. VEnerare DEIparam V. & considera: ipsam quoq; sæpe non exaudire preces nostras; imò ipsas etiam Imagines ejus ex ligno & lapide formatas, visas esse avertisse vultum ab orantibus, vel solitò austeriorē exhibuisse, tum ex causis puncto 1. indicatis; tum ob ingratitudinem pro acceptis jam beneficijs, aut ob inveteratam peccandi consvetudinem, aut obstinatum in malo aliquo proposito animum, vel supinam in cultu suo negligentiā. Instruamus, ut oportet, chordas psalterij Mariani; & non deerunt nobis benevolæ aures ejus.

Inspice conscientiam tuam, & vide; quid potissimùm alienet à precibus tuis aures & cor DEI, JESU & MARIÆ: atq; ejicere quantocyus stude.

LECTIO PRACTICA.

De Requisitis quibusdam ad fructuosam Orationem,

I. PRæmittenda orationi prolixiori, præsertim quæ fit ex obligatione, *Præparatio congrua*: juxta illud Eccli: 18. *Ante orationem præpara animam tuam: & noli esse quasi homo tentans DEUM.* Ut enim locuturus cum principe præsertim de negotijs magni momenti, non raptim & tumultuariè accedit, sed bene meditatus, & diligenter ordinatis dicendis: sic à potiori cum DEO acturus de negotio salutis suæ, & varijs; ijsq; pretiosis gratijs impetrandis, congruam præparationem præmittat. Quæ potissimùm in 3 consistit. 1. In remotione impedimentorum, de quibus sup: in Medit: 2. In collectione animi, & conveniente corporis compositione. 3. In imploratione gratiæ Spiritus Sancti ad rite orandum necessariæ. Unde Ecclesia S. Canonicis divini officij horis semper præmittit: *DEUS in adjutorium meum intende &c.* Quæ imploratio divini auxilij non tam ad alia negotia, quàm ad hic & nunc instituendam orationem dirigitur. Proinde singulari animi recollectione, & fervore verba illa sunt pronuncianda. S. Franciscus Xaverius singulis illis Horis insuper præmittebat Hymnum *Veni S. Spiritus &c.* tanto animi vigore: ut ei cor exilire, & facies ardere videretur. P. Paschasius Broet, unus è decem primis Patribus Soc: eo fervore ac æstu mentis se componebat ad persolvendas Divini Officij preces: ut caput ei planè fumaret. Audiverunt nimirum isti, & similes alij, Psalmographum canentem Psal. 10. *Præparationem cordis eorum audivit auris tua.* Hinc Veteres PP. meritò monebant: Quales orantes volumus inveniri; tales ante orationem esse studeamus.

2. Orandum cum magna humilitate & reverentia. Quibus dotibus cùm instructa fuerit Publicani Evangelici oratio, caruerit autem Pharisæi; descendit ille in domum suam justificatus præisto. *Oratio humiliantis se nubes pene-*

penetrabit: & donec propinquet, non consolabitur: & non discedet, donec Altissimus aspiciat. Eccli: 35. *Pro reverentia accedet tibi bona gratia.* Eccli: 32. Hinc è Societate nostra PP. Ludovicus Maignet, & Petrus Claverus ad orandum se componebant fune pendulo de collo: insuper Ludovico familiare fuit, crebrò terram lambere, instar miseri canis, ut ajebat: P. Petrus etiã coronam spineam capiti imponebat. P. Jacobus Miro oraturus sic DEUM præsentem reverebatur; ut in angulum cubiculi se se reciperet, vel sub mensam sterneret, quasi non præsumens coram tanta Majestate comparere. In Imperio Sinensi cùm quidam è Magnatibus, Imperatoris cognatus, adverteretur à Christianis alienissimus, rogatus est: ut non gravaretur aliquando observare curiosiùs orantem P. Stephanum Fabrum, virum inter majora Indici Apostolatus exempla ponendum. Vidit ergo ille quadam nocte, ningente cœlo, P. Stephanum sub dio prolixè orantem ea corporis compositione, eo mentis fervore: ut diluculo ultro advolârit Baptismũ petens. *Nadasi* 10 *Maji. in Anno Dier. Mem:*

3. Distractiones voluntariæ omni studio fugiendæ. Hinc Christus Matt. 6. præscripsit: *Tu autem cùm oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito*: ne scilicet vel sensuum evagationes distrahant mentem, vel vanitas aliqua auferat tibi fructum orationis. *Et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.* Nota Videntem, time Reddentem: si non erubescis tam incompositum, & millenis nugis fartum, cum illo habere sermonem. Additur ibidem. *Orantes autem nolite multum loqui.* Multũ loquitur, etiam qui pauca, non ad rem, loquitur. Noster P. Julius Mancinellus à distractionibus in Oratione non aliter abhorrebat, ac ab Idololatria quadam. Magnus Imperator Carolus V. tot regnorum curis & continuis bellis occupatus, cùm se orationi dabat (quod faciebat quotidie prolixè) ita omnia alia excludebat animo negotia; ut inter orandum, urgente celerem admissionem magni cujusdam regis Legato, quòd diceret: rem magni momenti se afferre; responderi curârit: Nec ego quidem nunc leviter sum occupatus, qui cũm DEO ago. *Rho. lib. 3. c. 8.*

4. Orandum constanter. Nam, teste S. Bernardo, Ad DEI beneficentiam obtinendam, retinendam & augendam, necessaria sunt præsidia sedulæ & longanimis orationis. *Vult DEUS orari, vult cogi, vult quadam importunitate vinci*: inquit S. Gregorius in Psalm. 7. pœnit: Docuit hoc Christus ipse in parabola petentis ab amico importunissimè tres panes. Luc. 11. & parabola viduæ molestantis Judicem ad vindicandam causam suam: Luc: 18. Quod titulo Justitiæ & Amicitiæ obtineri non potuit, datum est

Perseverantiæ in petendo. Imitandus cæcus ille Jerichuntinus, qui Luc. 18. prohibitus ab Apostolis, ne clamaret ad prætereuntem Dominum: tantò magis clamabat: & Paralyticus ille, Joan. 5. qui 38. annos ad piscinam jacebat, expectans aquæ motum, & gratiam sanitatis. Unde S. Chrysost: hom: 35. *Pudeat nos, pudeat dilectissimi; & incredibilem socordiam nostram deploremus. Octo & triginta annos ad piscinam expectaverat paralyticus: nos autem, si vel decem dies orationibus invigilantes, non exaudimur, jam tepescimus:* imò orationem non sine stomacho abrumpimus!

FERIA III.

MEDITATIO: *De Orandi methodo tradita à Christo.* Matt. 6.

1. ADora DEUM O. M. & considera: gratissimam ipsi esse Orationem, quæ minimum habet terrenorum desideriorum, plurimum Affectuum spiritualiuum, Laudis divinæ, Amoris, Gratiarum Actionis, Resolutionis in Voluntatem divinam &c. Hæc enim in divinis literis comparatur thymiamati ex variis odoramentis composito atq; suavissimo. Unde Apoc: 5. dicuntur 24. Seniores habuisse singuli phialas aureas, plenas odoramentorum, *quæ sunt Orationes Sanctorum.* Et Apoc: 8. *venit Angelus, & stetit ante altare habens thuribulum aureum: & data sunt ei incensa multa; ut daret de Orationibus Sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum DEI. Et ascendit fumus incensorum de Orationibus Sanctorum de manu Angeli coram DEO.* In veteri quoq; Lege præcepit DEUS Exod. 30. erigi sibi de lignis setim incorruptibilibus in sanctuario suo altare thymiamatis, & vestiri illud auro purissimo, atq; super eo adoleri sibi ab Aarone, manè & vespere, incensum sempiternum: non quòd DEUS materialibus delectaretur odoribus; sed ut declararet; quàm suavis ascendat in conspectû ejus oratio nostra, ut decet, instituta. Quid impedit: quominus per singulos dies hoc genere odoramentorum gratificemur DEO nostro; & subveniamus necessitatibus nostris? Ascendat nostra Oratio, & descendet benignissimi DEI miseratio.

2 ADora D. JESUM & considera: inter omnes orandi formulas ipsi & Patri æterno gratissimam esse illam, quàm Christus ipse Matt. 6. tradidit discipulis (nos Orationem Dominicam vocamus) *Pater noster, qui es in cœlis &c.* Quis enim aut sapientiùs componat, aut fideliùs doceat, aut pleniùs intelligat, quid DEO sit gratiùs, & nobis utilius: quàm Sapientia æterna & infinita? Plurimum commendant orationem, Author, elegantia, brevitas, claritas, sententiarum gravitas, affectus congrui, & materia grata.

grata. In illa orandi methodo hæc omnia sunt summa. Quomodo igitur tam frigidè & sine gustu eam recitamus, tam leviter deproperamus, tam curiosè alias & alias orandi formulas indagamus; non sine injuria Authoris, nec sine detrimento nostro? Parce, Gratiosissime JESU, quòd hoc thymiama tam scitè compositum à te, tam acceptum Patri æterno, tam multis negligentijs & distractionibus corruperim. Erit mihi deinceps in majore pretio: tu labia mea purifica & cor igne charitatis accende.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: inter omnes, quæ ad ipsam funduntur, preces, gratissimam ipsi esse illam, quam Salutationem Angelicam vocamus. Habet enim singularem gratiam tum ab Authoribus suis, Sanctissima Trinitate, S. Elisabetha, & Ecclesia Christi; tum ab Oratore Archangelo. Unde P. Bernardinus Realinus S. J. vir notæ sanctitatis dicere solebat: Orationem Dominicam & Salutationem Angelicam ita cæteris precationibus antecellere: ut velut ex opere operato suum pretium habeant. Tu ipsa ó Gratiosissima, infunde cordi & ori meo gratiam; ut dignè, Te salutare, & Patrem cælestem orare, valeam.

Propositum de Oratione Dominica & Salutatione Angel: attentiùs & reverentiùs recitandis.

LECTIO PRACTICA.

De Oratione Dominica singulari attentione & devotione pronuncianda:

FRequentiore usu propemodum vilis facta est Divina hæc Oratio. Tam leviter enim passim decurritur ut nec advertamus; à quo, ad quem, & in quem finem fundatur. Quo fit: ut non solùm fructum ex illa percipiamus nullum; sed etiam novæ culpæ & pœnæ reatum contrahamus. Ad eum igitur evitandum, advertere oportet tum ad Excellentiam ejus, tum ad gravitatem Petitionum, quas continet.

Præstantissima inprìmis est hæc Oratio. quia præstantissimus Magister ipsam docuit datâ operâ: *Sic ergo vos orabitis: Pater noster, qui es in cœlis &c.* Deinde *Utilissima est:* tum quia omnia nobis necessaria comprehendit; tum quia sicut alijs alicujus methodi authoribus, ita Christo gratissimum est: si quis ea libenter & præ cæteris utatur; ideoq; pronior est ad conferendũ, quod illâ petimus. *Dulcissima est*: quia à filijs ad amantissimum Patrem dirigitur. S. Jacobus Alemannus Ord. Præd. sentiebat in ejus pronunciatione sibi os divino nectare impletum. *Efficacissima est*: 1. Ad conciliandam nobis Patris cælestis, & Domini JESU benevolentiam. 2. Ad percellenda corda hominum, dum petunt non aliter sibi ignosci commissas in DEUM culpas, quàm ignoscant ipsi commissas in se. Tolosæ quidam Orationem

hanc pronunciare non potuit, quàmvis alias expeditè pronunciaret; donec odium, quod fovebat, fincerè deponeret. 3. Ad difcernendos fpiritus. Illius enim recitatione S. Alexander Papa probavit Angelum fibi comparentem ad educendum fe ex carcere.

Petitiones continet Divina hæc Oratio feptem: ut notavit S. Auguft: ep. 121. complectentes planè omnia à DEO petenda & nobis utilia. Unde Tertullianus lib. de Orat: c. 1. & cum eo S. Cyprianus lib. de Orat: illam vocant *Evangelij Breviarium*. Præmittitur autem brevis captatio benevolentiæ apud Patrem cæleftem, & in nobis excitatio filialis erga ipfum amoris, fiduciæ, & reverentiæ. *Pater nofter, qui es in cælis.* Non auderet humana vilitas & indignitas tam confidenter recurrere ad Dominum & DEUM fuum: nifi Unigenitus ejus fic nos inftruxiffet, & id præcepiffet: *Præceptis falutaribus moniti, & divina inftitutione formati, audemus dicere.* Pater nofter &c.

Prima Petitio eft, *Sanctificetur nomen tuum.* Cognofcant Te gentes omnes, æftiment, ament, metuant, glorificent fuper omnia: quoniam Sanctus, Sanctus, Sanctus es Dominus DEUS nofter tum in fubftantia Divinitatis tuæ, tum in omnibus operibus Omnipotentiæ & Providentiæ tuæ. Hoc primum & primarium debet effe votum, defiderium & ftudium noftrum: ut tanquam Sanctiffimum, Amabiliffimum & Venerabiliffimum celebretur nomen Domini; id eft, Dignitas, laus, honor & gloria Domini in cœlo & in terra, in nobis & per nos, in hac & altera vita, in fæcula fæculorum. Celebretur autem mente, magni faciendo & amando; Voce, longè latèq; prædicando; Opere, ut fimus Sancti, quia Sanctus eft Dominus DEUS nofter. *Levit:* 11. ut videantur opera noftra bona, & glorificetur Pater nofter, qui in cælis eft. *Matt:* 5.

Secunda Petitio eft: *Adveniat Regnum tuum:* Regnum triplex. Ut fcilicet lætiffimè & gloriofiffimè regnes in Ecclefia Chrifti per orbem univerfum diffufa: Regnes in fingulis hominibus per Fidem & Charitatem ampliffimam: Regnes in cœlo per gloriam æternam, & tuam, & plurimorum Sanctorum; quos inter ut & ego numerari merear, da Gratiofiffime Pater

Tertia Petitio: *Fiat voluntas tua ficut in cœlo, & in terra.* Faciunt illam in cœlo omnes Angeli tui, *potentes virtute, facientes*, fine mora & difficultate, *verbum tuum:* Pfal. 102. Faciunt & in inferno fatellites juftitiæ tuæ: ô fiat & in terra, juftiffima, fapientiffima & fanctiffima voluntas tua. Quam qui faciunt; & fratres, & forores, & matres funt Domini noftri JESU Chrifti. *Marci* 3. Filij autem funt tui, Dulciffime Pater ampliffimo æter-

noq; regno destinati. Fiat ergo sanctissima voluntas tua specialiter in me, de me, à me, & per me: & hoc mihi sit summa omnis felicitatis. Non reluctabor: imò adlaborabo per gratiam tuam.

Quarta Petitio: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Non peto divitias & delicias; non honores & gloriam: Panem da necessariū, eumq; duplicem; Materialem, & Supersubstantialem, qui de cœlo descendit: da nunc in quotidianum corporis & animæ alimentum, postea in Viaticum pro itinere æternitatis. Da non mihi solùm, sed omnibus, quos mihi in fratres, tibi in filios assumpsit inæstimabilis Charitas tua.

Quinta Petitio: *Et dimitte nobis debita nostra: sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Heu! qualia sunt & quanta debita nostra, & singulariter mea! Quis sufficiet solvendis? Carcerem æternum evadet nemo: nisi tu gratiosissimè dimiseris. Dimittes autem, non dubitamus; ubi pretium sangvinis Unigeniti tui præsentaveriimus unà cum firma voluntate, propter Te dimittendi debitoribus nostris. Dimitto igitur ex nunc sincerissimè: Dimitte Pater: sicut dimitto.

Sexta Petitio: *Et ne nos inducas in tentationem*: qua superatus offendam Te. Illam non recuso, qua probes me: ut fidem amoremq; meum tester ergate. Scio quòd intentator sis malorum, & neminem tentes inducendo ad peccatū. Sed nec permitte, Providentissime Pater: ut aliunde inducar: nisi efficacem dederis gratiam resistendi. Tu nôsti fragilitatem meam.

Septima Petitio: *Sed libera nos à malo.* De malis, quæ peccatum non sunt, dispone circa me, prout placet pro majore gloria tua, & salute mea. Ab illo autem unico malo, sed pessimis omnibus pejore, peccato scilicet, seu offensa tui, ah libera me Dulcissime, Misericordissime, Amplissime Pater. Condona commissa: impedi committenda. Pœnitet in te peccasse! Non amplius Pater, non amplius! Da gratiam tuam. Ne desere filios periclitantes in terris, Pater noster qui es in cœlis. Amen.

En qualium & quantorum affectuum fons est Dominica Oratio. Et tumultuariè deproperabimus illam? Graviter, & præ cæteris precibus, commendat nobis usum Orationis Dominicæ S. Cyprianus tr. de Orat: Dom: *Quando peccatores, inquit, pro delictis nostris petimus: Advocati nostri verba promamus. Nam cùm dicat; quia quodcunq; petierimus Patrem in nomine ejus, dabit nobis: quantò efficaciùs impetramus, quod petimus in Christi nomine; si petamus ipsius Oratione?*

FERIA IV.

MEDITATIO: *De Discipulis à Christo in Bethaniam deductis.* Luc. 14.

 I. Adora

1. ADora DEUM O. M. & considera: cur ingressum Christi in plenitudinem gloriæ suæ distulerit per dies 40. à resurrectone? 1. Ut interim Christus crebris apparitionibus, alijsq; argumentis exhibendo se vivum, firmaret magis fidem discipulorum & nostram de Resurrectione sua: in cujus certissima cognitione fundanda erat fides futurorum fideliũ, & spes resurrectionis nostræ olim futuræ. Si enim non satis constaret de illius à mortuis resurrectione; vix aliquis crederet in mortuum, putaretq; Mundi Salvatorem esse, & Judicem futurũ. Deinde quomodo crederemus aut speraremus resurrectionem nostram, si de resurrectione Filij DEI non constaret? 2. Ut interim Apostolos erudiret tam de antecedenter actis, explicando ipsis scripturas; quàm de futuris in Ecclesia sua tum militante tum triumphante. Unde Act: 1. dicitur Christus discipulis apparuisse per 40. dies, *loquens de Regno DEI*. 3. Ut doceret Apostolos & nos: non esse anxiè festinandum ad possessionem gloriæ cælestis; sed hìc strenuè laborandum, quàm diu ratio divinæ gloriæ & salutis animarum exigeret: siquidem Christum consummatis omnibus per mortem suam, adhuc tanto tempore inter homines commorari voluit Pater. O Magne DEUS; ecce in manu tua est vita & mors mea, labor & quies mea: utere, ut placet & quàm diu placet, pro gloria tua.

2. ADora D. JESUM & considera: cur, ascensurus in cœlum ex monte Oliveti, eduxerit Apostolos Hierosolymâ in Bethaniam, castellum Lazari & sororum ejus, licèt hoc situm esset ultra montem Oliveti: *Eduxit autem eos foras in Bethaniam*: ait S. Lucas c. ult: Voluit nimirum humanissimus Dominus in abitu suo humanissimæ visitationis officio gratificari hospitibus suis Lazaro, Marthæ & Magdalenæ, quorum eximia hospitalitate sæpe cum discipulis usus fuerat. Descendit igitur ad illos; ut valediceret eosq; assumeret secum in montem Oliveti, futuros spectatores ac testes gloriosæ ascensionis suæ, & triumphalis in cœlum ingressûs. En, ut placet Domino domus, quam commendabant eximia hospitalitas, amicus Lazarus, solicita Martha, contemplatrix Magdalena. Si spiritualis domus nostra similiter fuerit instructa; exhibebit, sine dubio, & nobis aliquando se gloriosum Gratiosissimus JESUS. Quæ ipsi, in persona, Domino præstare non possumus humilitatis officia, possumus Minimis ejus: da, mi JESU, ut velim.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: Christum, in cœlos ascensurum, ipsam quoq;, & quidem præ cæteris, convenisse atq; in montem Oliveti eduxisse. Si enim id genus humanitatis exhibuit Lazaro, Marthæ

thæ & Magdalenæ: quomodo subtraxisset Matri; quæ sine comparatione ipsi præstitit plus & obsequiorum, & amoris? Et conveniebat eam uberiore perfundi voluptate ex gloria ascendentis, quam sensibilius vulneraverat gladius doloris ex ignominia morientis. Quantis verò, quàm splendidis & pretiosis se disposuit ipsa affectibus ad triumphalem illum actum? Impetra gratiam, ô Domina: ut & me admittat bonus JESUS ad clariùs contemplandam per hos dies gloriam triumphalis Ascensionis suæ; trahatq; me post se, nunc affectu, tandem effectu.

Propositum v. g. de abstrahendo animo à terrenis, & religiosè transigendo Festo Ascensionis.

LECTIO PRACTICA.

De Oratione plurium & supplicationibus publicis.

VT humanissimum Vale, & gratias quas dicturus erat Lazaro & sororibus ejus, Salvator noster redderet spectabiliores; in numerosa discipulorum corona, ipsis quoq; eodem fungentibus officio, eas persolvere voluit. Sic & nostræ orationes, sive Gratiarum actoriæ, sive Impetratoriæ, ipsi DEO accidunt gratiores, & redduntur efficaciores: si plures in eas conspiraverint, præsertim si velut agmine facto DEUM aggrediantur: Nam ut præclarè dixit S. Ambrosius lib. de pœnit: *Multi minimi, dum congregantur unanimes, fiunt magni: & multorum preces impossibile est, non exaudiri.* Quod uni deest, supplet alter: alter altero gratior est apud DEUM; unius oratio ferventior & purior est oratione alterius: ideoq; vim impetrandi habet majorem. Quod igitur uni facile negaretur, libenter datur pluribus.

Hinc Tertullianus in Apolog: c. 39. *Còimus*, inquit, *in cœtum & congregationem: ut ad DEUM, quasi manu facta, precationibus ambiamus* (velut undiq; DEUM circumdando & obsidendo) *orantes. Hæc vis DEO grata est.* S. Chrysostomus hom: 2. in ep. ad Corinth: dicit: DEUM quodammodo revereri multitudinem unanimem & consentientem in precando: ideoq; non posse non annuere precibus illius; sicut Princeps aliquis, quem multi aut omnes Magnates adoriuntur, supplicando pro aliqua gratia conferenda, aut onere auferendo, sæpe invitus descendit in vota ipsorum. Confirmat id Chrysostomus hom: 79. ad pop: exemplo fidelium orantium pro S. Petro. *Vis*, inquit, *discere; quanta sit orationis in Ecclesia factæ potentia? Vinctus erat Petrus, multisq; catenis circumdatus; Oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia pro eo: & statim eum à carcere liberavit. Quid hac igitur oratione sit potentius, quæ columnam & Ecclesiæ turrim adjuvit?* Et homil: 3. de incomprehens. DEI natura adducit exemplum Apostoli Pauli 2. Cor. 1. scribentis:

Qui

Qui ex tantis periculis eripuit nos, & eruit: etiam speramus, quod adhuc eripiet, vobis quoq; in oratione pro nobis subvenientibus.

Judæi imminente Holofernis exercitu & extrema calamitate, Judith 4. *Clamaverunt ad Dominum DEUM Israel unanimiter*: & misericordiam impetrarunt. Ubi glossa interlin: dicit: Quod charitatis unanimitate petitur, citò impetratur. Josaphat quoq; Rex pijssimus 2. Paral. 20. pugnaturus contra filios Moab & Ammon, præcipuum robur in oratione communi posuit. Unde ipsius jussu, *Congregatus est Judas ad deprecandum Dominum; & omnes de urbibus suis venerunt ad obsecrandum eum*: & quidem tanta frequentia; ut infrà dicatur· *Omnis verò Juda stabat coram Domino cum parvulis & uxoribus*. Rectè adducti sunt & Parvuli, quorum ut innocentior, ita gratior vox.

Usus est percommodè in rem suam Parvulorum oratione & celeberrimus Academiæ Parisiensis Cancellarius, Joannes Gerson, teste P. Barry in Anno S. Convocavit agmen parvulorum, & jussos curvare genua sic compellabat: Clamate pueri ad DEUM, & sic orate: Benignissime DEUS & Domine, miserere Joannis Gersonis! Faciebant id strenuè & ex corde parvuli; conduxitq; hæc oratio Gersoni non solùm viventi, sed etiam defuncto. Audita enim ejus morte, illico ingens parvulorum confluxit turba, & discurrentes per compita urbis & templa, suo illo consveto carmine propitiatorio ferientes cœlum, Misericordiam Divinam implorabant Gersoni. Notum est, quid operata sit publica supplicatio & processio circa muros Jerichuntis. Josv. 6.

Communis oratio similis est Citharæ, quam Elisæus Propheta adhiberi voluit ad eliciendam aquam in deserto pro exercitibus regum Israel, Juda, & Edom, 4. Reg. 3. *Adducite mihi psaltem. Cumq; caneret psaltes*, citharam pulsando; *facta est super eum* (Elisæum) *manus Domini &c.* Ut enim cithara plurium chordarum consonantiâ, gratissimum facit concentũ, sic consonans plurium oratio. Unde David Psal. 80. cum excitasset Sacerdotes & populũ ad jubilandũ DEO Jacob, non satis habuit pulsari tympana & inflari tubas, sed voluit addi *Psalterium jucundum cum Cithara*. Et Psal. 149. vult laudari Dominũ *in choro, in chordis & organo, in cymbalis bene sonantibus*.

Huic consonantium precum concinnitati apud Christianos singularẽ addit gratiam & efficaciam ipse Salvator noster juxta illud Matt: 18. *Si duo ex vobis consenserint super terram de omni re, quamcunq; petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cœlis est. Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo: ibi sum in medio eorum*: utiq; interpellans pro ipsis, & authoritatem suam inter-

interponens. Unde S. Cyprianus ep. 8. ait: *Quodsi duo unanimes tantum possunt: quid, si unanimitas apud omnes esset? Jam pridem à divina misericordia impetrassemus, quod petimus: nec tam diu in hoc salutis & fidei periculo fluctuaremus.* Idem de alijs negotijs & necessitatibus nostris.

IN FESTO ASCENSIONIS DOMINI.

MEDITATIO: *De gloriosa CHRISTI Ascensione in cœlum.*

I. ADora DEUM O. M. & considera: quo apparatu & affectu exceperit Christum Redemptorem nostrum ascendentem in cœlum. 1. Innumeras Angelorum turmas illi misit obviam, qui humili obsequio, & splendido comitatu deducerent, atq; Victori triumphum canerent. *Currus DEI decem millibus multiplex, millia lætantium.* Psal. 67. Si Patriarchæ Jacob revertenti ex Mesopotamia occurrerunt Angeli, seu *Castra DEI*, Gen: 32. quantò magis Angelorum Domino! 2. In Apostolis, alijsq; præsentibus ferventissimos excitavit affectus amoris, venerationis, gaudij, glorificationis; quibus abeuntem prosequebantur. 3. Splendidissimam adornavit nubem, quæ loco currus triumphalis serviret ascendenti. *Nubes suscepit eum ab oculis eorum.* Act. 1. Provectum super omnes cælos quibus affectibus & amplexibus exceperit æternus Pater, Filium Unigenitum, tanta passum ipsius causâ, tam strenuum in imposito opere redemptionis, sibi æqualem, & unicè dilectum, quis assequatur? Quibus oculis aspexit stigmata vulnerum; quàm lætus accepit, & reddidit, Salve atq; amplexum! Benedictus DEUS, Pater Domini nostri JESU Christi, qui hos affectus & honores exhibuisti Domino ac Redemptori nostro! O si tibi & mea tenuitas aliquid præstare posset!

2. ADora D. JESUM, & considera: quàm Gratiosus & Gloriosus Ascenderit in cœlum. Si unquam, tunc certè apparuit speciosus præ filijs hominum; & largissimè diffusa fuit gratia in labijs ejus, quando *elevatis manibus benedixit* præsentibus imò & futuris fidelibus; & sensim *ferebatur in cœlum*, ut diutiùs gloriosissimo conspectu recrearet suos. Ad illud tempus maximè respexisse videtur Evangelista Joan. 1. quando dixit: *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis.* Ingressi in summa cœlorum gratiâ & gloriam admirantes Angeli, qui ibi residui erant, *Quis est iste*, inquiebant, *qui ascendit de Edom, tinctus vestibus de Bosra? Iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ?* Quibus respondit Christus: *Ego sum, qui loquor justitiam, & Propugnator sum ad salvandum.* Isa: 63. Mox omnes Angelorum chori conclamârunt adorantes

& exultantes: *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & divinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & gloriam, & benedictionem & laudem in sæcula sæculorum.* Apoc. 5. Dignus, dignissimus es, mi JESU! Vive, regna, triumpha gratiosus & gloriosus, semper & ubiq;, præsertim in anima mea.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: quibus affectibus comitata sit ascendentem Filium. Liquescebat gaudio inenarrabili ob ejus gloriam, fervebat desiderio comitandi abeuntem, amore tantò magis ardebat, quantò longiùs recedebat dilectus: cupiebat dissolvi, & esse cum Christo; sed intellecta voluntate divinâ, patiebatur non gravata prolongari in hoc exilio incolatum suum. Præsentabat æterno Patri communem Filium, difficillima expeditione, & fortiter gestis atq; toleratis gloriosum: apprecabatur è conspectu excedenti; *Specie tua & pulcritudine tua,* Fili mi, *intende prosperè, procede, & regna.* Da Domina, ut Dominum meum similibus sequar affectibus; ac tandem ad illum ascendere merear.

Suspice cum Apostolis hodie & per hanc Octavam sæpiùs in cœlum: & jam adora, jam suspira ad Salvatorem tuum.

LECTIO PRACTICA.

De Jure in cœlum acquisito nobis per Christi Ascensionem.

PRoscripta è Paradiso terrestri natura humana, hodie non civis tantùm, sed Domina facta est Paradisi cælestis. *Hodie enim,* ut ait S. Leo Papa serm. 1. de Ascens: *super omnium creaturarum cælestium dignitatem humani generis natura conscendit, supergressura Angelicos ordines, & ultra Archangelorum altitudines elevanda: nec ullis sublimitatibus modum suæ provectionis habitura, nisi æterni Patris recepta consessu, illius gloriæ sociaretur in throno, cujus naturæ copulabatur in Filio.* Quæ felicitas & dignitas naturæ humanæ non unius duntaxat Salvatoris nostri arctatur Personâ: sed in omnes se extendit, qui Christiana professione dignam volunt vivere vitam. Nam ut idem docet Sanctus Pontifex: *CHRISTI ascensio nostra provectio est: & quò præcessit gloria Capitis, eò spes vocatur & corporis. Hodie non solùm paradisi possessores formati sumus; sed etiam cœlorum in Christo superna penetravimus; ampliora adepti per ineffabilem Christi gratiam, quàm per diaboli amiseramus invidiam. Nam quos virulentus inimicus primi habitaculi felicitate dejecit: eos sibi concorporatos DEI Filius ad dexteram Patris collocavit.* Ita Leo non minùs verè, quàm magnificè.

Idem jus eleganter asserit nobis S. Maximus serm. 48. In Salvatore, ait, omnes reviximus, omnes resurreximus, omnes ad cælestia transmigravimus.

Est enim in illo uniuscujusq; nostrum caro, sangvis, & portio. Ubi ergo portio mea regnat, regnare me credo; ubi dominatur sangvis meus, me sentio dominari; ubi glorificatur caro mea, me gloriosum esse cognosco. Quis, etiam peccator, de hac communione diffidat? Quia etsi peccata nos prohibent, substantia nos requirit: etsi delicta propria nos excludunt, naturæcommunio non repellit. Nam propter bonitaté Divinitatis,peculiaré nobis affectũ debet Salvator: scilicet quia sicut DEUS noster in ipso est; ita & sangvis noster in illo est. Misericordiam igitur mihi debet præstare Divinitas: necessitudinem exhibere debet affinitas. Neq; enim tam immitis est Dominus, ut obliviscatur hominis, & non meminerit illius, quem gestat: ut quem causa mei suscepit, non ejus causa, quem suscepit, me requirat. Non, inquam, tam immitis est Dominus. ut non diligat carnem suam, membra sua, viscera sua. *Hæc Maximus*; magnam etiam in improbis excitans spem veniæ & gloriæ, modò condignos cohæredibus Christi assumant animos.

Certè non minore jure nobis debetur cœlum, quàm Israelitis terra Amorrhæorum: pro qua vindicanda misit Jephte, Judic: 11. legatos ad regem Ammonitarum, eam terram invadentem, hoc instructos argumento: *Dominus DEUS Israel subvertit Amorrhæum, pugnante contra illum populo suo: & tu nunc vis possidere terram ejus? Nonne quæ possedit Chamos DEUS tuus tibi jure debentur? Quæ autem Dominus DEUS noster victor obtinuit; in nostram cedent possessionem.* Dominus, Salvator noster post triginta aliquot annorum labores & cruenta prælia, Victor hodie cœlum obtinuit: quomodo ergo non cedet in possessionem populi ipsius? Utiq; non tam sibi quàm nobis pugnavit, & vicit. Ipsi enim alio fortiore jure (scilicet Unionis hypostaticæ) debebatur potestas omnis, & imperium in cœlum & terram omnem, facileq; fuit illud sibi pacis artibus, absq; bellorum strepitu, asserere. At nos aliter in possessionem beatissimæ illius regionis induci non poteramus, nisi cominus cum hostibus nostris & suis congrederetur. Quæ ergo Dominus, Salvator noster, Victor obtinuit; irrefragabili jure in nostram cedent possessionem: nisi ipsi per summam ignaviam & amentiam jus nostrum prosequi noluerimus.

Quid non facit, & patitur humana ambitio, ut in terreni alicujus principatus veniat possessionem, sive æquam, sive iniquam? Violantur jura humana & divina; quævis contemnuntur pericula, tragici ambitiosorum casus non apprehenduntur, ipse non absterret infernus. Monet rex Antigonus filium regno insolescentem: An nescis fili, regnum nostrum esse nobilem servitutem? Miseram Imperatorum conditionem proclamat Adrianus;

protestatur Otho Imperator: Mihi credite jam experto: quia jam mori malo, quàm imperare; profitetur Carolus V. Imp: se toto imperij tempore nec unicam sincerè lætam habuisse horam: sed hæc pro fabellis anilibus habentur. Eluctandum ad regnum. Aut Cæsar, aut Nihil.

Si tanta regnandi cupido: cur animos & curas non transferimus ad occupandum regnum cæleste, æternum, omni ex parte beatum & gloriosissimū? Minore opus est sumptu & labore: jam partum nobis jus est; jam solia parata & coronæ; expectat nos Christus, invitat, rogat, hortatur, ac deniq; minatur. Unum ex duobus certò nos manet: Vel regnandum cum ipso in cœlo; vel ardendum perpetuò in inferno. Eligamus: & si cœlum placet; cœlo nos paremus.

FERIA VI.

MEDITATIO: *De varijs affectibus, quibus CHRISTUS exceptus est à Cælitibus.*

1. ADora DEUM O. M. & considera: quo honore extulerit Salvatorem nostrum; non solùm elevando ipsum super omnes cælos; sed etiam sedem illi, ut Homini, offerendo à dextris suis. *Dixit Dominus Domino meo: sede à dextris meis.* Psal. 109. Nimirum post longam & summè arduam emensam viam, *sedere* illum voluit; id est, requie opulenta & perpetua frui. cum summa authoritate & potestate gubernativa atq; judiciali: *à dextris suis,* communicando illi thronum dignitatis & gloriæ suæ; ut qui nuper novissimo seu infimo loco consederat; imò tanquam opprobrium hominum & abjectio plebis infra omnes abjectus fuerat, jam non minor Maximo suspiceretur atq; adoraretur ab omnibus. Imò ad magis exprimendum, in quanta æstimatione & honore apud Patrem sit Christus, & merita ipsius: utitur Scriptura eâ loquendi formulâ sessionis *à dextris DEI*; quasi honoratiorem locum in throno suo cessisset ei Pater: Vide quò loco sit apud DEUM homo virtuosus & sincerus divinæ gloriæ zelator. Non deest honoribus, ut Filij, ita servorum suorum, æquissimus meritorum arbiter DEUS; modò non desimus ipsi honori ejus.

2. ADora D. JESUM & considera: quomodo eum assidentem Patri supremo cultu venerata est omnis cælestium Principum multitudo, suaq; obsequia ad nutum omnem obtulit. Intonuit iterum Michaël: *Quis ut DEUS*, etiam in carne humana? Exarserunt Seraphini summo in eum amore, Cherubini inæstimabiles ejus perfectiones mirabantur, suspiciebant potentiam Virtutes, majestatem Throni & Dominationes, excellentiam

Princi-

Principatus & Potestates, imperium Angeli atq; Archangeli: Chori omnes altiùs elata voce personuerunt solemni trisagio suo, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus DEUS Sabaoth,* Dominus fortis & potens in prælio, Dominus virtutum, Rex infinitæ gloriæ! Sancti quoq; è limbo educti, Liberatori suo æternùm devincti, majestatem ejus divinam adoratione profundissima venerati, concinuerunt: *Alleluja; quoniam regnavit Dominus DEUS noster Omnipotens! Gaudeamus & exultemus, & demus gloriam ei.* Apoc. 19. Exultat & spiritus meus ob magnitudinem gloriæ tuæ, Gratiosissime JESU. Quis mihi det: ut impleam terram omnem gloriâ tuâ! Parce torpori meo præterito in propagando & cumulando honore tuo. Glorioso Nomini tuo ardebit deinceps zelus meus.

3 VEnerare DEIparam V. & considera: quanta submissione, unà cum Apostolis, adoraverit & ipsa Filium, sedentem ad dextram Patris. *Adorantes regressi sunt in Jerusalem.* Luc. 24. Suspiciebat non solùm ut Filium, sed etiam ut Dominum & DEUM suum: tantòq; digniorem omni possibili cultu suo reputabat; quantò majore dignatione, & profundiore submissione nuper subditum sibi fuisse meminerat. Accedit: quòd præ omnibus Angelis intelligebat, clariùs mysterium Unionis hypostaticæ, & consequenter, qua ratione Filius suus esset verus DEUS. Omnes igitur colligebat intellectus & voluntatis vires, omne exerebat humilitatis ingenium: ut quàm demississimè & perfectissimè adoraret illum. Offero tibi, Gloriosissime JESU, omnes Sanctissimæ Matris tuæ actus adorationis: unàque cum illa de profundis nihili & peccatorum meorum, veneror atq; adoro Supremam Majestatem tuam.

Propositum de frequentandis actibus latriæ seu Adorationis Christi.

LECTIO PRACTICA.

Oratio nostra magis Affectuosa & Resignata, quàm diserta esse debet.

GArrulam orationem vocalem expressè reprobavit Christus Matt. 6. *Orantes nolite multùm loqui.* Quo tamen non prohibuit orationes prolixas, etiam vocales. Addidit enim ibi: Nolite multum loqui *sicut Ethnici. Putant enim, quòd in multiloquio suo exaudiantur.* Christianorum ergo oratio, sive vocalis sive mentalis, ut idonea sit ad conciliandam DEI benevolentiam, & impetrandam desideratam gratiam, magis pijs affectibus, quàm verborum & discursuum copiâ constare debet: alioqui ad modum orandi Ethnicorum accedet: *Alius est sermo multus, aliud diuturnus affectus. Absit ab oratione multa locutio, sed non desit multa precatio;* inquit S. Augusti: lib. de orando DEUM: Precatio scilicet affectuosa.

Oratio Mentalis, seu Meditatio pia, quamvis inchoari debeat exercitio memoriæ, recolendo puncta ad meditandum assumpta; & mox transire ad considerationes, & ratiocinationes, seu discursus intellectûs, quibus examinetur, diligenter expendatur, & excutiatur materia Meditationis tam quo ad substantialia sua, quàm circumstantias, effectus, & proprietates varias: id tamen totum dirigi debet ad excitandos in voluntate pios affectus; nec diutiùs protrahendi sunt discursus mentis, quàm sentiantur oriri affectus cordis: v. g. Amoris, doloris, timoris, desiderij, detestationis peccatorum, compassionis, gaudij &c. Tunc enim his liberaliter est indulgendum, sive unum alterumve diutius protrahendo, sive plures præsenti materiæ opportunos, ordine eliciendo.

Ratio hujus fundamentalis est: quòd vitæ Christianæ ac Religiosæ perfectio & sanctitas non consistat in bonis cogitationibus, & sola virtutum aliarumq; rerum sanctarum notitia: sed in exercitio verarum & perfectarum virtutum, ut cum S. Thoma 1. 2. q. 3. a. 2. docent communiter Ascetæ. Ad quod exercitium ut excitetur voluntas, necessariæ sunt præviæ quædam considerationes & discursus intellectus, tanquam medium quoddam, non ut finis. Unde vetus etiam philosophus quidam apud Gersonem, super Magnificat, Alphabet: 56. dicebat: *Inquirimus, quid sit virtus, non ut sciamus, sed ut boni efficiamur.* Recolendum: quod traditum est suprà Fer. 5. post Dom. 3. Advent. Idem observandum in Meditationibus de r Pefectionibus Divinis, Christi D. & DEIparæ V. circa quas versamur, non solùm, ut earum excellentiam cognoscamus; sed ut ad earum imitationem, quatenus licebit per fragilitatem nostram, excitemur. Proinde ubi earum sublimitatem planè perspexerimus, ad easdem obtinendas accendi nos oportet: ideoq; varia cum DEO, Christo, & DEIpara V. miscenda colloquia, nunc gratulando ipsis tantas perfectiones; nunc dolendo, quòd tam longè absimus ab illis; nunc petendo gratiam, & opem ad eas obtinendas &c.

Quodsi Divina Bonitas nos subinde uberiore lumine perfuderit, & ad quietem Contemplationis admiserit; ut cessantibus ratiocinationibus mentis, & varijs voluntatis, Bonum summum quærentis, affectibus, tota mente & corde rapiatur & figatur in DEUM anima: fruendum utiq; erit ea felicitate, & cum Sponsa Cant: 5. dicendum: *Inveni, quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam.* Imitandus erit Agnellus, de quo S. Chrysostomus ait: Vidistine, quomodo agnellus gestiens ubera materna sugere, eadem jam primùm arrepta, huc illucve distrahat: ut modo quidem ori inserat, modò rursus dimittat; sed statim, ut emanantis lactis dulcedinem gustare incipit, fixus

fixus loco maneat, & cum quiete jam exsugat? Sic se res habet omnino in oratione. Antequam enim cælestis ille ros in animam descendat; homo huc illucve discursat: sed illo jam delapso, quiescamus, illave suavitate & dulcedine in quiete perfruamur oportet.

Porro inter affectus bene ordinatæ orationis, qua aliquid à DEO petimus, vel avertimus imminens aliquod nobis malum, non omittenda, sed diligenter exercenda Resignatio plena in voluntatem DEI, seu Conformatio cum voluntate divina. Quàmvis enim in petendo, juxta dicta Fer. 2. Domin: præteritæ n. 4. debeamus esse perseverantes, seu constantes; non tamen pertinaces. Sæpe enim petimus vel noxia, vel quæ non expediunt nobis, aut divinæ gloriæ; ideoq; audire meremur: *Nescitis, quid petatis.* Resignanda ergo est semper & plenè voluntas nostra in voluntatem Divinam: prout Christus docuit & verbo in Oratione Dominica: *Fiat voluntas tua &c.* & exemplo, dum ante Passionem oraret in horto: *Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu. Fiat voluntas tua.* Apparens quoq; in specie elegantissimi Parvuli devotæ cuidam personæ, anxiæ quòd nesciret; quænam esset perfecta, & DEO maximè placens devotio; dixit: Veram devotionem consistere in Abnegatione, contemptuq; sui ipsius, & perfecta Resignatione in manus DEI; prout ex Rusbrochio fusius exponit Alphon: Rodriq. par. 1. Tr. 8. c. 12. Proinde preces nostræ semper habeant annexá hanc Clausulá sive Conditionem implicitam aut explicitam: *Domine, Fiat voluntas tua.* Vel: *Non sicut ego volo sed sicut tu.* Certum enim est: id meliùs esse & nobis, & gloriæ divinæ: quod vult ipse.

SABBATO.

MEDITATIO: *CHRISTUS quàm gloriosè triumphârit in cælo de hostibus suis.*

I. ADora DEUM O. M. & considera zelum ejus pro honore Christi, expressum Psalmo 108. *Sede à dextris meis: donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Filium sedere vult quietum, pugnaturus ipse pro ejus gloria asserenda, & vindicanda; & quidem non uno alterove anno vel sæculo, sed usq; ad finem mundi. Cùm enim nunquam defuerint, aut defuturi sint inimici Crucis Christi; nunquam pugnam pro ipso cessare oportebit, donec principalis ejus hostis, Antichristus, cum omni satellitio suo occumbat. Pugnaturum autem se pro Christo tam fortiter & feliciter promittit Pater: ut omnes inimicos ejus, Judæos, gentiles & quosvis hæreticos subjiciat pedibus ejus: *ponam inimicos tuos scabellum pedum*

tuorum;

suorum; quibus superba & contumacissima eorum capita proterantur, si ultro ea submittere noluerint. Quis similis tui in fortibus Domine? Quis hiscere præsumat contra Christum tuum: pro quo tam validus & assiduus excubas vindex? Prosequere, obsecro, victorias tuas: ut omnes inimici ejus terram lingant; sed magis captivati in obsequium fidei, quàm protriti & æternùm depressi in supplicium contumaciæ.

2. ADora D. JESUM, & considera eum, ut Principem gloriosissimũ, dominantem longè latèq; in medio inimicorum suorum, juxta oraculum ejusdem Psalmi: *Virgam virtutis suæ emittet Dominus ex Sion: Dominare in medio inimicorum tuorum.* Dominatur in cœlo ut Princeps pacis æternæ, & Rex gloriæ: dominatur in inferno ut Domitor rebellium, & vindex spretæ clementiæ ac læsæ Majestatis suæ: dominatur in terra, profusus in bonos, clemens in malos resipiscentes, severus in impœnitentes. Dominatur in medio inimicorum suorum. Nusquam enim tam select. sunt boni; ut immixti non sint complures mali: imò in compluribus provincijs & amplissimis regnis admodum pusillus est grex Christi, grassante Judæorum perfidia, idololatrarum insania, hæreticorum contumacia. Ubiq; tamen, & inter omnes dominatur JESUS; habetq; suos, qui non curvaverunt genua ante Baal. Dominatur fortis & victoriosus in Martyribus, benignus & suavis in Confessoribus, mirabilis in infidelibus: quibus nunc imperium in suos permittit, nunc abrogat; hos perducit ad fidem, illos servat ad supplicium. Veneror tam amplum, mirabile, & absolutissimum Dominium tuum, Gloriosissime JESU. Dominare in æternum & ultra non solùm à mari ad mare; sed à centro terræ usq; ad summa cælorum. En ego tenuem operam meam tuæ Majestati offero ad subigendos inimicos tuos, admitte & conforta militantem gloriæ tuæ.

3 VEnerare DEIparam V. & considera: ipsam quoq; feliciter & gloriosè dominari in medio inimicorum suorum, Judæorum, paganorum & hæreticorum, conspirantium in oppressionem cultus ipsius. Quas enim inimicitias initio orbis posuit DEUS inter serpentem antiquum & mulierem Gen. 3. fervent etiamnum: cùm illi, licèt non semel contrito, non desit semen nequam, & sublato uno, pullulet aliud nequius. MARIA tamen regnat & triumphat, gloriosa in superis atq; inferis, & in omni loco Dominationis Filij sui. Dominare, ô Domina Augustissima, felicissime & gloriosissime, semper & ubiq;: ac me, servulorum infimum, fac strenuum propagatorem gloriæ tuæ.

Examina deniq;, & acue zelum tuum in coërcendis inimicis DEI J. & M.

LECTIO PRACTICA.

Triumphat Oratio, quæ junctam habet Mortificationem.

NOn est usus exaggeratione hyperbolica S. Chrysostomus, quando super Matt: 18. dixit: *Nihil potentius homine orante*: nimirum Orante oratione rite instructa. Oratio enim, ait S. Laurentius Justinianus de perfect: grad. c. 12. *placat DEUM, lætificat Angelos, recreat Sanctos, penetrat cœlos, postulata reportat, terret dæmones, adversarios superat, immutat homines, vires reparat, roborat mentem.* Quæ omnia & plura compendio complexus est Salvator noster, quando Marc: 11. dixit: *Omnia, quæcunq; orantes petitis, credite, quia accipietis, & evenient vobis.*

Porro inter cætera, quæ Orationem tam potentem faciunt, & gloriosam reddunt victricem, Mortificatio est, eaq; duplex: Externa & Interna. Externa consistit in maceratione corporis: de qua dictum est Tob. 12. ab Angelo: *Bona est Oratio cum Jejunio.* Per Jejunium autem plerumq; Sancti intelligunt omne genus afflictionum corporalium. Judith quoq; c. 4. Eliachim Sacerdos non vanus promisit populo afflicto: *Scitote quoniam exaudiet Dominus preces vestras; si manentes perseveraveritis in jejunijs & orationibus in conspectu DEI.* Danielis Prophetæ sanctissimi oratio multum ponderis habebat apud DEUM, multisq; arcanorum divinorum visionibus ab ipso fuit honoratus: non tamen rescire potuit tempus Adventus Messiæ, donec solitò majores assumeret mortificationes. Postquam enim hebdomadarum trium luctum assumpsit, atq; ut ipse ait cap: 10. *Panem desiderabilē non comedit, & caro & vinum non introierunt in os ejus, sed neq; unguento unctus est* de more: tum deniq; comparuit ei Angelus dicens: *Ex die primo, quo posuisti cor tuum, ut te affligeres in conspectu DEI tui: exaudita sunt verba tua.* Notandum: quòd dicatur oratio ejus exaudita, non primùm post consummatam, quàm susceperat, carnis mortificationem, sed statim ac suscepta fuit: *Ex die primo, quo posuisti cor tuum, ut te affligeres, exaudita sunt verba tua.* Quid potentius oratione armata mortificatione?

Interna Mortificatio versatur circa coërcendas & domandas effrenes passiones, seu concupiscentias nostras. Sine hac rite institui non posse Orationem DEO gratam & efficacem, certum est apud Spirituales, & multâ experientiâ roboratum. Ad orationem enim rite inchoandam requiritur animus pacatus, nec negotiorum, nec æstuantium desideriorum, aut irascibilium motuum, tempestate agitatus: similiter ad continuandam, & fructuosè finiendam, atq; ad internas divinas illustrationes ac inspirationes recipiendas. Jam vero *Animalis homo*, qui sensualibus agitatur motibus, *non*

percipit ea, quæ sunt Spiritûs DEI. 1. Cor. 2. & si compositas non habemus curas & passiones nostras, multo tædio laboramus in oratione, atq; ut ait S. Bonaventura lib. 1. de profectu Relig; c. 16. *Quasi ligati catuli ad stipitem, renitenti animo cogimur esse in divinis.*

Quodsi quis insolita quadam diligentiâ colligat animum ad orationem, & neglectâ cura domandarum passionum, enthusiasmo quodam rapiatur in DEUM: id diu subsistere non poterit; sed data quapiam occasione, sive concupiscibilem sive irascibilem concitante appetitum, in luctuosam præceps ibit ruinam, instar Angeli sicut fulgur cadentis de cœlo. Terribile hujus rei exemplum dedit Justinus quidam è Satrapis Hungariæ non postremus, spreto mundo Institutum Minorum amplexus, ita se totum orationi & contemplationi dedit; ut non raras ectases & raptus pateretur. Accidit aliquando, ut Romæ in Aræ cæli Conventu pro more inter prandendum pia quædam Sanctorum gesta legerentur: quorum profunda meditatione ita absorptus est Justinus; ut longo tempore immobilis & exanimis videretur, corpore in äëra rapto & supra Fratrum capita suspenso coram Imagine DEIparæ V. Aderat tunc B. Joannes Capistranus Ordinis Vicarius, qui dimissis Fratribus, solus isthic finem exploraturus remansit. Post longam moram vidit omnia se bene habere. Audijt hoc Eugenius IV. Pontifex: quare hominem accersivit, ac pedes osculari volentem ulnis & osculo excepit, jussitq; prope assidere: ac longo deinde protracto sermone, munuscula addidit, & Indulgentias. Quid hic Justinus? Domum redijt longè alter, quàm exierat. Elatus & inflatus occurrit Capistrano, insolente corporis habitu & verborum vanitate cœpit jactare Pontificis erga se humanitatem singularem ita: ut Capistranus ingemiscens, Heu, diceret, Fratercule, pauculis hisce honoribus dementatus es. Angelus abijsti, diabolus redijsti. At ille quotidie insolentior alios contemnebat; imò præfractè cum ijs contendens, unum cultro vulneravit. Quare in carcerem conjectus est; expletâ autem pœnitentiâ, in regnum profugit Neapolitanum: ubi ea perpetravit, propter quæ relegatus in urbem, in vinculis miserè decessit. *Vadingus tom.* 5. *Annal. Ord. Min ad annum* 1445.

En ut etiam in tertio cœlo Oratio sine Mortificatione non subsistit, ut in Justino: sociata autem mortificationi, non solùm inter plausus hominum & negotiorum bellorumq; turbas, sed etiam inter Inferni insultus secura est, & victrix triumphat: ut in Capistrano.

DOMI-

MEDITATIO: *De Portis cæli à CHRISTO ascendente reseratis.*

1. ADora DEUM O. M. & considera: quomodo obseratas per originale peccatum cæli portas nullis Sanctorum precibus vel meritis reserari passus fuerit, usq; ad Ascensionem Christi. Penetrabant quidem suspiria & orationes ipsorum nubes; imò usq; ad thronum DEI deferebantur in odorem suavitatis: at animarum, quantùmvis DEO gratissimarum, nulla penetrare potuit cœlos, & in conspectum beatificum Domini venire. Et Adam & Abraham & David, & quidquid Sanctorum fuit, in atrio detinebantur, non cæli, sed inferni: suspirare poterant in atria DEI, non evolare. Servabat Pater Filio Redemptori eam gloriam: qui, ut resurgens vectes inferni confregit; ita in cælum ascendens portas cæli aperiret. Vide; quanta fuerit malitia unius peccati, aliena voluntate à nobis commissi: quid non facient, quæ propria voluntate cumulamus? Minùs esset, si cælum solùm obserarent; nisi etiam infernum aperirent, & nos in profundum ejus præcipitarent. Parce Domine animæ peccatrici. Doleo! & jam ascensiones in corde meo dispono.

2. ADora D. JESUM, & considera: ipsum portas cæli, adamantinis seris obseratas, per Ascensionem suam aperuisse feliciter & gloriosè. Tenebantur ita occlusæ, ut simul essent validis excubijs munitæ. Unde cùm ascendentis Domini comites Angeli inclamâssent: *Attollite portas Principes vestras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ.* Psal. 23. non illico eas panderunt excubitores, sed inquisiverunt: *Quis esset iste Rex gloriæ?* Imò etiam cùm audissent: Dominum fortem, & potentem in prælio, ac deniq; *Dominum virtutum*, esse Regem gloriæ, cui ingressus debeatur: non leguntur excubitores aperuisse; ut apertiùs indicaretur: quod DEUS clausit, à nulla creatura aperiri potuisse. Ipse igitur Dominus virtutum & Rex gloriæ, Cruce sua pro clavi usus, portas illas sibi aperuit, & nobis: nunquam deinceps ita claudendas, quin etiam ab hominibus aperiri possent, adhibitis, Petro & successoribus ejus commissis, clavibus. Vide; in quàm felicia tempora incidimus: & æstima hanc Divinæ Providentiæ dispositionem, & Amabilissimi Salvatoris merita gratiamq;. O pretiosissima Clavis David, JESU Gratiosissime, averte hanc à me dementiam; ne ultro me præcipitem in puteum abyssi, qui cælum per Te mihi apertum habeo.

3. VEnerare DEIparam V. & considera eam, ut *Portam cæli* semper & omnibus patentem. Præter 12. portas cælestis Jerusalem, repræsentantes Apostolos 12, etiam hanc erexit divina Clementia: ut si quis ab alijs excluderetur Apostolicæ disciplinæ rigore; per hanc faciliorem ha-

beret ingressum. In hac enim Porta non exercetur judicium, sed largiùs dispensatur misericordia, donatur gratia: qua contriti peccatores, jam non sunt indigni, ut canes aut porci, ingressu in Civitatem sanctam sed inter cives ejus annumerari merentur. Ad te igitur, peccatorum primus confugio, ô Gratiosissima: admitte, & dignum fac ingressu cælestis Jerusalem: ubi misericordias tuas in æternum cantabo.

Examina deniq; desideria tua: an aspires ad cælum: vel bonis terræ contentus vivas? Periculosum hominis statum arguit hoc. Aspira sæpiùs ad beatam illam patriam.

LECTIO PRACTICA.

Quomodo Oratione, præsertim Canonica Officij Divini; utendum ut Clavi cæli.

PLures esse cæli Claves, constat ex commissis Petro, Matt: 16. *Tibi dabo claves regni cælorum.* Nimirum alia est clavis reserans cælum; & hæc est Absolutio Sacramentalis: alia claudens cælum; & hæc est Censura Excommunicationis: alia est clavis intimi regalis cubiculi in cælo; & hæc est Contemplatio: alia clavis gazophylacij & thesaurorum cælestium: & hæc est Oratio, qua varias gratias impetramus è cælo. *Oratio justi Clavis est cæli:* inquit S. Augustinus serm. 226. *Ascendit precatio: & descendit DEI miseratio.* Porro sicut inter claves materiales aliæ alijs sunt fortiores; aliæ ferreæ, aliæ aureæ; quædam particulares, quædam generales: ita inter claves spirituales non minor reperitur varietas.

Cæterùm inter reliquas omnes Orationes, seu Orandi modos, post Dominicam Orationem, facile principem meretur locum ea, quæ dicitur Canonica Officij Divini, & Breviario Ecclesiastico continetur, à Sacerdotibus omnibus ex præcepto Ecclesiæ, quotidie ad DEUM fundenda. Nam, ut egregiè notat Ludovicus Abelly Episcopus Ruthenensis in Gallia p. 2. cap. 5. Sacerdotis sui Christiani: ita sapienter dispositum est id Officium: ut nihil melius ad DEI gloriam, & ipsorum Ecclesiasticorum, totiusque populi Christi pietatem, & devotionem excitandam, aut cogitari, aut institui potuerit. Constat enim varijs Psalmodijs, Hymnis, Canticis, Antiphonis, Lectionibus, Capitulis, Responsorijs, Collectis, Versiculis, tum ex S. Scriptura, tum ex Libris & Historijs Sanctorum pulcherrimo ordine & formâ decentissima sibi invicem cohærentibus, & ad divinum cultum devotionemq; nostram tam sanctè & sapienter dispositis: ut nihil omissum videatur, quod opportunum esse possit ad mentem humanam, excusso torpore, in DEUM excitandam, & ad persolvendas ipsi nunc laudes, nunc gratias, & humiles preces. Divisum est in Partes septem; tum, ut toties

homo

homo erigatur, & recurrat ad DEUM, quoties in die cadere dicitur Justus, Prov. 24. scilicet septies: tum quia par est, ut septies minimùm imploremus opem divinam in diem; cùm constet adversarium nostrum assiduè nos impetere, assumptis secum spiritibus nequioribus septem.

Ut autem sacerrimum hoc Officium ea, qua decet, & necesse est, pietate persolvatur: meminisse oportet tum obligationis, quam ex natura sua oratio quævis, quæ ad DEUM dirigitur, importat; tum Constitutionum Ecclesiasticarum sanè non levium. Concilium Aquisgranense primum cap. 130. statuit: Sacerdotes, aliosq; ad id obligatos, *memores Angelicæ præsentiæ* (imò etiam Divinæ) *cum timore & veneratione competenti, cæleste Officium complere debere: ne si, quod absit, id negligenter, inhonestè, vel tepidè expleverint: in sententiam, qua dicitur Maledictus homo, qui opus DEI facit negligenter, miserabiliter delabantur.* Nam, ut observat Concilium Trevirense 2. *quid est, voce psallere, mente autem domum aut forum circumire, nisi homines fallere, & DEUM irridere?*

Concilium verò Lateranense sub Innocentio III. *districtè & in Virtute Obedientiæ* (cap. Dolentes) præcipit: *ut Divinum officium, nocturnum pariter ac diurnum, studiosè ac devote celebretur.* Nimirum *studiosè*; quo ad officiũ oris, prout glossa interpretatur: id est, ut verba debitè ac integrè proferantur, non deglutiendo syllabas, aut syncopando vel tumultuariè præcipitando dictiones; sed fideliter, & reverenter, prout decet eum, *qui* ut loquitur S. Chrysost: lib. 6. de Sacerd: c. 3. *pro universo terrarum orbe legatus apud DEUM, & precator intercedit.* Insuper absolvi debet *Devotè*, quo ad officium cordis. Id est, ut hoc versetur in corde, quod profertur in ore: ut vocibus oris gratiam conciliet attentio & reverentia mentis. *Si enim*, ut rectè monet Cassianus Collat: 23. c. 7. *cùm sublimi alicui homini, non dicam pro vita aut salute nostra, sed etiam pro alicujus lucri commodo, supplicamus: totam in eũ, & mentis & corporis aciem defigentes, de nutu ejus trepida expectatione pendemus: quantò magis, cùm illi occultorum omnium cognitori supplicamus, intenta atq; solicita oratione ipsius clementia imploranda est:* præsertim dum Ministrorum Ecclesiæ personam sustinemus.

Cavendum igitur diligenter: ne Auream hanc Cæli Clavem convertamus in Clavem, Infernum aut grave Purgatorium nobis referantem: si vel omittamus non legitimè expediti, vel non debita devotione absolvamus Divinum hoc Officium. Variè testatus est DEUS, quàm exosa ipsi sit in hoc negotio negligentia. Dormitanti cuidam inter psallendum imago Christi descendens tam gravem inflixit colaphum: ut tribus pòst diebus fuerit extin-

ctus. Fratribus duobus, cùm sedentes in lecto Matutinum recitarent, diabolus subito adfuit; & fœtorem intolerabilem excitans dixit: *Tali orationi tale convenit incensum.* Lohn: in Biblioth. Tit: Oratio. §. 5. Quid! si & indecens fuerit situs in corpore, & perpetua, eaq; voluntaria distractio in mente? Si magis crapulam, quàm verbum bonum cor eructet? Miseros nos: qui non timemus, nec erubescimus, talem fundere orationem ad DEUM; qualem non auderemus ad hominem? Servi Christi, Ministri Ecclesiæ, meminerimus: Rem nobis esse cum DEO.

FERIA II.

MEDITATIO: *De præsentata à CHRISTO Patri Captivitate Sanctorum liberatorum.*

1. ADora DEUM O. M. & considera: quomodo per Ascensionem Christi genus humanum admiserit in possessionem cœli seu regni sui plenè beatificantis. Inprimis admisit titulo membrorum Christi. Convenit enim, ut ubi est Caput, ibi sint membra reliqua: ubi Princeps, ibi famulitium ejus. Deinde titulo ingentium meritorum Christi. Solet enim remuneratio grandium meritorum illustris personæ in totam derivari familiam: quemadmodum Pharao ob merita Josephi toti domui Jacob dedit in possessionem partem optimam Ægypti, dicens ad Joseph: *Pater tuus & fratres tui venerunt ad te: terra Ægypti in conspectu tuo est: in optimo loco fac eos habitare, & trade eis terram Gessen.* Gen. 47. Numquid parcior DEUS erga fratres Christi? Deniq; jure quodam belli, in quo usq; ad sangvinem & mortem pro gloria Patris decertaverat, obtinuit sibi & nobis cælum Christus: ut jam eodem argumento probare possimus jus ad cælum, quo Legati Israelitarum probarunt Regi Ammonitarum jus ad certas regiones *Nonne ea,* inquiebant, *quæ possidet Chamos deus tuus, tibi jure debentur? Quæ autem Dominus DEUS noster Victor obtinuit, in nostram cedent possessionem.* Judic: 11. Tradidit igitur nobis in Christo possessionem regni sui, Benignissimus DEUS. Reliquum est; ut jus acquisitum soliciti tueamur: ne contingat, filios regni ejici foras.

2. ADora D. JESUM & considera: quomodo ingressus in cælum, postquam Patri exposuit consummatum munus sibi impositum, exhibuitq; vulnera pro ejus gloria & animarum salute suscepta; præsentaverit multa animarum millia è captivitate principis tenebrarum vindicata. Erant inter illas plurimæ, DEO, etiam in vita mortali, conjunctissimæ & charissimæ; ut Patriarcharum, Prophetarum, Joannis Baptistæ, S. Jose-

phi &c. quarum assertio in libertatem tam ardua, ut erat summè æstimabilis Patri; ita Christum Redemptorem novo titulo reddidit eidem gratiosissimum & amabilissimum. Certè longè ampliori affectu quàm olim Patriarcham Abraham filium immolare paratum, compellavit victorem: Quia fecisti hanc rem, & non pepercisti animæ tuæ propter me, & propter salutem istorum: in Nomine tuo benedicentur omnes tribus terræ, & flectetur omne genu cælestium, terrestrium, & infernorum. Sede à dextris meis; donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Quis explicet, & concipiat oscula & amplexus, quibus tam gloriosè redeuntem ex prælio Filium excepit Pater? Gratulor tibi gloriosissime JESU, has paternorum affectuum delicias & honores. Miserere & hujus animæ, eamq; olim inter spolia tua annumera.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: ipsam à Filio cum innumeris Sanctorum turmis ascendente, relictam in terris ad refugium & solatium Apostolorum aliorumq; fidelium. Non enim conveniebat, ut è domo amplissima, nondum satis instructa, simul peregre proficiscerentur & Pater & Materfamilias. Deinde quàmvis post paucos dies missurus erat Christus Paracletum Spiritum Sanctum: expediebat tamen, hominibus non omnia simul subtrahi humana solatia; præsertim quæ spiritui magis, quàm sensibus servirent. O Mater amabilissima, & nos non relinque orphanos, quibus & minus est è cælo solatij, & plus in terris periculi!

Propositum v. g. de abstrahendo è terrenis animo, & magis convertendo ad cælestia.

LECTIO PRACTICA.

De varijs molestiis & infestationibus in Oratione occurrentibus.

NOn sedemus in hoc mundo, sicut animæ Patrum in limbo, continuæ Divinorum meditationi deditæ, à curis, negotijs & varijs infestationibus immunes: in acie versamur, in mari fluctuamus, incerti de salute, certi de periculis à dextris & sinistris occurrentibus. Si animum paulisper colligamus, ac velut è turbido in serenum Orationis elevemus: illico non una ingruit tempestas, quæ ipsam nobis tædiosam gravemq; reddit orationem. Confligtandum non uno alterove anno cum hujusmodi adversis, donec tandem gratiâ & ope Benignissimi Salvatoris asseramur in tranquillum, & gustare atq; videre concedatur, quàm suavis sit Dominus. Interim fortiter resistamus, & media modosq; occurrendi quibusvis infestationibus, in promptu habeamus, oportet.

1. Molestamur inprimis ab importunissima turba distractionum. Hæ vel

oriuntur

oriuntur ex innata phantasiæ mentisq; nostræ levitate ac instabilitate: Vel ex curarum & negotiorum copia, aut incuria in applicatione debita. *Si primum*: Tenenda doctrina Thomæ Kemp. lib. 3. c. 6. de Imit: *Non te conturbent alienæ phantasiæ de quacunq; materia ingestæ. Forte serva propositum, & intentionem rectam ad DEUM. Nec est illusio: quod aliquando in excessum subitò raperis; & statim ad solitas ineptias cordis reverteris. Illas enim invitè magis pateris, quàm agis: & quamdiu displicent, & reniteris; meritum est, & non perditio.* Imploranda assiduè divina gratia: humiliemus nos coram Divina Majestate: quòd eam, ut decet, colere non possimus; abruptum orationis filum continuò connectere studeamus, & indefessi aves sacrificium orationis consumere, volentes, cum Abrahamo abigamus.

Si secundum: Cogitemus; inter primas & summas curas nostras debere esse Studium Orationis; & negotium negotiorum esse, agere cum DEO. Si hoc bene processerit, procedent & alia, quorum bonum successum aliter sperare non possumus. Proinde accedentes ad Orationem sive Vocalem, sive mentalem, oportet diligenter mentem colligere, & alia negotia seponere. In ipsa oratione humilis coram DEO deponenda querela de ingrata & importuna infestatione; atq; ardens desiderium bonæ orationis identidem excitandum atq; vibrandum. Juvat quoq; offerre DEO aliorum ejus servorum ferventes orationes, exemplo simplicis illius bajuli, qui ultro se obtulit ad portandas gratis sarcinulas S. Ignatij & Sociorum itinerantium. Dum enim isti, diversorium aliquod ingressi, se componebant ad orationem; ipse in angulum aliquem sese recipiebat, observabatq; orantes. Tum ad DEUM conversus: Domine DEUS, inquiebat, Viri isti Sancti sunt, & ego jumentum ipsorum: quod ipsi volunt, & quærunt; hoc & ego. Qua simplici oratione, & voluntario obsequio meruit Vocationem ad Societatem, & in ea donum altissimæ Contemplationis: ut fusiùs refert *Rodriquez p. 1. Exerc. Perfect.*

Si tertium: Dolendum inprimis de ea incuria, & proponenda melior præparatio, secundùm methodum præscriptam. Nisi enim hanc omni diligentiâ adhibeamus: mirum non est, nos importunissimis phantasijs vexari; imò miraculum esset, si hæ non infestarent nos. Quale enim granum molendino affundimus, tale molit & conterit lapis. Qualem liquorem vasi infundimus, hunc redolet; quales herbas seminavimus in corde, tales pululant, & succrescunt. Deinde recolendum sæpiùs illud Jerem: 48. *Maledictus, qui facit opus DEI negligenter,* aut *fraudulenter.* Et Matt: 15. *Hic populus labijs me honorat; cor autem eorum longè est à me.*

2. Mole-

2. Molestant & infestant orantes maligni spiritus, modis varijs & callidissimis. 1. Impediunt præparationem debitam, animi recollectionem, & convenientem corporis situm, præsertim dum è somno expergiscimur, & matutina imminet oratio. 2. Suggerunt non solùm cogitationes impertinentes & ineptas, sed etiam in speciem pias; modò animũ avertant à materia assumpta. 3. Concitant varios inordinatos motus & passiones, quibus mentem obscurant, & animam conturbant. 4. Nunc ad studium orationis ita alliciunt ut operationis, obedientiæ, mortificationis & aliarum virtutum exercitium contemnatur, & negligatur: nunc ad actionem ita impellunt, ut orationis fastidium inducant, & omne tempus surripiant. Quæ tentatio est una ex primarijs malignorum spirituum. 5. Transfigurant se in Angelum lucis, & jam suggestionibus internis, jam apparitionibus externis abducunt ab ordinaria via virtutum & perfectionis; & inducunt in non tritam. 6. Suggerunt quædam principia in speciem pia, quibus pertinaciter insistamus, etiam contra Superiorum & Spiritualium Patrum sensum & directionem. 7. Somnolentiam, & torporem & tædium in oratione concitant: quemadmodum S. Macarius vidit parvulos quosdam Æthiopes per Ecclesiam discurrentes, & jam huic oculos comprimentes ad dormiendum, jam illi digitum in os immittentes ad oscitandum; huic mulierum, illi negotiatorum &c. speciem objicientes. Ad has & similes dæmonum artes advertere oportet, easq; contrarijs eludere.

3. Molestant in oratione Ariditates animi & Desolationes: de quibus Lectione seq: Hic recolendum, & memori mente tenendum illud Christi: *Vigilate & Orate: ne intretis in tentationem.* Matt. 26.

FERIA III.

MEDITATIO: *CHRISTUS ascendit paraturus nobis locum.* Joan. 14.

I. ADora DEUM O. M. & considera eum, ut Dominum domus tam amplæ, ut respectu illius totus orbis terrestris punctum sit; tam splendidæ, ut illi comparata lux solis caligo sit; tam pretiosæ, ut omnia in illa sint aurum purissimum & gemmæ, quales non parit terra; tam felicis, ut nullus ibi dolor & luctus locum habeant, sed perpetuum ubiq; resonet Alleluja; tam gloriosæ, ut domestici omnes sint Principes maximi, & filij Altissimi; tam ordinatæ, ut singuli pro meritis suis & dignitate distincta non tam conclavia, quam amplissima palatia, viridaria, & quidquid optari potest, imò plùs quàm à nobis optari aut cogitari potest, possideant. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt* (dixit Christus Joan. 14. animando Apostolos) omnes

ornatissimæ & ordinatissimæ. Et adhuc in his terræ cavernis perennare placebit? Miseri: sursum corda, sursum amorem! In domo Patris nostri, ibi mansiones sunt, dignæ non solùm Regibus terræ, sed maximis Principibus cæli. O quantus es DEUS, qui tantam habitas domum, nec illâ caperis! Quàm amabilis es Pater noster; qui ab origine mundi tam splendidas nobis parasti mansiones!

2. ADora D. JESUM, & considera: ipsum ascendisse in cælum, ut nobis pararet locum, seu mansionem in domo Patris sui. *Vado parare vobis locum. Et si abiero, & præparavero vobis locum; iterum venio, & accipiam vos ad me ipsum; ut ubi ego sum & vos sitis.* Joan. 14. Quàm plena tenerrimæ dilectionis verba! Jam pridem ab initio mundi Divina Providentia paraverat Electis omnibus & singulis locum atq; mansionem in regno cælesti: quia tamen nemini concedenda erat omnino gratis: præivit Christus, ut requisitum pretium meritorum & sangvinis sui exhiberet solemniter Patri coram tota curia cælesti, adeoq; possessionem acciperet pro nobis. Paravit igitur nobis locum, tum solemniter exhibendo pretium pro illo debitum; tum accipiendo possessionem suo & nostro nomine. Quod addidit: *Iterum venio, & accipiam vos ad me ipsum; ut ubi sum ego & vos sitis;* deliciæ sunt, & excessus quidam amoris; quasi sine nobis non esset satis beatus futurus. Et nos non cupiemus dissolvi, & esse cum Christo? Tam volupe nobis est in corpore mortis hujus? Bruta sumus: si non sapimus, quæ sursum sunt: ubi CHRISTUS est ad dexteram DEI sedens, nos invitans & expectans.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: Christum ipsi augustissimum præ omnibus, Angelis & hominibus, in cælo parasse locum, dignitati & meritis ejus amplissimis congruentem. Cùm enim creaturam nullam dignitatis prærogativâ, & meritorum magnitudine parem haberet; Filius insuper summo teneretur studio honorandi Matrem: locum ei paravit throno suo proximum, & à dextris suis (ut olim Salomon Bethsabeæ matri suæ) qui omnibus Angelorum choris longissimè emineret. Gaudeo, ô Domina, tam eminenti mansione tua. Ah liceat aliquando propiùs accedere, & Majestatem tuam venerari cominus!

Propositum. v. g. de recumbendo hìc in novissimo loco per humilitatem; ut tantò altiorem obtineas in cælo, tantòq; magis DEUM in perpetuum ames & glorifices.

LECTIO PRACTICA.

Quomodo facilè & semper bonam fructuosamq; Orationem instituere possimus.

Adver-

ADvertendum inprimis: juxta communem Ascetarum doctrinam, quam egregiè declarat Rodriq. in Exercit: Perfect: par. 1 tr. 5. c. 18. bonitatem & fructum Orationis, etiam Mentalis seu Meditationis, non consistere in extraordinarijs quibusdam animæ Consolationibus cælitus acceptis; neq; in sensibili devotione quadam & animi dulcedine. Hi enim sunt singulares DEI favores, & quædam blanditiæ, quæ etiam Sanctissimis non raro subtrahuntur, aut valde serò dantur, prout DEO placuerit. Unde rectè monet Kempensis lib. 2. de Imit: c. 6. *Verus amator Christi, & studiosus sectator virtutum non cadit super consolationes, nec quærit tales sensibiles dulcedines: sed magis fortes exercitationes, & pro Christo duros sustinere labores. Cùm igitur spiritualis à DEO consolatio datur; cum gratiarum actione suscipe eam: sed DEI munus intellige eam esse, non tuum meritum. Cùm ablata fuerit consolatio; non statim desperes; sed cum humilitate & patientia expecta cælestem visitationem. Istud non est novum, nec alienum viam DEI experti: quia in magnis Sanctis, & in antiquis Prophetis fuit sæpè talis alternationis modus.* Errant igitur non leviter, qui tristantur, & pusillanimes fiunt, putantq; se non bonam fecisse orationem; quando, etiam ad longius tempus, non demulcentur hujusmodi cælestibus consolationibus.

Secundò non consistit etiam essentialiter Bonitas & fructus Orationis in sensibili quodam fervore animi, quo exardescimus sensibiliter (redundante nimirum æstu animi in ipsum corpus) in amorem DEI, vel odium peccatorum & incendimur desiderio virtutum. Nam hic fervor, quatenus sensibilis est, est in appetitu sensitivo; bonitas autem moralis, & ratio perfectioq; virtutum consistit in actibus appetitûs rationalis seu Voluntatis; qui possunt esse valde perfecti, etiamsi se non prodant sensibiliter. Patet hoc in actu amoris & perfectæ contritionis, quo mater aliqua diligit DEUM & dolet de peccatis suis super omnia. Quàmvis enim non ita tenerè & sensibiliter diligat DEUM sicut prolem suam, ob cujus malum aliquod dolet longè acerbiùs, plangit & lamentatur: Amor tamen DEI, si est super Omnia & ex proprio ejus motivo, est in illa longè perfectior; siquidem, si ita opus esset, mallet potiùs prolem suam perdere, quàm offendere DEUM. Hinc Theologi & Patres Spirituales solent solari pœnitentes, qui graviter queruntur, & suspectas habent confessiones suas eò, quòd non sentiant in se dolorem tam intensum, prout optant. Solent nimirum ipsos instruere: quod veritas & perfectio pœnitentiæ non consistat in profusione lacrymarum, angustijs cordis, & sensibili dolore de peccatis, qui sunt actus appetitus sensitivi: sed in sola voluntate, & vera, plena, firmaq; aversione à

peccatis, & conversione ad DEUM. Cujus aversionis & conversionis perfectio non est desumenda & æstimanda ex ijs, quæ sensibus percipimus; sed ex resolutione & firmitate animi, hìc & nunc parati subire quævis mala, quàm ampliùs averti à DEO.

Tertiò non consistit etiam Bonitas Orationis in carentia, seu privatione distractionum, tædij, tentationum, & similium aliarum molestiarum, de quibus ordinariè conqueri solemus. Nam illis omnino carere, non est in nostra potestate: sed nobis solùm incumbit; ipsis causam vel occasionem culpabiliter non dare; neq; eas per incuriam nostram fovere. Si ergo absq; culpa nostra contingant, & patienter eas toleramus, si satis abigere vel evitare non possumus: melior & fructuosior esse potest Oratio distracta & tædij atq; ariditatis plena, quàm si talibus incommodis careret.

Bonitas igitur Orationis, præsertim Mentalis, seu Meditationis, consistit in bona dispositione animi, seu voluntatis ad declinandum à malo, & faciendum bonum. In hunc enim finem dirigenda semper est oratio. Jam verò in nostra semper est potestate, adjuvante gratiâ divinâ, elicere aliquos actus aversionis & detestationis peccatorum, humiliationis quoq; & doloris ob commissa: similiter actus amoris divini, fidei, spei, patientiæ, desiderij perfectionis, & contemptûs proprij; etiamsi in medio distractionum, tentationum & desolationum versemur, pumice aridiores. Deinde si per viam Punctorum, quæ meditanda suscepimus, propter continuas distractiones vel alia impedimenta pervenire non possumus ad concipiendum & firmandum Propositum particulare, quod hoc die, vel aliàs executioni mandemus: licebit ex alijs congruis motivis illud formare v. g. ex generali motivo Charitatis; ut DEO, JESU & MARIÆ placeamus, eorum gloriam & honorem promoveamus, pro offensis commissis satisfaciamus &c. Hoc autem & facile, & valde fructuosè facere possumus, saltem per breviores frequentatos actus inter meditandum.

Deniq; dato, quòd fere tota, aut tota, sine fructu effluxerit Oratio: quidni saltem in fine, dum advertimus, nos nihil adhuc fructûs tulisse, liceat colligere animum & vires, & præmissa profunda humiliatione coram DEO, cum ipsius auxilio elicere serium propositum prosequendi, vel fugiendi id, ad quod Meditatio dirigebatur; assignatis pariter temporibus, modis & medijs, quibus id propositum sit executioni mandandum? Quidni insuper, si advertatur aliqua culpa in Oratone commissa, assignari possit congrua aliqua pœnitentia? Quæ si fiant: quis dicet in Oratione esse oleum & operam perditam?

MEDITATIO: *CHRISTUS distribuit in cælo loca Sanctis secundum merita ipsorum.*

1. ADora DEUM O. M. & considera: eum formâsse hominem staturâ erectum, ut capite oculisq; remotior à terra, identidem cœlum suspiceret; & quò sibi sit tendendum, adverteret; atq; de medijs eò perveniendi cogitaret. Non vult nos solùm curiosos & otiosos cœli spectatores, sed navos & fortes ejusdem expugnatores. Non enim traditur ignavis; sed *violenti rapiunt illud.* Matt. 11. Hinc ascendente in cœlum Christo, cùm Apostoli fixis oculis *intuerentur in cœlum euntem illum: ecce duo viri adstiterunt* (Angeli) *qui & dixerunt: Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cælum?* Non standum: longa enim via restat & ardua. Nec aspiciendum duntaxat, quò Christus iverit: sed strenuò connitendum, ut eòdem perveniamus. Elevari nos oportet cogitatione & affectu supra terram: fortia agentibus & dura patientibus pro DEI gloria, non deerit nubes, quæ tandem nos inferat cœlo: cujus possessionem voluit DEUS, non merè suum esse liberale donum, sed etiam præmium nostrum & mercedem. Ergo auspice DEO, Christo Duce, in cœlum! in cœlum!

2. ADora D. JESUM, & considera: quomodo mox, ac ad dexteram Patris consedit, atq; à tota Curia cœlesti, submissione omni adoratus fuit; cœperit exercere potestatem, quam sibi datam esse omnem in cœlo & in terra, dixerat Matt. 28. Illicò enim cœpit implere ruinas cœlestes, seu loca, ex quibus exciderunt apostatæ angeli; distribuendo ea inter Sanctos, quos secum adduxerat in cœlum è limbo, unicuiq; secundùm merita sua: *non enim est acceptio personarum apud Deum*, Rom. 2. Unde iterum ingens coortus est in cœlo plausus; lætantibus Angelis ob incrementum civium cœlestis Jerusalem, & ruinarum in Hierarchijs suis restaurationem; exultantibus, & suos honores atq; felicitatem non capientibus Sanctis illis: quòd cœli Principibus Angelis coæquati essent. Nulla Angelos mordebat invidia: nulla homines inflabat superbia: sed omnes laudem dabant Christo, *qui est Caput omnis principatûs & potestatis.* Coloss. 2. Quod tunc factum est in cœlesti, semper fiat, oportet, in terrestri regno Christi. Nemo indignetur, alterum æquari sibi: nemo infletur evectus super alios: sed omnes muneri suo intenti, studeant placere Christo; cui æquissimo honorum cœlestium & terrestrium dispensatori, honor omnis & gloria in sæcula.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: quomodo non solùm æquo, sed gratissimo animo tulerit, se relictam in terris, ascendente in cœ-

los Filio. Non æſtimabat viciſſitudines & ærumnas præſentis vitæ: ſed attendebat ad ſtatum merendi, & DEO deſerviendi per actus liberos, atq; tolerantiam adverſitatum variarum; quorum nihil eſt in cœlo; in terris autem abundamus hujuſmodi occaſionibus, ſanè pretioſis, & quæ invidiam, ſi fieri poteſt, moveant in ipſis Beatis. Gaudebat igitur Virgo ſapientiſſima & humillima; conceſſum ſibi eſſe temporis aliquid, quo voluntariè ſacrificaret DEO hoſtiam laudis, & ageret Ancillam Domini. Malebat enim hoc, quàm agere Dominam mundi. Da, ô Gratioſiſſima: ut & ego intelligam utilitatem præſentis, licèt ærumnoſæ vitæ: atq; illâ pro DEI & tua gloria utar, ut decet.

Propoſitum, v. g. *ſtrenuè laborandi pro ſede glorioſa in cœlo.*

LECTIO PRACTICA.

Orandum & Laborandum.

DIctum eſt antiquis: *Dij laboribus omnia vendunt.* Quod ut verum ſit, addendum: Dij (ſeu Superi) Rogati laboribus omnia vendunt. Non ſatis enim eſt, offerre ipſis pretium laborum; ſed inſuper obnixè rogari debent, ut vendere velint. Merces enim ipſorum, præſertim cæleſtes, valde ſunt pretioſæ & pretium laborum noſtrorum plurimùm excedunt. Ut ergo tam vili vendant: rogandi ſunt. Hinc dum per Prophetam, Iſa. 55. emptores invitat DEUS: *Venite, Emite, abſq; argento & abſq; ulla commutatione*; non requirit quidem pretium, aut res alias per commutationem: non tamen omnino gratìs vult dare merces ſuas, ſed ait: *Emite.* Quo? Emite Prece & Labore. Orandum & Laborandum. Unde etiam quamvis glorioſæ & regales in cælo ſedes ſint paratæ Electis ante conſtitutionem mundi: illæ tamen occupari non poſſunt, niſi ſtrenuo & conſtanti Labore; *Regnū cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud:* & humili Oratione, qua ab ipſo Chriſto docti ſumus ſupplicare DEO: *Adveniat regnum tuum.*

Nec labor ergo utilis eſt ſine Oratione, nec Oratio ſine labore, præſertim in negotio ſalutis noſtræ, & ad obtinendas neceſſarias nobis vel alijs gratias divinas: prout ex adducendis exemplis patebit. Raderus in Viridario ſuo p. 3. refert: Sanctum quendam Cœnobij Antiſtitem aſſiduè DEUM precatum fuiſſe: ne pateretur unquam cœtum cœnobitarum ſuorū ſeparari à ſe, ſive in hac, ſive in altera vita; ſed ut in cœlo ſint ſimul omnes. Hunc Chriſtus ita erudijt. Appetebat in remoto aſceterio feſtus Sanctorum dies, ad quem invitatus, per quietem vocem audijt: *Ito, ſed præmitte Fratres tuos: tu poſtremus ſequere.* CHRISTUS igitur mendici ſpecie, media in via ſe objecit. Diſcipuli præeuntes rogant ægrum cauſam ejulatus: qui reſpon-

respondit: *Æger insidebam jumento, quod excusso me fugit: desertus non habeo, qui me ad urbem deportet.* Cui Monachi se excusabant; quòd & ipsi pedites irent; & eo relicto, abierunt. Secutus Abbas eundem offendit ægrum; cognitoq; ipsius statu, quæsivit: Nonne paulò antè transiêre quidam Monachi, & te hìc invenerunt? Sanè, inquit æger: sed dixerunt, se non posse mihi opem ferre. Et Abbas: Potesne paululū ingredi, ut simul sensim progrediamur? Non possum: inquit. Ergo Abbas eum in humeros suscipit, dicens: DEUS sublevabit: abeamus. Et æger: Quomodo me per tantum spatium itineris feres? Abi modò, & precare pro me. Et Abbas: Non te dimittam: gestabo. Et primò quidem sensit onus ad hominis modum grave, mox levius, iterumq; facilius. Tandem cum vix sentiret sarcinam, cœpit mirari: & ecce qui gerebatur, disparuit; vocem autem audivit, sic se compellantem: *Tu assiduè oras pro discipulis tuis, ut vivi & mortui unà sint; & illi honore cæli ac beatitate tecum perfruantur: Viden, ut longè alia sint illorum studia virtutum, ac tua? Conare ergo illos ad sui emendationem excitare, ut se tecum exerceant: ut possim tuæ petitioni satisfacere.*

Frater Matthæus de Bascio, unus è primis Capucinorum Patribus, sanctitate & miraculis clarus, cùm Venetijs prædicaret Judæis; quidam ipsorum compunctum se simulans, accessit Matthæum, rogans: ut sibi lumen veræ fidei impetraret è cœlo. Promisit liberaliter vir DEI: sed nequam Hebræus coram contribulibus simplicitatem ejus deridebat: imò post aliquot dies ipsi obviam factus, dixit: Orationes, quas poposcisset, omnino inefficaces esse: siquidem à Christo nullum lumen acciperet. Intellexit Matthæus, quid rei esset: proinde rogavit ut postridie se accederet, tum auditurus rationem inefficaciæ precum suarum, tum sibi in aliquo negotio operam commodaturus. Ubi adfuit Judæus, deduxit illum ad palatium quoddam uno milliari distans ab urbe; in cujus limine vidit bajulum quendam, & penes ipsum frumento plenum saccum, scapham verò in litore vicini maris. Rogavit ergo Pater Judæum, ut se juvaret in sacco illo humeris bajuli imponendo, qui eum deferat ad scapham. Judæus confestim ori sacci manus admovit, Frater Matthæus eundem in altero fine apprehendit: cumq; Judæus saccum levaret; ille de industria eum è manibus dimisit. Quod cùm sæpiùs factum fuisset: cœpit stomachari Hebræus dicens: Oportet, ut & tu ex altera parte firmiter onus sustineas: quia ego solus non sufficio. Tunc cœpit vir DEI edisserere parabolam. Tu, inquit, nuper me rogâsti, ut pro salute tua, & infundendo tibi lumine veræ fidei, Dominum deprecarer. Feci cum omni diligentia, quod mearum partium erat: ex parte tua defectus

est.

est. Conjungamus impigri vires & operam: & brevi videbis Misericordiã DEI. quo dicto, palatium, bajulus, & saccus cum scapha disparuerunt. Judæus attonitus, & probè instructus, cum & ipse negotium salutis suæ cum DEO tractare cœpisset; paulò post cùm tota domo baptizatus est. *Chronic. Capuc: tom 1. p. 2. ad Ann: 1552.*

Bene S. Chrysostomus apud Lohn: in Biblioth. v. Oratio: *Si nos in virtutis studio seduli fuerimus, efficaces erunt & preces aliorum pro nobis: si verò desides fuerimus, nemo nos juvare poterit.* Vel si juverit: magnum Divinæ Misericordiæ miraculum erit. Orandum & Laborandum.

FERIA V.

MEDITATIO: *De CHRISTO & Matre ejus, ut Advocatis nostris apud Patrem.*

1. ADora DEUM O. M. & considera: quomodo lætitiam triumphalis Christi ascensionis, Angelis & discipulis jucundissimæ, temperare voluerit admonitione venturi Judicis. Intentis enim in cœlum Apostolis adstiterunt Angeli duo monentes: Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum? *Hic Jesus, qui assumptus est à vobis in cœlum, sic veniet,* scilicet Judex vivorum & mortuorum in fine mundi; *quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.* Act. 1. Nimirum in prosperis & lætis facilè dissolvimur: nisi nos coerceat memoria venturi Judicis. Gloriam ascensionis appetimus omnes, & ascendenti inclamamus: Trahe nos post te: sed meminisse oportet; priùs omnibus comparendum esse *ante tribunal Christi: ut referat unusquisq; propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.* 2. Cor. 5. Ut igitur sequi mereamur Salvatorem ascendentem: offendere timeamus Judicem venientem. Confige, Benignissime DEUS, salutari hoc timore animam meam.

2. ADora D. JESUM, & considera: Judiciariam potestatem illi datam esse non solùm pro universali judicio in fine mundi; sed Pater *omne judicium dedit Filio.* Joan. 5. Nihilominus pro sua clementia & benignitate magis agit in hac mortali vita Advocatum nostrum, quàm Judicem. Unde dum 1. Joan. 2. dicitur: *Si quis peccaverit;* non subjungitur: Severum habemus Judicem; sed *Advocatū habemus apud Patrem, Jesum Christū justū.* Et Apostolus ad Rom. 8. cùm fidenter expostulâsset: *Quis accusabit adversus electos Dei? Deus, qui justificat: quis est, qui condemnet?* subdidit rationem confidentiæ suæ: *Christus Jesus, qui mortuus est, imò qui & resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Interpellat autem, magis vulneribus exhibitis, quàm verbis prolatis; & exauditur pro reverentia sua. En, ut

iterum

iterum temperat Deus metum venturi Judicis fiduciâ in Advocatum tam benignum, quàm potentem. En ut D. Jesus totus datus, totus natus est in commoda nostra! Ut Judex, excitat timorem; ut Advocatus, fovet fiduciam; ut JESUS, accendit amorem, qui foras mittit timorem servilem, alit filialem. O JESU, DEUS meus & Omnia: amem TE super omnia!

3. VEnerare DEIPARAM V. & considera: etiam ipsam agere Advocatam nostram non solùm sine injuria Christi, sed cum magno ejus honore. Si enim honorificum est Christo: quòd nos, viles servi, ad eum supplices accedamus pro noxarum condonatione, & gratiarum impetratione: quantò magis honorificum est, si Mater, gratiâ plenissima, virtutibus ornatissima, dignitate eminentissima, omni ex parte gratiosissima, supplex procumbat, & causam nostram agat? O Domina, veneror te efficacissimam Patronam & Advocatam nostram apud Filium. Tuo Filio me commenda: tuo Filio me reconcilia.

Propositum, v. g. *in adversis & laboribus recurrendi ad Christum per Orationem.*

LECTIO PRACTICA.

Ad Orationem recurrendum ut ad universale remedium quarumvis afflictionum.

QUàm præclare ageretur cum hominibus, si quivis domi suæ fontem haberet cujus haustu omnem diluere posset mœrorem, & cœlitum prægustare nectar. Fontem hunc, quem magis optamus, quàm agnoscimus, re vera nobis profusissima Bonitas, Optimi Numinis aperuit, tum in publicis Ecclesijs, tum in privatis Oratorijs scaturientem. Oratio est, qua & Divina meditamur, & in necessitatibus nostris supplices recurrimus ad DEUM. Ad hanc non minus facilis nobis est accessus, quàm efficax contra omnes animi ægritudines, & anxietates remedium. Ad hanc omni ætate, omnis conditionis homines in quibusvis afflictionibus confugerunt, & liquidissimis delibuti sunt solatijs.

Oratio, inquit Chrysostomus hom: 19. *mœroris omnis refugium, hilaritatis argumentum, occasio perpetuæ voluptatis! Oratio portus tempestate jactatis, fluctuantibus anchora, scipio tribulatis, pauperum thesaurus, Divitum securitas, morborum curatio, custodia sanitatis.* Non minus diserta fluit vena Mellifluo in encomia Orationis, apud Granatensem lib. 3. de Orat: c. 8. *Orando*, ait Bernardus, *bibitur vinum spirituale lætificans cor hominis, vinum scilicet Spiritus S. inebriat mentem, & carnalium voluptatum infundit oblivionem.* Et iterum: *Nihil est quod dulcius in hac vita sentitur, majore cum gaudio percipitur, corda hominum fortius ab amore mundi disjungit. Nihil animum munit potentius nihil hominem ad quævis bona opera facienda, & quasvis tribulationes perferendas*

eddit alacriorem ſtudio contemplationis, vel Orationis. Pondus his addit au-horitate Divina S. Jacobus Apoſtolus in ſua Canonica cap. 5. *Triſtatur, inquit, aliquis veſtrum?* *Oret.* Breve verbum, ſed multiplex remedium. Triſtatur aliquis, ſive juſtus ſive peccator; ſive ob ſpitualium, ſive ob temporalium bonorum jacturam? Oret: & conſolationem inveniet modò attendat.

Teſtatur de ſe ipſo Pſaltes Divinus Pſal. 76. *Renuit conſolari anima mea: memor fui DEI; & delectatus ſum.* Vix me converti ad orationem: & mox triſtitia converſa eſt in gaudium mihi. Singulare eſt quod de S. P. N. Ignatio traditur lib. 5. Vitæ. c. 1. Huic ægrotanti, cùm jam eſſet Præpoſitus Generalis Soc: JESU, præcepit medicus: ne quem triſtitiæ locum daret, & omnes cogitationes contriſtare natas, à ſe eliminaret. His auditis, Ignatius ſecum cogitare attentiùs cœpit: quidnam tam adverſum & triſte accidere poſſet, quod ſerenam animæ ſuæ pacem & tranquillitatem perturbaret, & afflictionem in animo gigneret? Cumq; omnia ſedulo luſtraſſet; nihil omnino reperit, quo ſe contriſtari turbariq; poſſe exiſtimaret: præterquam ſi ob aliquam cauſam contingeret, Societatem magno erectam molimine, diſſolvi, & interire. Cùm verò ulteriùs pergens ſe examinaret: quàm diu hæcce afflictio in animo ſuo duratura eſſet? Advertit & judicavit: non duraturam ultra unius horæ quadrantem, & mox ſe ſolitæ mentis hilaritati reſtituendum; dummodo non deeſſet facultas ad DEUM recurrendi *per Orationem.*

Et hæc fuit ſemper, & eſt, praxis non ſolùm Sanctorum, verùm & aliorũ ſpiritum DEI habentium; in quavis afflictione confugere ad orationem, & exẽplo ipſiꝰ Salvatoris noſtri eò ferventiùs orare, & prolixiùsquò major premit adverſitas. De Chriſto dicitur Luc. 22. *Et factus in agonia, prolixiùs orabat.* Cornelius à Lap: ex Græco interpretatur: *Extenſiùs & Intenſiùs* orabat. Protraxit & intendit orationem, non quod ipſi neceſſaria eſſet tam prolixa: ſed ut eam nobis commendaret. Unde cum quidam DEI famulus (B. Henricus Suſo, in horol: Sapientiæ c. 14. de ſe ipſo loqui videtur) in cella ſedens triſtitiâ maximâ & incredibili dolore tabeſceret: vocem ſenſit in animo ſibi dicentem: Quid hic otioſus facis, & te conſumis? Surge & paſſionem meam perpende. Surgens ergo cœpit maxima cum attentione Paſſionis Chriſti myſteria meditari, & ſtatim triſtitia evanuit, animus ſolatio repletus, & hoc exercitium continuans nunquam ampliùs talem tentationem ſenſit. De S. Martino Epiſcopo ſcribit Severus Sulpitius eum ad orationem ſolitum recurrere non ſolùm pro ſolatio in afflictione, ſed etiam levamine in fatigatione. Ibi enim & reſpiramus liberiùs, & cor gravatũ effun-

effundimus confidentiùs, & virtutem ex alto trahimus efficacius.

Miseros! quibus fons solatiorum, & officina cælestium auxiliorum, facta est tormentum animorum! Dum tempus adest orandi; tergiversamur, incipimus pavere, tædere, & mœsti esse, non aliter; quàm si hora Passionis immineret. At regius Propheta orationis citharâ sumptâ, *Dedisti*, inquit, *lætitiâ in corde meo*. Psal. 4. Unde infert S. Augustinus: *Non ergo foris quærenda est lætitia: sed intus in interiore homine ubi habitat Christus; in ipso corde, in illo cubiculo, ubi orandum est*. Matt. 6. Ad JESUM Crucifixum vel Eucharisticū, more Sanctorum convertamur orantes: & mirabitur & dilabitur & affluet cor nostrum.

FERIA VI.

MEDITATIO: *De Apostolis jussis sedere Hierosolymæ usq; ad Adventum Spiritûs Sancti.*

1. ADora DEUM OPTIMUM, MAXIMUM, & considera paternam ejus circa nos Providentiam, quâ non vult nos molli quâdam educatione dissolvi, & continuis affluere solatijs, etiam spiritualibus & cœlestibus: sed sæpiùs exerceri labore sine quiete, tribulatione sine solatio, oratione sine gustu; donec iterum illucescat serenior hora, & veniat Paracletus. Sic Apostolis, corporali præsentiâ Christi jucundissimâ fruentibus, noluit dare Spiritum S. sed illo in cœlos sublato. De quo disertè monuit Christus Apostolos Joan. 16. *Ego veritatem dico vobis: expedit vobis, ut ego vadam. Si enim non abiero: Paraclitus non veniet ad vos: si autem abiero; mittam eum ad vos*. Amplector, Benignissime DEUS, paternam hanc circa nos dispositionem tuam. Carebo libenter omni alio solatio: tantummodo mitte mihi Spiritum S. tuum.

2. ADora D. JESUM, & considera: quomodò ascensurus in cœlum monuerit Apostolos Luc. 24. *Ego mitto promissum Patris mei in vos* (Spiritum S.) *vos autem sedete in civitate, donec induamini virtute ex alto*. Voluit, accepturos Spiritum S. non dispergi ad tractanda negotia sæcularia, etiam non peccaminosa, v. g. piscationem; sed interiori animi recollectioni & orationi intentos esse. Nec voluit, eos gaudio plenos, statim post ascensionem suam, prosilire in forum, & prædicare Christum: sed *sedete*, ait, *in civitate*, tantisper occulti; scilicet in cœnaculo, ad quod se receperunt Act. 1. *donec induamini virtute ex alto*. Non determinavit numerum dierum, quibus collecti & recollecti intra privatos parietes expectare deberent: sed *donec* induamini virtute. Nimirum ad munus Apostolicum non facilè prosili-

endum, prædicandi pruritus coërcendus, antequam mittamur: studendum interim omni diligentiâ literis, virtuti & orationi; donec induamur virtute ex alto. *Ex alto* dicit: Non enim talenta nostra naturalia ad id munus sufficiunt. Indue me, obsecro, Gratiosissime JESU, hac virtute quantocyus: quia verè nudus sum: & tandem aliquid pro gloria tua operari volo.

3. VEnerare DEIPARAM V. & considera eam ut margaritam pretiosissimam, non tantùm omnibus terræ bonis, sed toto cœlo comparandam: verùm per omnem mortalem vitam intra concham latentem: cujus pretium solus novit negotiator cœlestis Christus. Semper enim amabat ipsa latere, splendorem virtutum & dignitatis suæ non explicabat; imò intra vulgus mulierum censeri gaudebat: & non solùm usq; ad Spiritûs S. adventum inclusa in cœnaculo latebat; sed etiam longè latéq; prædicantibus Apostolis se Matrem DEI non jactabat. O Gratiosissima, non solùm ut Virgo, verùm ut Mater DEI, incognita; da: ut amem nesciri.

Propositum, v. g. *de sedula dispositione ad suscipiendum Spiritum Sanctum.*

LECTIO PRACTICA.

Quis ordo servandus in Orationibus?

IN actionibus & Orationibus nostris, ut graves evitemus errores, imitari nos decet ordinatissimam in decretis & dispositionibus suis Providentiam divinam: quæ ut non voluit ex piscatoribus in momento facere doctores orbis; sic nec voluit post triennium in schola positum, eosdem tumultuariè prosilire ad prædicationem Evangelij: sed quietos, meditabundos & orationi deditos sedere & latere Hierosolymæ usq; ad Spiritûs S. adventum. Nimirum ut omnia suum tempus habent: ita & ordinem suum, quo turbato non levia nascuntur vitia. Sic & nos decet in orationibus nostris sacris certum servare ordinem: ut DFO gustum, & nobis concilient gratiam.

Inprimis ergo Preces Obligatoriæ, quæ scilicet ex Lege, Præcepto vel Regulâ nobis incumbunt, præferendæ sunt Devotionalibus, quas ex privata devotione suscepimus. Cedendum enim est authoritati & potestati; ne in nos cadat illud Rom. 13. *Qui potestati resistit, Dei resistit ordinationi.* Nec potest esse DEO gratum, quod legitimæ Ministrorum ejus dispositioni adversatur; præsertim si talis dispositio non tendat in bonum quoddam temporale, sed ordinata sit ad majorem DEI gloriam & perfectionem nostram. Hinc non levis est error eorum, qui, ut privatæ devotionis suæ precibus liberiùs indulgeant, Obligatorias vel mutilant, vel tumultuariè deproperant; ipsas Horas Canonicas, quibus nihil sanctius, desultoriè percurrunt, & incommodis-

ſimas temporis particulas ipſis tribuunt: quod P. Leonardus Leſſius mirari ſatis non potuit in hominibus non tantùm annos diſcretionis habentibus, ſed qui etiam aliorũ Magiſtros agere poſſunt & agunt. Merentur ſanè iſti non mitiorem reprehenſionem, quàm Phariſæi illi Matt. 15. quòd *mandatum Dei irritum fecerunt propter traditiones humanas.*

Simili errori obnoxij ſunt, qui, ut Devotionalibus ſuis nihil detrahant, certas actiones, ex Lege vel Officio ſuo exercendas, negligunt, aut raptim expediunt: quaſi verò de illis, & non de iſtis eſſent DEO rationem reddituri. Hoc certè, quod lex aut præceptum requirit, oportet facere: illud autem, quantum fieri poteſt, non negligere: ne mereamur illam comminationem Matt. 23. *Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ; quia decimatis mentam & anethum, & cyminum, & reliquiſtis, quæ graviora ſunt legis. Hæc oportuit facere, & illa non omittere.*

Secundò Mentalis Oratio præferenda eſt Vocali. Meditatio enim ex communi Patrum & Aſcetarum judicio utilior eſt; imò ad ipſam Vocalem ritè obeundam neceſſaria eſt: prout ex Hugone docet S. Bonaventura Spec. diſc. p. 1. c. 12. *Sic*, inquit, *Orationi Sancta Meditatio neceſſaria eſt: ut omninò eſſe oratio nequeat, ſi eam Meditatio non comitetur aut præcedat. Nam hi, qui mala ſua conſiderare negligunt; aut nihil petendo facile per ignorantiam falluntur, aut certè minùs, quàm oportet, dignè petendo, per deſidiam tepeſcunt. Quantò homo magis mala ſua intelligit, tantò ampliùs ſuſpirat & gemit.* Meditatio nobis & divinas pandit perfectiones, ut exardeſcat charitas; & noſtras detegit imperfectiones, ut naſcatur humilitas.

Tertiò Communis oratio præferenda eſt Solitariæ ſeu privatæ. Ubi enim plures ſimul orant, Chriſtus eſt in medio ipſorum; utiq; interpellans pro ipſis, & vigorem ad orandum præbens. Deinde alter alterum juvat: quemadmodum, dum pleno choro canitur, etiam gracilior & obtuſior vox à melioribus juvatur. Hinc S. Chryſoſtomus hom. 3. perſtringit eos, qui dicere ſolent: Orare poſſumus etiam domi.

Quartò Oratio Communis præferenda eſt cuivis Actioni voluntariè ſuſceptæ, quantumvis bonæ. Unde qui eo tempore, quo Communitas vacat Orationi ſive Mentali, ſive Vocali, aliud quidpiam operatur, quàmvis utile, & ad DEI gloriam ordinatum: vel minùs placet DEO, vel abſolutè non placet; juxta illud, quod Iſa. 58. Judæis quærentibus, *Quare jejunavimus, & non aſpexiſti: humiliavimus animas noſtras, & neſciſti?* reſponſum eſt à Domino: *Ecce in die jejunij veſtri invenitur voluntas veſtra.* Non hoc agendum, aut tunc agendum, quod & quando nobis placet: Sed quod agendum eſt; & tempore, quo agendum eſt.

MEDITATIO: *De D. Spiritu Sancto per cordis Munditiem & Orationem constantem obtinendo.*

1. ADora DEUM O. M. & considera: eum non nisi mundis corde Spiritum S. infundere. Est enim Spiritus ille purissimus & sanctissimus; est Columba non insidens cadaveribus; est Amor, non carnis aut terræ, sed divinissimus, quo DEUS amat se ipsum. Unde pœnitens David petiturus, *Spiritum rectum* innovari in visceribus suis, & *Spiritu Principali* se confirmari; solicitè præmisit: *Ampliùs lava me, Domine, ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me: Cor mundum crea in me, Deus.* Psal. 50. Nos quoque mundandis cordibus nostris intentos esse oportet, adhibitis pœnitentiæ scopis, lacrymarum aquis, igne charitatis. Tu demum ipse, Divinissime Spiritus, ure igne ferventissimi amoris tui renes nostros & corda nostra: ut Tibi casto corpore serviamus, & mundo corde placeamus.

2. ADora D. JESUM, & considera: eum quidem liberalissimo affectu fidelibus suis promisisse Spiritum Sanctum; voluisse tamen, eundem ab ipsis constanti oratione impetrari. *Petite, & dabitur vobis: quærite, & invenietis.* Luc. 11. ubi mox addidit: *Si ergo vos, cùm sitis mali, nôstis bona data dare filijs vestris: quantò magis Pater vester de cœlis dabit Spiritum bonum petentibus se?* Quam Christi mentem & voluntatem intelligentes Apostoli, aliiq; fideles, reversi à monte Oliveti in cœnaculum Hierosolymitanum, *omnes erant perseverantes unanimiter in oratione.* Act 1. Felices nos mendicos Dei, quorum humili constantiq; petitioni tantum promissum est Donum! Insanos nos: si petere negligimus! Excita, Gratiosissime JESU, in me Spiritum orationis: ut impetrare valeam Spiritum divinæ tuæ unctionis.

3. VEnerare DEIPARAM V. & considera: cum ipsa jungendas esse preces nostras, ut certiùs & faciliùs impetremus Spiritum S. exemplo Apostolorum, aliorumq; fidelium, qui omnes dicuntur Act. 1. fuisse perseverantes in oratione cum mulieribus, *& Maria Matre Jesu.* Expressè nominatur MARIA (quod aliàs rarò) & secernitur à mulieribus: ut intelligamus; in ipsius oratione præcipuam fuisse & esse vim impetrandi, non solùm pro se, verùm & nobis. O Domina, tu nôsti, quàm indigus sim Spiritûs illius divini, & quàm frigida atq; vilis sit oratio mea: ora pro me, & excita me ad ferventer & constanter orandum tecum.

Propositum, v.g. *de majore attentione & augmento precum per hos dies ad impetrandum Spiritum S.*

LECTIO PRACTICA.

Quomodo possimus, & debeamus, semper orare.

DEbere nos semper orare: divina monet Authoritas. *Non impediaris orare semper.* Eccl. 18. Quæcunq; immineant, vel obstare videantur negotia: *ne impediaris orare.* Quod ipsum commendat, urgetq; Christus Luc. 18. *Oportet semper orare, & nunquam deficere.* Non satis habuit dicere, atq; monere: ut semper oremus; sed ad exaggerandam orationis necessitatem adjecit: *Et nunquam deficere.* Unde ex Christi instituto, prout notat ibi Cornelius à Lap: Tota vita Christianorum, multò magis Ecclesiasticorum & Religiosorum, debet esse Oratio: tum ut laudemus assiduè DEUM O. M. tum ut necessarias nobis gratias impetremꝰ ab ipso. Incitat nos ad id ipsum Circumstantia temporis præsentis: siquidem exempl DEIPARÆ V. & Apostolorum docent: necessariam ad accipiendum Spiritum S. dispositionem, esse ferventem constantemq; Orationem. Orandum ergo semper.

At quomodo possumus orare semper, & nunquam deficere, homines tam infirmi, tam occupati, & distracti negotijs alijs? S. Bonaventura in cap. 18. Lucæ nodum hunc paucis dissolvit, triplicem exhibens modum, quo oratio nostra semper continuari, & perennare potest. Dum igitur dicitur: Oportet semper orare, & nunquam deficere: ut Oratio semper vel sit in Ore per postulationem; vel sit in Corde per desiderium (scilicet gratiarum divinarum vel virtutum aut beatitudinis æternæ, vel sit in Opere per præparationem: qui enim bona agit, ad hoc se disponit; ut ejus oratio debeat audiri. Et secundùm hoc dicitur: *Sine intermissione orate*, 1. Thessal. 5. Ubi Glossa ait: Semper orat, qui bene agit semper. Et Beda in glossa; *Semper orat, qui semper agit bona: nec desinit orare, nisi cùm desinit justus esse.* Hoc ipso enim, quòd quis agit aliquid propter DEUM, seu ad gloriam DEI; laudat, colit, glorificat DEUM: adeoq; orat. Nam Oratio in sua latitudine sumpta, & de qua hic agitur, non solùm dicit Rogationem, seu Petitionem ad DEUM directam; sed prout explicant cum S. Damasceno lib. 3. fid. c. 14. Ascetæ, est *Ascensus Spiritûs nostri ad Deum*, sive ad laudandum & amandum eum, sive ad gratias ei agendas, sive ad petendum aliquid ab eo. Et sic quoties aliquid agimus propter DEUM, seu gloriam ejus, verè dici possumus *orare*; licèt nihil expressè petamus. Accedit: quòd ipsa actio bona, cùm sit meritoria; est quædam petitio præmij.

Jucundum est, quod accidit Abbati Lucio. Venerunt ad ipsum monachi quidam de Secta Euchitarum; quorum hæresis est, uni studio orationis vacare, & præterea nihil boni operari. Quæsivit ex illis senex: Quod est opus manuum vestrarum? Illi dixerunt: Nos non contingimus aliquando opus manuum: sed sicut dicit Apostolus, sine intermissione oramus. Dicit eis Se-

nex:

nex: Et non manducatis? Illi autem dixerunt: Etiam manducamus. Et dicit eis: Quando ergo comeditis, quis pro vobis orat? Et iterum interrogavit eos dicens: Non dormitis? Et illi dixerunt: Dormimus. Et dicit eis Senex: Cùm dormitis, quis pro vobis orat? Et non invenerunt, quod responderent. Et dixit eis: Ignoscite mihi Fratres: quia ecce non facitis, sicut dixistis. Ego autem ostendo vobis, quia operans manibus meis, sine intermissione oro. Sedeo enim juvante DEO, infundens paucas palmulas, & facio ex eis plectam, & dico: *Miserere mei Deus secundùm multitudinem* &c. Et dicit eis: Oratio est, an non? Et dicunt ei: Etiam. Et ille dixit: Quando permansero totâ die laborans, & orans corde, vel ore; faciens plus minus sedecim nummos: & pono ex eis ad ostium cellæ duos nummos; & residuos manduco; & qui accipit illos duos denarios, orat pro me tempore, quo manduco, vel dormio. Atq; ita per gratiam DEI implebitur in me, quod scriptum est: *Sine intermissione orate.* Spec. Exempl. V. Oratio.

Orare ergo semper, & sine intermissione possumus: Si nunc vocales quasdam ad DEUM fundamus orationes, nunc meditemur de Divinis, virtutibus, &c. nunc de similibus objectis loquamur, nunc desideria bona in nobis excitemus, nunc aliquid agamus aut omittamus propter DEUM, seu amore DEI; etiam sumptionem cibi, & somnum dirigendo ad ejus obsequium & honorem; præsertim si frequentiùs iteremus piam Intentionem. Unde August. in Psalm. 34. *Quidquid egeris, benè age; & laudâsti Deum.* Et S. Hilarius ibid: *Per hoc efficitur: ut sine intermissione oremus: cùm per opera Deo placita, & in gloriam ejus semper exercita, sancti cujusq; viri vita omnis Oratio sit.* Denique *Qui conservat legem, multiplicat Orationem.* Ecclesiast. 35.



